


BOX 7455, 11
1911

#5

EPISTOLAE SELECTAE PRAEPOSITORUM GENERALIUM

AD

SUPERIORES SOCIETATIS



ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
—
1911

БАТОРИЯ АДОЛФИ

СИМФОНИЯ ДЛЯ ВІOLONЧЕЛІ

СИМФОНИЧНА СКАЗКА



FRANCISCUS XAVERIUS WERNZ

PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU

AD SUPERIORES EJUSDEM SOCIETATIS

Exhaustis duabus editionibus epistolarum Praepositorum Generalium ad usum Superiorum selectarum, complures in Societate magnopere exoptabant, ut tertia earundem editio conficeretur, quae nuper editas epistolas Praepositorum Generalium ad universam Societatem quodammodo compleret utiliterque perficeret. Neque immerito id quidem exoptabatur. Ab anno namque 1877, quo secunda illarum epistolarum editio vulgata est, nonnullae aliae graviores eiusmodi epistolae prodierunt, quas in primis Superiores p[re]e manibus habere debent. Nec deerant praeterea in epistolis adhuc divulgatis quaedam vel plane antiquata vel ad hodiernam Ecclesiae et Societatis nostrae disciplinam magis conformanda vel paululum declaranda. Accedit etiam, quod in recentiore communium epistolarum ad Societatem editione consulto omissa sunt aliqua, ad Superiores potissimum spectantia, ut inter cetera ejusdem generis documenta aptius insererentur, simul cum aliis paucos ante annos undique collectis probeque selectis.

Legitimo igitur complurium desiderio cum nostris et Patrum Assistentium votis prorsus congruente, tertiam hanc epistolarum selectarum editionem ita concinnandam curavimus, ut pro re nata ad usum Superiorum nostrorum maxime conferret; atque adeo omnia ejusdem documenta in quatuor capita dispartirentur, quorum primum ageret de religiosa perfectione et disciplina, alterum de sacris ministeriis, tertium de studiis et scholis, quartum denique de rei temporalis administratione.

Ex quo, ut aureis verbis utamur ab A. R. P. Roothaan lithographicae suaee editioni anno 1846 praefixa[is], etiam nos certo speramus: «Superiores in gravissimo difficultimque suo munere



« non parum adjumenti percepturos, si ea documenta p^ra^e oculis
 « habeant, quae majorum nostrorum sapientia, copiosiori divini
 « Spiritus lumine illustrata, inde a primis Societatis tempor-
 « bus, ad rectam Provinciarum Domorumque gubernationem,
 « invenit et commendavit. Nihil enim nobis optandum magis,
 « quam ut summorum illorum virorum, quorum filii sumus et
 « heredes et successores, et lumen quod nobis p^raeferunt videre
 « et vestigia sequi possimus. Itaque omnibus ac singulis Supe-
 « rioribus hoc non magnae sane molis volumen, tamquam bonae
 « gubernationis instrumentum, ut p^rae manibus teneant, ut semel
 « iterumque sub regiminis sui initia totum perlegant, utque pro
 « rerum occurrentium exigentia identidem consulant, vehementer
 « commendamus in Domino ».

Hanc porro validissimam p^raedecessoris nostri commendationem nos pariter, quam enixe possumus, renovamus, non solum apud Societatis Superiores, sed etiam apud Patres Consultores, Praefectos spiritus, Admonitores, Magistros Novitiorum et tertiae Probationis Instructores, quibus omnibus novus hic libellus, non exigua aliorum documentorum supellectile auctus atque instructus, tum ad sanctae Sedis nostrique Instituti p^raecripta bene cognoscenda tum ad gravia officia sua rite obeunda utilissimus, semper in promptu esse deberet. Ac proinde valde optamus, ut nullus Provinciarum vel Domorum Superior nul-
 lusque eorum Patrum, quos diximus, hoc tam utili libello careat. Quin etiam reliquis cuiusque Domus Patribus, iisque praesertim, qui tertiae Probationi dant operam, copia facienda esset huius libelli in communī bibliotheca repositi.

Atque ita fiet, ut pretiosus hic documentorum thesaurus, quo pluribus pervius erit, eo plura ac p^raestantiora Societati afferat emolumenta.

Romae, die festo S. P. N. Ignatii 31 Julii 1911.



INDEX RERUM

Indicis numeri asterisco insigniti nova hac editione epistolis selectis noviter additi sunt.

Franciscus Xaverius Wernz ad Superiores Societatis	PAG. 5
--	-----------

PARS PRIMA

DE RELIGIOSA PERFECTIONE ET DISCIPLINA.

I. <i>S. Ignatii epistolae fragmentum</i> 17 Decembris 1552. <i>De recta Superiorum majorum gubernatione</i>	17	
II. * <i>Everardi Mercuriani epistola</i> 7 Octobris 1574. <i>De recta gubernatione Superiorum</i>	19	
III. <i>Everardi Mercuriani monita</i> . <i>De modo Superioris se gerendi erga Patres et Fratres</i> .	22	
IV. <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 22 Augusti 1595. <i>De iis qui in Religione ficte procedunt</i>	28	
V. * <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 20 Augusti 1604. <i>De sollicitudine et vigilantia Superiorum erga subditos</i> .	32	
VI. * <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 4 Februarii 1606. <i>De rebus praecipue tractandis in Congregationibus pro- vincialibus</i>	37	
VII. <i>Claudii Aquavivae epistola cum monito</i> 29 Januarii 1611. <i>De institutione Scholasticorum</i>	41	
	<i>Monitum de eodem argumento</i>	45
VIII. * <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 28 Septembribus 1613. <i>De urgenda exsecutione</i>	46	
IX. <i>Claudii Aquavivae monita</i> <i>De directione et instructione Superiorum</i>	53	

PARS PRIMA De Superioribus in genere.

Caput I. - <i>De correctione</i>	53
Caput II. - <i>De studio virtutum</i>	55
Caput III. - <i>De exteriori disciplina</i>	56
Caput VI. - <i>De mediis ad predicta recte peragenda</i> .	58

PARS SECUNDA

De Superioribus in particulari.

De Provincialibus.

	PAG.
Caput I. - <i>De admissione</i>	60
Caput II. - <i>De dimissione</i>	61
Caput III. - <i>De admittendis ad vota</i>	63
Caput IV. - <i>De applicandis ad studia</i>	63
Caput V. - <i>De tertia Probatione</i>	64
Caput VI. - <i>De applicatione ad ministeria</i>	65
Caput VII. - <i>De promotione ad gradus</i>	66
Caput VIII. - <i>De Congregationibus provincialibus</i>	67
Caput IX. - <i>De Provinciae visitatione</i>	68

De Magistris Novitiorum.

Caput I. - <i>De fine officii ipsorum</i>	72
Caput II. - <i>De ratione instituendi Novitios</i>	73
Caput III. - <i>De patribus tertiae Probationis</i>	74
<i>De Visitatoribus et Commissariis</i>	75

X. * <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 4 Januarii 1617. <i>De quibusdam monitis</i>	78
XI. * <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 4 Novembris 1617. <i>De delationibus ex Provinciis ad P. Generalem factis</i> .	88
* <i>Monitum Joannis Pauli Olivae de eadem re</i> 26 Martii 1663 .	89
XII. <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 26 Junii 1618. <i>De cura Fratrum coadjutorum Superioribus habenda</i> .	89
XIII. * <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 7 Martii 1619. <i>De causis unde detrimenta Societati timenda</i>	92
XIV. <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 30 Aprilis 1622. <i>De cautela Confessariis necessaria ad puritatem ser- vandam</i>	100
XV. * <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 11 Junii 1639. <i>De duratione praecepti obedientiae</i>	103
XVI. <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 9 Junii 1639. <i>De cautione in alienis defectibus Superiori referendis</i> .	103
XVII. * <i>Vincentii Carrafae epistola</i> 30 Augusti 1647. <i>De adjuvandis moribundis</i>	104
XVIII. * <i>Francisci Piccolomini epistola</i> 6 Maii 1651. <i>De tertia Probatione non differenda</i>	105
XIX. <i>Goswini Nickel epistola</i> 21 Junii 1655. <i>De visitandis Provincialibus</i>	106
XX. <i>Joannis Pauli Olivae epistola</i> 1 Novembris 1662. <i>De informationibus ad gradum</i>	106

	PAG.
XXI. <i>Joannis Pauli Olvae epistola</i> 9 Februarii 1669.	
<i>De secreti fide servanda in ratione conscientiae reddenda deque libertate snbditorum in literis ad Generalem scribendis</i>	109
XXII. * <i>Joannis Pauli Olvae epistola</i> 26 Januarii 1675.	
<i>De secreto epistolarum servando</i>	111
XXIII. * <i>Joannis Pauli Olvae epistola</i> 1 Januarii 1678.	
<i>De archivo in unaquaque Provincia instruendo atque conservando.</i>	112
XXIV. <i>Joannis Pauli Olvae epistola</i> 1 Januarii 1680.	
<i>De quibusdam capitibus ad regiminis formam pertinen- tibus</i>	115
XXV. * <i>Caroli de Noyelle epistola</i> 7 Augusti 1683.	
<i>De natura votorum devotionis</i>	120
XXVI. * <i>Thyrsi Gonzalez epistola</i> 20 Aprilis 1697.	
<i>De non semper iisdem viris ad gubernationem propo- nendis</i>	121
XXVII. <i>Thyrsi Gonzalez epistola</i> 28 Octobris 1697.	
<i>De promotione ad sacros Ordines rite et maturo con- silio perficienda</i>	122
XXVIII. * <i>Francisci Retz epistola</i> 4 Augusti 1731.	
<i>De licentia in loquendo et scribendo reprimenda et de fovendo studio rerum spiritualium.</i>	123
XXIX. * <i>Francisci Retz epistola</i> 22 Martii 1732.	
<i>De cultu S. Joannis Nepomuceni</i>	125
XXX. <i>Ignatii Vicecomitis epistola</i> 14 Octobris 1752.	
<i>De quibusdam rebus circa paupertatem et Scholasti- corum educationem</i>	127
XXXI. <i>Petri Beckx epistola</i> 5 Februarii 1860.	
<i>De rebus nonnullis quae ad Societatis incolumitatem et progressus praesenti tempore magis neces- sariee videntur</i>	131
XXXII. <i>Petri Beckx Ordinatio</i> 22 Februarii 1860.	
<i>De facultatibus ab Urbe per Provinciale tantum petendis, et de non exquirendis facultatibus alia- rum familiarum religiosarum</i>	139
XXXIII. * <i>Francisci Retz de eodem argumento monitum</i> 1 Febr. 1735.	140
* <i>Petri Beckx epistola</i> 1 Martii 1861.	
<i>De suffragiis pro Nostris, qui extra Provinciam mo- riuntur, praestandis</i>	141
XXXIV. <i>Petri Beckx epistola</i> 12 Martii 1861.	
<i>Do angelica virtute in Societate servanda etc.</i>	142
XXXV. <i>Petri Beckx epistola</i> 31 Augusti 1866.	
<i>De clausura in Convictibus servanda</i>	148
XXXVI. <i>Petri Beckx epistola</i> 6 Januarii 1870.	
<i>De admittendorum delectu rectaque admissorum in- stitutione</i>	148

XXXVII.	* <i>Petri Beckx epistola</i> 13 Junii 1877.	
	<i>De defectibus quibusdam eradicandis</i>	153
XXXVIII.	* <i>Antonii Mariae Anderledy epistola</i> 16 Maii 1884.	
	<i>De facultate confessariorum Nostrorum absolvendi a casibus reservatis</i>	160
XXXIX	* <i>Antonii Mariae Anderledy epistola</i> 27 Aprilis 1886.	
	<i>De praerogativa antiquitatis ad Professionem</i>	162
XL.	* <i>Antonii Mariae Anderledy epistola</i> 8 Maii 1889.	
	<i>De reddenda conscientiae ratione</i>	164
XLI.	* <i>Ludovici Martin epistola</i> 10 Novembris 1893.	
	<i>De clausura canonica exacte observanda in Domibus nostris</i>	167
XLII	* <i>Ludovici Martin epistola</i> 12 Decembris 1894.	
	<i>De dispositionibus Decreti "Auctis admodum" in Societate observandis</i>	169
XLIII.	* <i>Ludovici Martin epistola</i> 12 Junii 1896.	
	<i>De informationibus circa statum Missionum ad opus apostolicum "La propagation de la foi" mittendis</i>	171
XLIV.	* <i>Ludovici Martin epistola</i> 24 Aprilis 1904.	
	<i>De promotione Nostrorum ad sacros Ordines maturo consilio et diligentissime servatis juris sancti nibus facienda</i>	172
XLV.	* <i>Francisci Xaverii Wernz epistola</i> 9 Januarii 1908.	
	<i>De libris a Nostris editis sufficienti exemplarium numero et tempestive Romam mittendis</i>	175
XLVI.	* <i>Francisci Xaverii Wernz epistola</i> 15 Julii 1909.	
	<i>De Regula tactus religiose observanda</i>	176
XLVII.	* <i>Francisci Xaverii Wernz epistola</i> 2 Februarii 1910.	
	<i>De tertia Probatione</i>	179

PARS SECUNDA

DE MINISTERIIS SACRIS.

* <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 1 Augusti 1549.	
« De fervore et zelo Missionum »: Summarium	193
* <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 12 Maii 1599.	
« De modo instituendarum Missionum »: Summarium.	194
* <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 14 Augusti 1599.	
« De usu Exercitiorum spiritualium »: Summarium.	194
* <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 14 Augusti 1599.	
« De formandis nostris concionatoribus »: Summarium	194
* <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 28 Maii 1613.	
« Monita formandis concionatoribus accommoda »: Summarium .	194

* <i>Petri Beckx epistola</i> 10 Decembris 1875.	
« De animarum zelo et de ratione eas juvandi »: Summarium.	195
* <i>Congregationis Polocensis anni 1785 decretum 8.</i>	
« De promovendo cultu SS ^{mi} Cordis Jesu et Mariae».	196
* <i>Joannis Roothaan epistola</i> 8 Junii 1848.	
« De cultu sanctissimi Cordis Jesu »: Summarium	196
* <i>Joannis Roothaan epistola</i> 24 Junii 1848.	
« De cultu purissimi Cordis Mariae »: Summarium	196
* <i>Petri Beckx epistola</i> 28 Augusti 1870.	
« De refugio in SS. Corde Jesu quaerendo »: Summarium	197
* <i>Congregationis XXIII anni 1883 decretum 46.</i>	
« De cultu SS. Cordis Jesu et Mariae »	197
* <i>Antonii Mariae Anderledy epistola</i> 29 Septembris 1888.	
« De munere provehendi cultum SS. Cordis Jesu, Societati nostrae abhinc duobus saeculis demandato »: Summarium	197
XLVIII. * <i>Vincentii Carrafae epistola</i> 3 Junii 1647.	
<i>De praefecto Missionum in singulis Provinciis consti-</i> <i>tuendo</i>	198
XLIX. <i>Francisci Retz epistola</i> 18 Januarii 1749.	
<i>De Bulla aurea pro nostris Congregationibus marianis</i> <i>obtenta</i>	199
L. * <i>Ludovici Martin epistola</i> 1 Martii 1900.	
<i>De libro Exercitiorum spiritualium S. P. N. Ignatii a</i> <i>Nostris summo studio prosequendo</i>	201
* <i>Literae apostolicae Leonis XIII</i> 8 Februarii 1900.	
<i>De Exercitiis spiritualibus S. Ignatii</i>	203

PARS TERTIA

DE STUDIIS ET SCHOLIS.

LI. <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 24 Maii 1611.		
<i>De soliditate et uniformitate doctrinae</i>	207	
LII. <i>Claudii Aquavivae epistola</i> 14 Decembris 1613.		
<i>De observanda Ratione studiorum deque doctrina S. Tho-</i> <i>mae sequenda</i>	209	
	Decretum de uniformitate doctrinae praesertim de gra-	
	tie efficacitate	214
LIII. <i>Mutii Vitelleschi epistola</i> 8 Octobris 1631.		
<i>De proba juventutis institutione</i>	215	
LIV. <i>Ignatii Vicecomitis epistola</i> 17 Julii 1752.		
<i>De studiis humaniorum literarum promovendis</i>	221	
LV. <i>Aloysii Centurioni epistola</i> 9 Augusti 1766.		
<i>De studio et examinibus theologiae moralis</i>	225	
LVI. * <i>Joannis Roothaan Ordinatio</i> 15 Octobris 1847.		
<i>De sacrae theologiae studio promovendo</i>	230	


	PAG.
LVII. * <i>Petri Beckx Ordinatio</i> 11 Maji 1858.	
<i>De triennali philosophiae studio</i>	233
LOGICA. - Pars I	237
» Pars II	238
METAPHYSICA GENERALIS	239
METAPHYSICA SPECIALIS	340
I. <i>De corporibus</i>	240
II. <i>De animabus</i>	241
III. <i>De Deo</i>	242
PHILOSOPHIA MORALIS.	243
<i>Propositiones aliquot philosophicae, quae in scholis Societatis docendae non sunt</i>	245
LVIII. * <i>Antonii Mariae Anderledy epistola</i> 8 Decembris 1890.	
<i>De congressibus</i>	254
LIX. * <i>Ludovici Martin epistola</i> 4 Novembris 1904.	
<i>De S. Scripturae studiis a Nostris rite persequendis</i> .	258
LX. * <i>Francisci Xaverii Wernz epistola</i> 18 Januarii 1908.	
<i>De erroribus modernismi a Nostris omni studio cavendis.</i>	261
LXI. * <i>Francisci Xaverii Wernz epistola</i> 19 Martii 1910.	
<i>De tribus Decretis S. Congregationis de Religiosis.</i> .	266

PARS QUARTA

DE REBUS TEMPORALIBUS.


LXII. <i>Joannis Pauli Olivaee epistola</i> mense Julio 1665.	
<i>De exsecutione Ordinationum circa res temporales administrandas</i>	279
LXIII. <i>Joannis Roothaan epistola</i> 26 Junii 1847.	
<i>De modo renuntiationis bonorum a Nostris facienda</i> .	281
LXIV. <i>Petri Beckx epistola</i> 19 Martii 1858.	
<i>De censibus seu obligationum vel actionum emptione et venditione.</i>	283
LXV. * <i>Petri Beckx Ordinatio</i> 19 Martii 1859.	
<i>De arca Seminarii Provinciae</i>	284
LXVI. * <i>Antonii Mariae Anderledy Ordinatio</i> 31 Julii 1887.	
<i>De stipendiis Missarum</i>	287
LXVII. * <i>Ludovici Martin Ordinatio</i> 21 Junii 1894.	
<i>De rerum temporalium administratione</i>	290
I. <i>Quae bona et quo modo a Societate possideri possint</i> .	293
II. <i>A quoniam et quo modo bona temporalia administranda sint.</i>	296
LXVIII. * <i>Ludovici Martin Ordinatio</i> 25 Decembris 1895.	
<i>De bonorum temporalium administratione in Missiobus nostris.</i>	306
I. <i>De bonis stabilibus, fundis, ecclesiis, scholis etc.</i>	307
II. <i>De bonis mobilibus, supellectili etc.</i>	308
III. <i>De proventibus, redditibus, honorariis, juribus stolae.</i>	»

INDEX	13
* <i>Decreta et Declarationes super Missionibus Societatis Jesu</i>	312
I. Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide anni 1851	312
II. Dubbi proposti e risoluzioni prese dalla S. Congregazione nella generale adunanza del 23 Febbraio 1880 e confermate da S. Santità Leone XIII nell'udienza del 4 Aprile 1880	313
III. Risoluzioni date dagli Emi Cardinali della sacra Congregazione di Propaganda nell'adunanza generale del 18 Gennaio 1886 ed approvate dal santo Padre il 19 dello stesso mese intorno alle decisioni del 1 Aprile 1880 risguardanti le Missioni raccomandate alla Compagnia di Gesù.	315
* <i>Praepositi Generales Societatis Jesu</i>	317
<i>Index generalis alphabeticus</i>	319



PARS PRIMA

DE RELIGIOSA PERFECTIONE ET DISCIPLINA



PARS PRIMA

DE RELIGIOSA PERFECTIONE ET DISCIPLINA

I.

S. P. N. IGNATII

EPISTOLAE FRAGMENTUM¹.

De recta Superiorum majorum gubernatione.

Neque provincialis neque Generalis Praepositi est ad omnia et singula negotia incumbere. Quin imo, etiamsi esset rerum gerendarum peritissimus, aliorum opera uti praestat, qui dein actorum rationem Provinciali sint reddituri; ipse vero illorum judiciis perceptis de iis, quae sui muneric sunt decernet. Sin autem negotium sit tale, cuius tam tractacio quam dijudicatio aliis delegari possit, rem omnino aliis committere multo melius erit praesertim in negotiis temporariis sed vel in spiritualibus haud paucis.

Equidem hanc agendi rationem sequor, qua non solum adiuvari atque levari me sentio, sed etiam animi fruor tranquillitate et securitate.

¹ S. Ignatius die 17 Decembris 1552 epistolam hanc dedit hispanice scriptam ad Jacobum Miron, Praepositem provincialem Lusitaniae renuntiatum S. P. N. epistola Roma die 26 Decembris 1551 data. « Monumenta Ignatiana » ser. I, tom. IV, p. 48 sq.

Pars tantum epistolae exstat in Memoriali P. Consalvii de S. Ignatio. Ibidem ser. IV, tom. I, p. 285 sq.; cf. ibid. ser. I, tom. IV, n. 3104, p. 558 sq.

Fragmentum latine redditum divulgatum est in primis a Joanne Petro Maffei. « De vita et moribus Ignatii Loyolae » (Venetiis 1585) lib. III, cap. 10, p. 254 sq.

Hoc fonte usi sunt et posteriores S. P. N. biographi et editores epistoliarum S. Ignatii « Cartas desan Ignacio de Loyola » tom. II, (Madrid 1875) p. 388 sq; cf. ibid. tom. III, (Madrid 1877) p. 158, n. 1. itemque Appendix

Itaque pro munere tuo universale tuae Provinciae bonum studio et amore persequere, ad singulas vero res statuendas et disponendas exquiras sententias eorum, qui tibi de singulis melius judicaturi esse videbuntur. Ad executionem deinde quod attinet negotiis per te ipsum gerendis noli implicari neque detineri; sed motoris instar universalis fac impellas moveasque inferiores motores; qua potissimum ratione cum plura atque meliora tum officio tuo magis propria perficies.

Quod si administri errorem commiserint, minus incommodum erit, quam si ipse erraveris; ac multo magis decet, quidquid illi deliquerint a te corrigi, quam ab inferioribus te emendari, si tu deliqueris: quod perfacile minutiora plus aequo consequenti accidet.

Iesus Christus, Deus et Dominus noster, det nobis omnibus gratiam, ut ipsius voluntatem semper bene cognoscamus et integre compleamus.

ad epistolas Praepositorum Generalium tom. II. (Gandavi 1847) p. 1 sq.
et editiones priores epistolarum selectarum ad usum Superiorum.

Ad unum omnes ex hoc fonte cum errore circa diem, quo epistola scripta vel missa est, versionem minus accuratam derivarunt. Appendix ad epist. Praepos. General. l. c. inscribit epistolam hanc tamquam « ad Didacum Mironam Lusitaniae Praepositum » missam.

Ut supra iam indicatum est, appellatur novus hic Lusitaniae Praepositus in epistola renuntiationis a S. P. N. « Jacobus Miron ». Eodem nomine utuntur generatim « Monumenta », ibidem tamen ser. I, tom. IV, p. 628 inscribitur epistol. n. 3220..... « ao P. Diogo Mirão » atque editio « Cartas de san Ignacio » constanter eum vocat « Diego ».

In hac nova editione epistolarum selectarum *nova* versione fragmenti, uti in Memoriali P. Consalvii l. c. habetur, S. P. N. mens clarius redita est.

Ceterum sperare adhuc licet, alios aut integrum epistolam aut fragmenti fontem meliorem esse reperturos.

II.

R. P. N. EVERARDI MERCURIANI
EPISTOLA AD SUPERIORES 7 OCTOBRIS 1574.

De recta gubernatione Superiorum.

Inter ea quae Superiores Societatis ut certissima habere debent, id *unum est in primis*, non intentionem rectam, non prudentiam, non alia id genus dumtaxat esse necessaria, ut e more atque Instituto nostro cum mansuetudine et amore agatur; verum praeter haec omnia illud maxime donum requiri, quod Apostolus inter gratias datas appellat gubernationes¹, quodque longe omnibus praestat, non parum in edemandis animi perturbationibus et affectibus profecisse.

Alterum, quod, quantumvis subditi ab exacta obedientiae ratione deficiant, humana tamen imbecillitas magnam sane industriam amorisque significationem a Superioribus depositit. Aperatum enim est, rationem jusque ipsum quodammodo postulare, ut, quemadmodum nostri homines se per summam liberalitatem Deo Dominoque nostro consecrarunt, sic a Superioribus excipientur eodem amoris sinu ac tractentur: praesertim cum haec caritas et liberalitas mutua, adhibita sollicitudine ac diligentia, citius quam quidvis aliud disciplinae observantiam promovere possit.

Porro subditos in Superioribus agnoscere illum oportet, cuius locum tenent, Christum scilicet ac Dominum nostrum: sicut enim Superioribus non obtemperatur ob eorum probitatem et virtutem, sed Christi causa, a quo id muneric habent; sic omittenda non est illa ipsa obediendi celeritas et resignatio, quantumvis humanum aliquid in iis observaretur.

Quod vero ipsum Superiorum proxime attingit, ut boni Pastoris officium cum auctoritate fungatur apud subditos; duo procuranda sunt: alterum ut intelligent certumque omnino habeant subditi ipsi, quidquid Superior agit, Christi causa, cui obedire debent, ipsiusque Instituti, et ob majus ipsorum bonum facere. Et quidem amorem adversus omnes aequalem nullo discriminé significabit; ita ut, si necessitas postulet eum pro officio quempiam admonere,

¹ 1. Cor. XII, 28.

reprehendere aut poenitentiam aliquam injungere, id semper aestimetur fieri amoris ergo. Quamobrem caveat, ut ne subditis occasione praebat suspicandi, quod de ipsis male sentiat aut diffidat. Magnopere enim hae suspicione minuunt reverentiam et amorem erga Superiorum; et spe abjecta recuperandae ipsius gratiae manent in suis vitiis absque ulla curatione: neque omnium modo, sed imperfectiorum etiam quorumlibet (non omissis ideo debitibus disciplinae modis) ostendet se spem bonam concipere futurae emendationis, nec se praeteritorum esse memorem.

Ad haec Superior caveat usum artificii humani erga subditos, unde ipsi conjiciant Superiorum aliquid ambigue loqui. Id enim prorsus adimit fiduciam, qua subditus curae paternae Superioris se committit ac tradit. Et sane cum ea arte stare haudquaquam potest unitas et mutuus amor ac reverentia, sine quibus absoluta resignatio et indifferentia ad virtutem religiosamque perfectionem necessaria haberi non potest. Neque vero homines tot rerum capaces totque dotibus ornatos, quales Societas habet, id genus artibus ad religiosam disciplinam solidamque virtutem cogas; cum illo in genere vix unus alteri cedat: veritas autem sinceraque virtus bene arctam et diuturnam unitatem inter Superiorum ac subditos generare ac fovere potest.

Alterum, quod ad parandam sustinendamque auctoritatem in subditos magnam vim habet, in eo positum est, ut iis impendio persuadeatur, Superiorum esse sui officii gnarum, neque aliunde regi aut pendere, quam a Superioris sui nutu. Ut vero id persuasum habeant, omnino est opus, sui ut muneric partes opere ipso impletat. Ea propter ipsum scire oportet, qualem omnem Societatis familiam, nec non qualem unumquemque interius esse deceat: quandoquidem Societas exteriore disciplina contenta non est, sed dispositionem maxime et culturam animi interiorem intendit. Quoniam autem exterior disciplina certis Regulis comprehenditur, Superioris est, omnes nosse cum communes tum peculiares officiorum atque ministeriorum. Quin etiam pari diligentia procurandum est, non tantum ut eas singuli intelligent, saltem eas quae ipsos attingunt, verum etiam ut easdem apud se habeant, usuque sibi familiares faciant.

Expedit etiam, imo necessarium est curare, ut singuli quod sciunt prompte exsequantur, adeoque animentur ad id amplectendum; tum vero suppeditare, quidquid muneri bene obeundo faciet.

Postremo videndum frequenter, quo pacto rem gerant, quem modum in observandis Regulis sequantur; instruendo, admonendo, reprehendendo per seipsum aut alium, quo dirigantur, animentur, confirmetur, prout opus fuerit. Quapropter ipsum scire oportet, quibus difficultatibus cuiusque officii implicata sit functio: easque primo apud Deum sedulo discutere, tum apud suos Consultores, ut convenientia cuique auxilia dentur, et universi suaviter jugum ferant, intelligentque, si minus ex omni parte provisum est, non desiderari tamen diligentiam et caritatem Superioris.

Jam quod spectat ad officii pastoralis eam partem, quae in disciplina interiore versatur, (quae satis ex ea quae illi cum exteriore est proportio cognosci potest, cum quae de hac dicta sunt ad cognitionem illius juvare possint), animadvertisendum est, quod, quemadmodum ut sciatur, qualis in Societate familia aliqua esse debeat, ex Regulis, quae de illa tractant, notitiam ejus parare opus est; ratione ei, qui scire velit, qualis quisque e Societate interius esse debeat, petenda est notitia a Regulis et Constitutionibus ea de re tractantibus. In illis enim omnia perspicue tamquam in speculo videbuntur, ut colligitur ex cap. 4 Examinis itemque ex tertia, sexta, nona et decima parte Constitutionum, atque adeo passim ex aliis locis, quod magna ex parte summatim comprehenditur Regulis *Summae Sapientiae*¹, et libello spiritualium Exercitiorum B. P. Ignatii. Cum ergo duo vel tria capita complectatur omnis disciplina interior, primum de iis quae abneganda sunt deque affectu ipsorum penitus exundo, alterum de studio comparandi virtutes necessarias Societatis ministeria tractaturis, ut taceam proposita sancta et pia desideria, quae ad hoc subinde a Deo injiciuntur; qui in hanc pastoralis munera curam adversum alios incumbet, non modo quamlibet esse oportet unumquemque ex Regulis et Constitutionibus nosse convenit, verum etiam (quod ante dixi) plane necessarium est, ut subditi persuasum habeant, eum esse ejus rei peritissimum: quae persuasio sola rei veritate acquiri potest.

Praeterea curandum Superiori est, ut subditorum quisque norit, qualis interius esse debeat, idque usitatis in Societate rationibus, quales nimurum sunt explicationes Regularum, publicae aut privatae instructiones, exhortationes aliaque id genus in Societate ordinaria. Quamobrem tanto diligentius procurandum erit, ut sub-

¹ Summarium Constitutionum.

ditorum animi dirigantur, inflammentur, confirmentur, ac Superior apte foveat desideria hujus disciplinae interioris, quanto certius est sine illa nullum profectum sperandum esse. Hujus porro disciplinae exercitatio tota vita tenenda est, ut quasi nobis sit Novitiatus continuus. Necessitas quippe et continuitas delictorum et necessitatium nostrarum continuam hanc meditationem postulat. Demum Superiori videndum sedulo est, quam quisque viam in hac exercitatione insistat; quid et quantum in unoquoque desideretur, seu ad tollenda impedimenta virtutum, seu ad vires et arma conquirenda. Atque ut erunt difficultates, ad Deum recurret, magnoque studio radices et causas in singulis investigabit inquiretque remedia nunc vini nunc olei his malis necessaria. Propterea ad manum habeat Regulas, quae tractant de discernendis spiritibus, et curandis animabus, ut sancte docuit B. P. Ignatius in libro Exercitiorum; sitque sollicitus, ut singuli tam suarum imperfectionum causarumque notitiam habeant, quam remediorum convenientium, incumbatque in rectam animorum dispositionem, ut ea omnia adjumenta ac remedia ex animo admittere et complecti possint.

Atque ut finem faciam, in cura hujus pastoralis officii prompto quoque harum industiarum usu, Superior plurimum in Domino confidat oportet: quoniam ipse unctionem Spiritus sancti effundet, quo facilius omnia dirigantur ad spirituale auxilium animorum, praeparenturque ipsius haec instrumenta ad obsequium divinae suae Majestatis.

III.

R. P. N. EVERARDI MERCURIANI

Monita de modo Superioris se gerendi erga Patres ac Fratres¹.

Meminerit is qui praeest se personam sustinere Jesu Christi ejusque vicem in regendo tenere ipsique alios obedire tamquam divinae Majestati; atque ita hac consideratione humiliter de se sentiat et inferiorum infirmitates sustineat nec sibi placeat, sed consideret etiam atque etiam, quemadmodum hac auctoritate utatur in timore ac tremore coram Deo et quemadmodum personam Dei agat.

¹ Notum non est, quando et quomodo haec monita sint proposita; sed cum magna ex parte sint explicatio epistolae superioris, hoc loco adduntur.

— Cogitet eos, qui ejus curae commissi sunt, servos esse Domini, non suos, omnesque aestimet seipso meliores, quodque melius quam ipse Superioris officio fungerentur. — Memoria teneat et executione prodat caritatem, mansuetudinem et benignitatem Jesu Christi formulamque ac modum quem in hoc beati Petrus et Paulus sequerantur juxta Institutum Bullae nostrae¹. — Gubernandi ratio, quam sequetur, fortitudinem p[re]se ferat ac suavitatem, ita ut ad prosequendum consequendumque finem, quem spectat Societas, aliosque ad illum dirigendos, constanti semper ac forti sit animo in Domino, in usu autem et executione mediorum benignus et suavis. — Itaque qui p[re]aeest semper eniti debet, ut eam laetitiam internam externamque p[re]se ferat quam caritas affert, et eam moderationem ac suavitatem quae ex benignitate mansuetudineque nascitur; qua quidem in re tanto se magis ipse observet necesse est, quanto naturam suam fortasse severiorem aut difficiliorem noverit.

Atque hoc est, quod in universum et, ut ita dicam, ordinarie p[re]scribi potest; quae vero ad particularia spectant, docebit prudentia spiritualis, quam Deus Superiori suggesteret.

Possunt tamen particulares aliquae admonitiones tradi: quemadmodum ut blande loquatur, sereno laetoque vultu et cum amoris significatione. — Neque ullo signo ostendat se meminisse culpae aliquujus aut imperfectionis eorum cum quibus loquitur. — Ut meminerit eorum bonorum quibus praediti sunt tum naturalium tum acquisitionum tum supernaturalium, atque hoc significet; dissimulet autem mala aut diminuat et excusat, si id cum veritate possit. — Cum aliquid iis qui subsunt praecipitur, det operam, ne id ex imperio fieri videatur, sed tranquille ac benigne res ipsa proponi cum aperta sua voluntatis significatione, quemadmodum si dixerit: *Facito, frater, bonum erit te hoc agere, hoc facito amore Dei*, vel: *Rogo te, ut hoc facias*; aut similibus utetur formis, prout magis expedire in Domino judicabitur. — Numquam ita loquetur: *Mando*, multo vero minus: *Mando in virtute obedientiae, aut in nomine*

¹ Bulla Pauli III « Regimini militantis » 27 Sept. 1540: « Ille [Societatis Praepositus] autem jubeat ea quae ad consecrationem propositi sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna; in p[re]latione autem sua, benignitatis ac mansuetudinis caritatisque Christi, ac Petri Paulique formulae semper sit memor; et tam ipse quam Consilium ad normam hanc assidue spectent... ». Inst. vol. I (Florentiae 1892) p. 5; cf. Bullam Jul. III « Exposcit debitum » 21 Jul. 1550. Ibid., p. 25.

Domini, quod est obligare sub poena peccati; nisi quando ea res es-
set, in qua salus alicujus versaretur aut res necessaria vel notabi-
lis periculi, si non fieret; atque hoc magna cum consideratione ne-
que non consultis ante Consultoribus ordinariis.

Omnibus caput ei aperientibus et ipse aliquantulum aperiet. — Non sinat quemquam aperto capite ante se consistere, sed ubi ca-
put detexerit jubeat retegere paulo post. — Ne sit preeceps et levis in
loquendo, sed moderate gravis et sedatus; omnisque ejus agendi
ratio sit facilis, clara, jucunda, plana et familiaris. — Audiat cum
mansuetudine eos qui eum alloquuntur, et quod dicunt bene intelligat. — Non facile decernat in respondendo; in rebus tamen facili-
bus cito respondeat nec suspensos eos dimittat. In rebus autem diffi-
cilibus rationem reddat velle se de iis cogitare, tempusque illis pree-
scribat quo sint redituri.

Ita cum suis agat, ut personam quam oportet induat, prout unum-
quemque hujus aut illius conditionis vel consuetudinis vel inter-
nae dispositionis esse cognoverit; quas quidem dispositiones per-
spectas habere debet pro ratione officii sui. — Atque ita dispositioni
cujusque sese accommodabit, ut infirmum agat cum infirmis, lae-
tum cum laetis, tristem cum tristibus. Significare etiam poterit iis-
dem se indispositionibus, quibus illi; fuisse detentum; quod quidem
ut plurimum vere dici poterit: breviter, ita se accommodabit, ut ejus
agendi ratio aut loquendi cum Patre vel Fratre sit accepta sui con-
junctione cum aliqua re quae in ipsis sit significata, quae movere
illos possit, ut facile id quod dicitur recipiant. — Ut vero suaviter
agat cum Patribus et Fratribus multum conferet, si non ostendat
se illis diffidere nec se ab illis fuisse offensum, tametsi causam ali-
quam hujus rei haberet; sed semper unionem contrahat et animi
conjunctionem, laudando quod in eis est boni, indeque occasionem
sumendo, ut et ipse cum eo proficiat et ille juvetur.

Semper illi spiritualiter agendum est cum omnibus; sed cum de
spiritualibus rebus aget, fiat illud plane nec supra captum ejus qui
audit, sed prout suaviter ferre et intelligere poterit. — Cum de iis
rebus aget, quae in usu et quotidiana consuetudine versantur aut
de rebus honestis aliis ac bonis, discrete id agat, adhibita conside-
ratione ea, ut ii cum quibus loquitur aedificari inde semper ac pro-
ficere possint. — Persuasurus aliquid, principio nitatur ejus gra-
tiae, quae Religioni et Instituto collata est, et rationibus ex proprio
principio desumptis et ex Bullis, Constitutionibus, consuetudinibus,

traditionibus et Regulis Societatis et ex obedientiis Superiorum. Utatur etiam exemplis Patrum ac Fratrum Societatis; communibusque rationibus doctorum et institutorum aliorum eatenus uti poterit, quatenus aut abrogatae non sunt aut particulatim ab Instituto nostro annotatae. Semper vero tamquam principio innitatur inspiratione divina, ea quae principium huic vocationi dedit, atque etiam testificatione et confirmatione, quam ea de re praebet Ecclesia et Sedes apostolica.

Etsi ea quae hactenus dicta sunt ita se habent ut dicta sunt, tamen videndum quoque est, necessarium esse nonnunquam prae se ferre, imo et exsequi erga particularem aliquam severitatem, sicut exemplum habemus Jesu Christi erga B. Petrum et D. Paulum. — Severitas haec ex charitate profiscatur oportet, atque ex desiderio majoris boni majorisque obsequii Domini nostri Dei, et ex zelo honoris Jesu Christi, cui in eo qui praeest obeditur. — Magna tamen cum animadversione et consideratione severitas haec debet esse conjuncta, semperque minor quam pro merito. Ostendi etiam debet non alia ex affectione proficiisci quam ex charitate et zelo ac desiderio majoris boni; ut constet omnibus ratione non carere, et, quoad fieri potest, etiam is, in quem necessario rigor adhibetur, aut cum proficiendi desiderio et humilitate illum acceptet, aut si non ita agat, cōfundatur.

Ut vero ad magis particularia veniatur, cum iis qui valde boni sunt agat cum omni suavitate, animos addendo, ut pergant ulterius, et re ipsa ostendat multum se illis fidere eorumque ministerio extra ordinem utendo ad alios adjuvandos, familiariusque cum ipsis agendo, ea tamen discretione adhibita, ne singularitas videatur et personarum acceptio; et provideatur tamen, ut iis poenitentiae dentur etiam in rebus levibus, quo ceteros aedificant. Aliquando etiam utile est cum istis etiam sine culpa rigore uti eosque exasperare, ut crescant in perfectione; sed rursus reducantur ad solitam suavitatem.

Eorum qui distracte incedunt neque proficiunt magna est cura habenda et animadversio, quia major labor in istis consistit. — Si ipsi notabiliter sint scandalosi aut causas habeant, ob quas excludi illos a Societate oportet, prout in secunda parte Constitutionum habetur, utendum erit ea facultate quam quisque habuerit, eruntque ea observanda, quae in illa parte et suis declarationibus praescripta sunt. — Et quod attinet ad praxim hujus rei, in quovis Collegio

et praecipue in magnis, videat is qui praeest, re cum Provinciali consultata, usquequo debeat sustinere distractiores, nullusque fratrum illud advertat, ne indulgentia et tolerantia qua erga illos utuntur congregationi noceat, et tandem excludendi sint postquam jam nocuerint. Atque ita, sicut solet utile esse corpori naturali, si quotannis purgetur, videndum erit, num etiam morali et mystico Societatis corpori idem sit profuturum; hoc est ut videatur, num quando conveniat aliquem ejicere, qui id commeritus sit, qui quidem in exemplum cedat aliis et occasionem profectus majoris. — Non amittatur tamen facile neque levibus ex causis fiducia de adjuvando et reducendo aliquo, quisquis ille sit.

Ut plurimum seu ordinarie, nisi causa esset aliqua urgens, utile esset antequam dimitterentur, ad Provincialem illos amandare, qui de tota re probe instructus poterit de hujusmodi id extrellum statuere, quod ei in Domino videbitur; expressa tamen necessitate excepta sine ejus consensu ad illum non dimittantur. — Cum autem aliquis dimittendus secreto fuerit, dici potest eum alio mitti, aut peregrinatio aliqua injungi; manifesto deinde dici non necesse est cur in Collegium non revertatur, sed alio se conferat¹.

Sed interim dum spes est posse illum adjuvari, magna est adhibenda diligentia. — Primum, ut statim sciatur, quando primum distrahi incipit, atque ex eo tempore ejus curae et observationi invigilare. — Ut vocetur aliquando et particulatim instruatur et adjuvetur in Domino. — Idem ut procuretur per confessarium et aliquos ex Patribus Fratribusque valde firmis et perspectae aedificationis. — Praecipue vero illud videatur, ne cum iis consuetudinem habeat, qui ei non prosunt; atque hoc illi consulatur, et a confessario prescribendum curetur. — Ne ad extrema cum eo veniatur, sed ejus potius commiseratio Superiore capiat, eamque ei ostendat una cum desiderio profectus ejus et perfectionis. — Offerentur ei, si se correxerit, dissimulatio et oblivio omnium praeteritorum. — Ne exaspereatur verbis. — Ne ei ostendatur, quod de illo parum speretur, imo vero quod spes sit in Domino eum esse emendandum. — Non ostendat credere se syndicis, sed rei certae et experientiae aut certae scientiae. — Dicat: ipsemet ut eligat, quo possit adjuvari, illudque apud eum

¹ De ratione tenenda cum supra dictis nunc prae oculis habeatur Ordinatio a R. P. N. Claudio Aquaviva anno 1604 ad Provincias missa: Ordinat. General. cap. XII.

laudet, quod fuerit idoneum. — Nullam differentiam faciat inter ipsum et alios in rebus publicis.

Reprehensiones, si necesse sit, acres ita sint, ut eas ex amore proficieti et zelo appareat; non autem ex passione alia, qua possit offendit. — In reprehensionibus non proferantur verba injuriosa ullo modo, sed imperfectio eorum aut distractio clare ostendatur, ex malo quod in iis est, vel damno quod consequitur. — Reprehensio semper ita finiatur, ut ad extremum animum male affecto augeat, bonamque spem afferat, quam et se habere Superior p[re]se feret; breviter, cum suavitate non cum exacerbatione terminabitur. — Graviores reprehensiones et poenitentias utilius erit, ut alias inferior ex Superioribus injungat, quemadmodum Minister, ut semper refugium distracto relinquatur. — Si se corrigat, tractetur cum animi suavitate, eique magna laetitiae significatio p[re]beatur, nec ulla mentio praeteritorum ulla in re fiat, neque toleretur, ut alii m[al]inerint.

Pro iis qui mediocriter procedunt, sumatur instructio ab his duobus extremis. Qua quidem parte bene procedunt, sumatur ex iis quae sunt dicta de iis qui bene admodum incedunt, aut ex parte illorum convenienti; quatenus vero distractiores sunt, quam deceret, sumatur ex iis, quae ad adjuvandos qui omnino tales sunt diximus.

Super omnia quae dicta sunt, adjuvabit gratia, quam Dominus Superiori conferet, ususque illius in iis quae particularibus convenient, si modo ipse gratiae non defuerit. — Adjuvabit oratio et sacrificia tum sua, tum aliorum, pro necessitatibus applicata. — Adjuvabit consilio uti Consultorum. — Adjuvabit, si ex aliis discat ea quae fiunt, si tamen interim videat, ne nimium sit facilis ad ea credenda, quae ei referuntur sine magna cautione.

IV.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 22 AUGUSTI 1595.

De iis qui in Religione ficte procedunt¹.

Quoad eos qui in Religione ficte procedunt, quorum aliqui impudici actus vel tactus a Superiore secreto sciuntur, animadverendum est in iis quae Superiori tanquam patri secreto denunciantur, non conyenire eum tamquam judicem statim procedere ad externam inquisitionem, ut illos puniat; neque e contra contentum esse debere post notitiam illam, quam tamquam pater habuit, leve aliquod remedium adhibuisse, quale esset talem subditum alloqui, atque ab eo emendationis promissionem habere. Nam cum experimento constet tales difficile emendari, imo vero saepe ipsosmet ea manifestare de seipsis, ex quibus, licet emendationem promittant, facile intelligitur malum illud moraliter esse irremediabile; janua ad purgandam Societatem claudi non debet, quamvis Superior malum illud secreto et tamquam pater agnoverit.

Quare si ob temporis circumstantias is in peccato perseverasse dignoscitur ex frequentia reincidendi, ex naturae facilitate, ex sacramentorum abusu, non integra scilicet confessione, ex sacra communione in peccato mortali, aliisque similibus, facile deprehendetur periculum reincidendi, et quantum de ejus emendatione securi esse possimus. Ideo, si ipsemet Superiori se manifestaverit, hortandus primum est ad continentiam, tum suadendus teneri se ad aliud vitae genus suscipiendum, in quo ex Instituto sit severior disciplina, major corporis castigatio, et pauciores cum proximis agendi occasiones. Institutum enim Societatis eos requirit operarios, qui ita nostra ministeria obeant et saluti proximorum invigilent, ut nec propriarum animarum salutem, nec bonum Religionis nomen in discrimen adducant. Quibus rationibus efficaci-

¹ Prae oculis habeatur, in universa hac epistola aliqua contineri praesertim quoad sigillum confessionis et secretum ex redditu ratione conscientiae ortum, quae secundum doctrinam nunc in Ecclesia communiter receptam aut corrigenda aut emollienda sint. - Ex notis adjectis facile patebit, quid etiam in aliis locis nunc mutandum sit.

ter inducendus est, ut ipsemet licentiam petat aliud vitae genus eligendi¹.

Si vero res alterius denuntiatione scitur, quamvis haec paterna sit, si tamen ob circumstantias spes emendationis nulla sit, potest Superior diligenter inquirere ea quibus major rei certitudo habetur. Imo vero ad cautelam indemnitatis in futurum potest ad actum dimittendi e Societate devenire; haec enim proprie non est poena juridica aut judicialis, sed potius ad cautelam, et illi ipsi qui dimittitur hoc ipsum expedit, cum praesertim in hac re, qua decet caritate et dexteritate, ejus famae ac boni nominis ratio habeatur.

Quod vero ad consultationem harum rerum spectat, certum est fieri posse, modo id fiat cum paucioribus, quoad fieri poterit, ac prudentioribus viris et ea secreti ratione habita quae convenit. Poterit etiam ad majus lumen habendum casus interdum, tacito nomine, consultari.

Quod autem huc usque dictum est, in eo casu intelligi debet, in quo et probabile periculum reincidendi, et Religionis damnum timetur. Nam communiter in Societate quae tota in juvandis proximis posita est, alii remediorum modi non occurront. Verum si casus ex aliqua occasione et ex naturae fragilitate evenisset, et res absque scandalo, via tantum secreta et paterna a Superiori sciretur, tunc is tamquam pater solum subditi emendationem curabit, illum monendo, injungendo secretam aliquam poenitentiam, removendo illum a periculis et diligenter super illum vigilando: nullo autem modo eum a Societate dimittat.

Quoniam vero aliquando, licet casus sit occultus, propter illum tamen certo et evidenter, qui illum commisit, a Societate dimittendus est, vel quia ipse delictum confiteatur², vel ob aliquam aliam circumstantiam: interim dum Praepositus Generalis monetur, si peccandi occasio adsit, illam Provincialis removeat per aliquam mu-

¹ Ex sola manifestatione a delinquente sponte et libere Superiori ut patri facta neminem invitum dimittere licet, quamvis pro variis adjunctis transitus ad alium ordinem arctioris disciplinae vel egressus seu dimissionis petitio suaderi possit. - Nequit vero Superior, cui reus ut patri se manifestavit, ex hac sola notitia novas obligationes imponere praeter iam praeeistentes, sed solum urgere potest, ut his obligationibus satisfiat, v. gr. ut Scholasticus, qui propter graves rationes a sacris Ordinibus arctetur, Societatem relinquit.

² Intellige, quod extra confessionem seu rationem conscientiae delictum confessus fuerit.

tationem, sin minus Generalem moneat. In tali autem casu occulto carcer adhibendus non erit, sicut nec publicae poenitentiae sed secretae: secus vero si res esset manifesta et scandalosa. Per unius autem testimonium non debet aliquis e Societate dimitti aut corripi, nisi alia indicia et circumstantiae concurrent, et qui delatus est non sit adeo religiosus.

At si quis actus impudicos cum alio exercuisset, et res occulta esset et sine scandalo, licet casus absolute ejus modi sit propter quem merito quis dimitti debeat, tamen cum non agatur nisi de re occulta et non urgenti, et quia possent occurrere circumstantiae propter quas posset delato unus talis actus condonari, expediet Generalem Praepositum de re tota certiorem reddere, ejusque sententiam exspectare; ad quem etiam pertinet hujusmodi in Societatem iterum admittere, quando ob has causas ejus auctoritate fuerint missi¹.

Si quis vero provocatus ad actus impudicos consenserit, deberet cum complice simul dimitti, si res per tertium aliquem innotescat, quandoquidem par utriusque est ratio: sed quia agitur de re occulta, si alter complicum se Superiori aperuerit, is nullo modo erit tunc dimittendus, sed similiter Generalis Praepositus consulendus²; alioquin nec ille teneretur seipsum manifestare, nec Societas haberet similius casuum notitiam.

Erga eos autem, qui ut dimittantur male se gerunt et ea intentione varios defectus malitiose committunt, primum omnium utanur Superiores iis spiritualibus remediis quae Societas adhibere solet, ut seipsos illi agnoscant; quae si non proderunt, devenant ad poenitentias, quibus si non proficient, expedit eos dimittere, et quidem communiter a votis absolutos. quamvis aliquando, licet raro, sine votorum solutione dimitti conveniat³.

Quomodo cum recidivis occultis agendum?

Si peccatum in quod quispiam reincidit tale sit quod habeat complicem, vel sit aliqua circumstantia propter quam probabiliter

¹ Standum nunc est decreto S. Congregationis de Religiosis 7 Septembris 1909 (Act. Ap. Sed. I, 700 sq.).

² Si res scilicet extra confessionem aut rationem conscientiae fuerit Superiori aperta.

³ Vota simplicia ipsa legitima dimissione semper solvuntur (Const. p. V, c. 4, B. et D.); vota vero solemnia a nullo nisi a S. Sede solvi possunt, quae rarissime super iis plene dispensat.

timeri possit scandalum aut damnum Collegii vel ipsius poenitentis aut alterius ruina, manifestum est, quod poenitens tenetur per se vel per confessarium rem Superiori aperire, ut ei qui, salvo sigillo ut oportet, remedium adhibere potest; quod si nolit facere, certum est non debere a confessario absolvi, donec faciat. Si vero contingret, ut confessarius idem et superior esset, et casus, ut dictum est, contagiosus probabiliter videretur, non deberet absolvi, nisi obtenta prius a poenitente facultate, ut eum Superior posset, quantum ei necessarium videretur, a recidivi periculo removere; quod si poenitens eam dare recusaverit, nullo modo erit absolvendus, cum in periculo versetur, quod, cum possit ac debeat, negligat evitare. Sed occasio tunc externa erit exspectanda, ob quam sine violatione sigilli a Collegio illo vel Domo removeri possit.

Si vero non sit complex, et res rescita sit in confessione, vel etiam in reddenda ratione conscientiae, non potest aliquis ob eam causam dimitti; sed debet primo juvari, praescribendo illi, ut dedat se magis orationi et mortificationi corporis, et caveat ab occasionibus labendi. Si vero haec non prosint, hortandus est, ut aliquo bono praetextu petat dimissionem a Societate, ut possit contrahere matrimonium, quia melius est nubere quam uri; aut si sit in sacris, hortandus est, ut petat licentiam transeundi ad aliam Religionem, ubi major sit ex regula corporis castigatio et minor occupatio cum proximis. Quod si hoc nolit, tunc confessarius debet ei negare absolutionem, quia non est bene dispositus; siquidem videns se esse in periculo peccandi mortaliter ob suam fragilitatem, quam diurna experientia cognovit, non vult alium statum accipere, in quo securius viveret. Unde sequitur, hujusmodi non esse ad Societatis gradus proponendos, cum illis expediat alium Ordinem ingredi. Quamvis curandum sit, ut aliis causis alia via notis, non autem ex notitia per confessionem habita, praeterantur; cujus notitiae usum alias in Societate interdiximus, nisi confessio facta fuerit ad rationem conscientiae reddendam, juxta Constitutiones¹.

¹ Omnis usus notitiae ex qualibet confessione sacramentali haustae secreto sigilli prohibitus est, nisi poenitens sponte et libere licentiam ad id concesserit. Item oportet, ut notitia hausta ex confessione sacramentali nullo modo occasio fiat alia via in causam inquirendi. Cf. decretum Clementis VIII ab Urbano VIII confirmatum, in Bullario ad diem 21 Septembris 1624 et theses proscriptas anno 1682 ab Innocentio XI. Post quae decreta communis evasit doctrina usum notitiae confessionis licere nullum, qui utcumque con-

V.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE
EPISTOLA AD SUPERIORES 20 AUGUSTI 1604.

De sollicitudine et vigilantia Superiorum erga subditos.

Quod spiritualis praefecturae curam a sanctis Deumque timentibus viris reformidatam semper omni studio declinatam legitimus, non ea sane causa est, quod plurimum illa meriti non habeat, aut humili obedientia, cum a Deo imponitur, suscipi non debeat; sed quod res et summae sollicitudinis plena sit et propter varias humanae infirmitatis circumstantias assiduasque tentationes innumeris periculis exposita: quippe cum de ipsis etiam omissionibus, et de culpis alienis, quas male gubernando nostras interdum facimus, exactissimam Deo rationem reddituri simus. Unde quoties animum refero ad grave illorum Superiorum discrimen, qui a me tamquam a capite suo muneribus suis praepositi, ad curam oneris, quod sustinent, excitandi mihi instituendique sunt; satis intelligere potestis, Patres dilectissimi, me meum ipsius supra ceteros periculum intueri ac merito pertimescere. Itaque urget me id ipsum et admonet, ne in praeteritae unquam diligentiae recordatione conquiescam; sed nullum ut finem faciam, me una vobiscum ad pastorale hoc munus magis magisque novis cohortationibus inflammandi. Et quamquam de instructione pro Superioribus ante aliquot annos missa, nuperque edita in lucem ¹, resciri nondum possit (eo quod ad paucos, ut audio, antea pervenerit) quosnam fructus in hanc partem allatura sit, quamvis uberes illos caritas et vigilantia vestra sperare me jubeat; tamen cum oculis pateant incommoda, quae quorundam immediatorum Superiorum vitio in dies suboriuntur, impellit me officii necessitas, ut omnes iterum hac occasione ad sex

fitenti possit esse gravamini, quamquam antea propter auctoritatem multorum et gravissimorum theologorum laxior quedam interpretatio legis sigilli satis communis erat. - Secretum quoque ex redditu ratione conscientiae ortum strictissime servandum est secundum ea, quao decreto 15 Cong. gen. XII et decreto 34 Cong. gen. XXIII nec non literis Patria Olivae 9 Februarii 1669 (infra p. 109 sqq.) et literis Patris Anderledy 8 Maii 1889 (infra p. 164 sqq.) praescripta sunt.

¹ 31 Julii 1598 missa, edita vero 1 Januarii 1604.

illorum capitum lectionem usumque ex animo amplectendum exsuscitem.

Multis autem studio praetermissis, quae a me in eo libello, quam minime male divino concessu licuit, indicata et commendata sunt, nunc solum monebo, summopere in primis necessarium videri, ut tres fines considerentur, quorum gratia suscipi aliorum curam debere S. Augustinus observat: *Obediendi*, inquit, *subveniendi*, et *Deo placandi caritate*. Quibus scilicet aperte docemur, quam sollicitos et quam vigilantes esse nos conveniat. Quia si obediendi studio ducebimur, ut his nimirum, qui onus hoc imponere poterant, Deoque, qui eorum imperio nos regit, obsequamur; minime obscurum est, quam parum hujus obedientiae numeros expleturi simus, si parum accurate, leviterque officio functi fuerimus: aut si, ut tot personis subveniamus eisque in adeo gravi et cum ipsa illorum salute ac perfectione conjuncto ministerio inserviamus, nihil praeter mediocrem quandam et vulgarem diligentiam praestiterimus. Nam si id agimus, ut Deo placere studeamus, praeterquam quod ipse toto cordis affectu et coli vult et meretur; verbum ipsum *placandi*, quantum in eo nobis elaborandum sit, liquido declarat.

Veniat ergo in mentem, nos eorum similes esse, quos *praefectos* et *exactores*¹ Scriptura vocat, hebraea vero lingua *fortitudinem*, ac *perseverantem longanimitatem* significanti voce designat. Quod si opus nostrum est finis Societatis, id est salus et perfectio propria simul et proximorum; constat profecto enitendum nobis esse omnibus nervis, ut subditi nostri hunc finem adipiscantur: ita ut satis esse nunquam arbitremur, si honestam utcumque et laudabilem vitam ducant, nisi ad sui perfectionem magnis quasi passibus contendant; neque eo contenti, quod sua ipsorum causa faciant, in proximorum quoque salutem serio et viriliter incumbant; quandoquidem hoc etiam ad Superiorum officium curamque pertinere manifestum est. Ac pudendum revera, quod, cum illustres sint fructus, quos per Societatis ministeria tum in Missionibus, tum plurimis aliis modis divina Bonitas elicit, quando Superiores invigilant; ipsi tamen saepenumero dormitare et torpere videantur.

Sic itaque statuere sibique procul dubio persuadere debent, se tam in defectibus, qui cernuntur, quam in bonis operibus, quae praetermittuntur, non minimam nec postremam culpae partem su-

¹ Cf. Exod. V, 6, 10.

stinere; magnamque adeo disciplinae laxitatem et jacturam ex eo nasci, quod hac de re aliter ipsi fortasse sentiant. Dum enim culpam omnem in subditos conjiciunt, et aliud praestare se posse diffidunt; rem suopte nutu ferri sinunt, dolore contenti, quem ex ejus ruina capiunt. Atqui magnam in Superioribus culpae partem residere, satis demonstrat aut morbi ipsius in nonnullis subditis vetustas, quod vel nulla illis vel minus apta remedia admoverint, aut ipsa ejusmodi defectuum in Collegio vel Domo quapiam frequentatio communis. Neque enim existimandum est, tum communes tantummodo dici posse defectus, cum in eos prolapsi omnes fuerint, sed tum etiam, cum multos occuparint: ut contra error esset, communem Collegio culpam appellare, qua unus tantum aut alter ex imperfectioribus teneretur.

Quamobrem incumbant, Dei amore, in munus suum omni cura et contentione, procul habitis omnibus aliis occupationibus, quae animos avocare et distrahere possint. In quo sane scrupulum haud levem duci et haberi par esset; adeo ut non semel animum subierit cogitatio, an expediret mulierum confessiones Superioribus interdicere, quod his audiendis multum temporis exiguo fructu conteri soleat, via sterni ad visitationes, turbari interdum etiam per aemulationes aliasque occasiones pax domestica, non sine magno debitae erga Superiorem reverentiae amorisque detimento. Dedant se orationis rerumque internarum studio, quemadmodum Regula praecipit, et D. Bonaventura Sanctique omnes vociferantur, ac nos ipsi diversis epistolis instructionibusque nostris abunde commonuimus. Examen adhibeant, non modo defectuum personalium, sed eorum etiam, qui ad Superiores, quatenus in eo munere versantur, proprius spectant.

Inculco etiam atque etiam quanto possum animi sensu, quod multis ab hinc annis de hora Considerationis praescriptum est; quam et ab effectis ipsis, et ex variis relationibus sentio, neque adeo universim, neque ita serio usurpari, ac Societatis necessitas postularet. Legant studiosissime S. Bonaventurae opusculum *De sex alis*¹ (quod in hunc usum brevioribus paginis efformandum curavimus; et sicubi forte non suppetant exemplaria, dent operam Provinciales, ut iterum excudantur), Instructionem quoque nostram, et Indu-

¹ « *De sex alis Seraphim* »: S. Bonaventurae « *Opera omnia* » tom. VIII (Ad Claras Aquas 1898), p. 181 sqq. Cf. ibid. IV (1889) 345.

strias, ac prae omnibus aliis Regulas sui officii. Meminerintque hoc a se primum exigi, ut praesentes Collegio quisque suo adsint, non tam corpore, quam mente et attentione: sui muneric esse invigilare, arguere, corrigere, exhortari, obviam ire malis eorumque occasionibus, praelucere exemplo objectasque difficultates forti et constanti animo pervincere. Nec leviter peccare se credant, si incuria vel negligentia sua permittant, ut peccata quamvis levia propagentur; quando his disciplina enervatur, et religionis facies ac nitor obdicitur, dum nescio qua ignavia perversaque consuetudine, quae parvi fiunt, magno sane cum incommodo et noxa contemnuntur; qualia sunt neglecta silentii observatio, crebrae confabulationes, sermonesque rerum novarum, murmurationes et susurrations, literas dandi atque accipiendi impunitas, prolixa cum feminis colloquia, inutiles visitationes, et alia id genus; quae quoniam quibusdam in locis usitatoria sunt, Superiorum oculos, licet magno aliqui zelo videantur, non perinde offendunt. Et tamen ab hisce defectibus gravissima interim damna consequuntur: praefocatur spiritus ac devotione; minuitur affectus et observantia adversus Superiores; laeditur aedificatio proximi bonumque nomen ac fama Societatis; unio denique et caritas fraterna labefactatur. Et tamen dissimulat conivetusque Superior: non ignorat amaritudines et aversiones domi versari; et has tolerat, cum officii ratio eas quam primum excidi, fratrumpque gratiam reconciliari jubeat: cumque omnes ejusmodi culpas ex gravi damno, quod inferunt, non metiantur, ut deberent; earum quoque occasiones, quae ex variis cupiditatibus, aemulacionibusque humanis nasci solent, non anteverunt.

Hoc igitur caput impendio quam maxime commendatum cupio; in memoriam revocans quod S. Benedictus in Regula sua monet, *ut sciat Abbas, culpae pastoris incumbere quidquid in oib[us] patr[er]familias utilitatis minus potuerit invenire*¹. Quasi docere vellet, severissimam a nobis rationem exactum iri, non solum de jactura, verum etiam de parvo quaestu, hoc est, de exigua perfectione et profectu, quem Dominus in subditis nostris, filii suis, nactus fuerit.

Advertant Superiores, quod, dum amari quandoque student, non solido ac spirituali affectu, sed humano, subditis suis displicere timent, adeoque habenas remittunt. Sed Dei justo fit judicio, ut hi multo minus amentur quam ceteri; cum solidus amor vitae exem-

¹ Cap. II; Migne PP. lat. LXVI, 263.

plo, et opinione sanctitatis, veraeque erga subditos caritatis demonstratione, non hujusmodi indulgentiae actibus, concilietur.

Et quoniam non potest Superior per se omnia complecti solusque omnia administrare; necesse est S. Bonaventurae consilio utatur, quod in quinta Ala, quae est *Discretio*, his verbis exposuit: *Spiritualia vero, et quae ad salutem necessaria sunt et profectum virtutum, principaliter debet animarum custos et rector sibimet curanda retinere; cum haec sint de substantia officii pastoralis, et de his maxime sit in judicio rationem Domino redditurus. Haec sunt, qualiter Regula studiose servetur, et talia statuta, et Ordinis disciplina: item quod pax et dilectio sit inter fratres: item ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere, et de quibuslibet perplexitatibus expedire; pericula peccatorum praevidere et praecavere; monere fratres ut proficiant, corrigerem corrigenda, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congrue administrent, quo et fratribus, prout convenit, sufficiant, et conscientiam non offendant*¹.

Maximi, opinor, refert ad bonam gubernationem, si Superiores locales Admonitorem suum libenter audiant: et cum de re quapiam admonentur, hanc tamquam gubernationi suae utilem et commodam, non quasi illius notam aut reprehensionem excipient: multo-que magis, si, cum Provincialis ad visitationem aggreditur, non illum censoris loco habeant, quasi ad ipsos deprimentos, eorumque in subditos auctoritatem extenuandam advenerit; sed ut eum potius, qui majore sua auctoritate auxilio futurus difficultatesque contrarias sublaturus sit. Quod ita reapse continget, si Rector humilem se illi, subordinatumque praebuerit; et perfecta cum illo consensione rerumque omnium communicatione usus fuerit. Juvabit praeterea non mediocriter, si, cum Provincialis ad visitandum venerit, since-ram et ipsi conscientiae sua rationem illi reddant de singulis, in quibus erratum a se circa officium et de impedimentis, quibus in eodem retardari se sentiunt. Ac fortasse intererit prima hac vice conferetque ad meritum et auxilium, si ad nos etiam de eadem re scribant, adjectis difficultatibus, quas ipsi sua culpa experiuntur; ut informatio, quam de Collegii sui statu mittent, non ea solum comprehendat, quae ad ceteros pertinent, sed humilem simul eorum, quae ad ipsosmet spectant, narrationem: quod multi jam ma-

¹ « De sex aliis Seraphim » c. 6, n. 13, (edit. et tom. cit., p. 145).

gno animi candore alias fecerunt faciuntque etiam nunc fructu, ut quidem spero et sentire illos arbitror, minime poenitendo.

Oro ad extremum, et quanta possum contentione obtestor, ut tanti momenti opus serio omnino ac toto pectore amplectantur: neque committant, ut tot Ordinationes, Instructiones et conatus testimonium in die mortis contra nos dicant, si in usum non inducantur et in libris tantum otiosa jaceant. Hoc modo et me et seipso magnis, quae impendent, periculis liberabunt. Idque demum simul omnes praestiterimus, quod a nobis requirit, tum beatus Pater noster, qui e coelis nos respiciens clamare quodammodo non cessat, *Hoc agite;* tum fides, qua carissimae parenti obstricti sumus; tum ipsum denique, quod Deo Domino nostro debemus, obsequium: cuius gloriam impensisssime ac studiosissime sectari nos decet, cum eos curae nostrae commiserit, quos non solum pretiosissimo Sanguine suo redemit, sed singulari etiam amore ac providentia in hanc sanctam vocationem perduxit.

VI.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 4 FEBRUARII 1606.

De rebus praecipue tractandis in Congregationibus provincialibus.

Semper quidem divina Bonitas ingens in nobis desiderium accedit profectus et perfectionis nostrae Societatis promovendae, cum operis hujusce sui quanta sit moles, et quanti inde fructus in Ecclesia, quanta suae divinae Majestatis gloria existat, ostendere assidue dignata sit. Sed hoc tempore, ut impensis quam alias unquam tentare omnia ad eundem finem optemus, facit et experientia tot annorum, et obligatio officii perspecta nobis in dies magis, et *velox tempus depositionis tabernaculi mei*¹, cum ante judicium divinum sisti me oportebit, verentem ne inutiliter ac proinde cum damno locum hunc occupasse deprehendar. Et sane ad hunc usque diem remedia complura excogitata et adhibita sunt, ut Reverentiis Vestris notum est: sed, quod necesse est in mystico corpore, quod tot mem-

¹ Cf. 2. Petr. I, 14.

bris et quidem liberis constat, invenire semper erit et quod emendetur et in quo crescat. Nam, quod ait sanctus Leo de personis particularibus, *per temporum spatia lucra debemus facere virtutem, non damna meritorum*, multo magis necessarium est in ejusmodi corpore, ubi et decursus temporum, et multitudo eorum qui admittuntur, et eorum qui affectus suos haudquaquam strenue domuerint, et indulgentia languorque Superiorum si paulatim cresceret nobis non adversantibus, causa esse possent, cur totum corpus per momenta singula deterius haberet. Proinde nobis accurate non modo tanti corporis nobilitas et pretium, sed imminentia etiam pericula pervidenda sunt, ut ad perfectionem promovendam omni studio excitemur.

Ego sane cum hisce diebus de Amore divino, et diligentia ejus, uti par est, sine remissione, sine intermissione et sine divisione quaerendi meditarer, deque cura et sollicitudine illi placandi, ac de ipsius in omnibus tum voluntate sequenda tum gloria sincero spiritus conatu procuranda; valde me stimulari sensi verbis illis Deuteronomii, quibus Dominus, cum exaggerasset amorem sui ex toto corde, tota anima, et omnibus viribus, illa subjecit, ostendens nobis ratione servire illi et obedire debeamus: *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo: et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in iis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in lamine et ostiis domus tuae*¹. O Bonitatem divinam! O ingratitudinem nostram! Perpendite, obsecro, verba singula, et attendite utrum sine confusione et rubore considerari queant: Atque eo quidem tempore cum hebraeo populo Deus loquebatur, neque Filium suum carnefactum adhuc miserat, neque nos ipsius divino sanguine redemerat, adoptarat, ornaverat, neque corpore ejusdem sanguineque nos tam dulciter paverat. Igitur quae summa erit debiti nostri, qui, praeter communia Christianis omnibus beneficia, tot Religionis privilegiis et obligationibus incitamus ad illum perpetua memoria colendum, et ad obsequia eidem omni studio et perfectione praestanda? Quo animi sensu, quo ardore exquirendus nobis est et amor et obedientia erga illum? Evidem his de causis tacere non potui, nec omittere, quin effunderem quod sentio in sinus vestros.

¹ Deut. VI, 6 sq.

Velim omnia tentemus, ut simus meliores atque ad sublimiora excitemur.

Et quoniam saepe jam cum Patribus Assistentibus varia excogitavimus, rationesque praescripsimus, quae ad eam rem idoneae videbantur: statui nunc a Societate universa expetere, non solum opem orationum quae ordinarie fiunt, sed opera etiam atque consilii, quod ex occasione Congregationum provincialium spero fore expeditissimum. Opto igitur, ut postquam Superiores omnes Provinciae convenerint, qui juxta n. 8 formulae suis e Collegiis proficiisci debebunt instructi judicio et notitia suorum, Provinciales cum ipsis primum agant urgeantque, ut serio et diligenter ad interna se applicent, curamque rerum spiritualium et communicationem cum Deo cordi habeant in primis; memores ejus quod S. P. N. scripsit quarta parte Constitutionum capite 10; et in primo statim aditu Regularum ipsorum positum est: *Rectoris officium erit in primis oratione et sanctis desideriis totum Collegium veluti humeris sustinere*, cum reliquis omnibus quae toto illo n. 5 sapientissime comprehensa sunt. Quid autem unquam illi praestare poterunt, si distrahi se, et tantum non obrui sinant mole rerum externalium in custodia interioris hominis negligentes? Legant praeterea Instructionem nostram pro Superioribus, cuius initium est: *Quandoquidem post varias*¹, et literas item nostras datas ad Superiores anno 1604 die 20 Augusti²; expendantque accurate haec omnia, et de seria executione cogitent diligenter.

Porro Provinciales in ipsa prima exhortatione ad Patres Congregationis, tum ipsis, tum Professis qui aderunt, ostendant, quam tam caritatem et fidelitatem Societati singuli debeant, quo ve zelo boni communis inflammatos omnes esse oporteat. Merito proinde studeant excogitare per se quisque, quidquid hoc ipsum commune bonum conservare atque amplificare posse videatur. Explorent, num aliquid circa curam spiritualem internamque culturam desideretur; num peccetur quidquam circa paupertatem; puritas ecquanam ratione servetur; obedientia quemadmodum vigeat; utrum fraterna caritas intepescat, an simplicitas paulatim amittatur, et patrociniorum favorumque praetextu degeneret in politicam; ministeria zelus que animarum utrum languageant an efflorescant; Ordinationes qua-

¹ Ad augendum conservandumque spiritum in Societate.

² Supra p. 32 sqq.

nam ratione serventur, et quaenam neglectui habeantur; atque alia hujuscemodi gravia et substantialia. Circa quae omnia tria praeципue a quolibet examinanda erunt: primum quae damna Provincia passa sit; secundo ex quanam radice nascantur; tertio quae-nam adhibita remedia, quaeve ipsi judicent opportuna? Cumque in his quinque sexve dierum considerationem et preces posuerint, Deputatis quae occurserint scripta tradant. Neque tamen haec in Congregatione tractari volumus: nam, praeter alia incommoda adnexa, res longissima foret ista discutere; vota autem exigere, et quae oportet statuere intra praefixum tempus, quod prorogari non debet, per difficile. Satis autem erit, agi in Congregatione, et quoad res ipsas et quoad modum, juxta formulae n. 32. Cumque Deputati una cum Provinciali et Procuratore electo collegerint omnia, conjunctis iis quae eadem erunt, et addito numero proponentium: v. g. defectus in studio orationis: ita sex, septem etc. aiunt; nimirum N. N. no-minibus appositis singulorum: idoneum hoc illudve remedium vide-retur judicio trium vel decem etc.; ea Procuratori ad nos deferenda Romam committentur. Quod si quis nobis maluerit suam sententiam secreto exponere, si praesertim agatur de personis, sive Superiores sint, sive alii quicumque, eam literis clausis proprio tamen nomine subscriptis complectantur, et vel iisdem Deputatis vel ipsi Procuratori tradant, ut ad nos clausae literae afferantur. De apertis vero conferant inter se iidem, hoc est Provincialis, Deputati et Procurator, atque suum circa ea judicium exponant.

Haec porro ubi Romam omnia ad nos attulerint Procuratores, usui valde nobis erunt. Et siquidem hic, solitis acceptis informationibus rationibusque examinatis Congregationum omnium, Societatis necessitates postulare non videbuntur Congregationem generalem, nos ex ea notitia non parum lucis et virium hauriemus pro augmentatione et perfectione Societatis. Sin autem cum Procuratoribus indicere statuerimus eandem Congregationem, etiam tum haec silva rerum propositarum et judiciorum magnae illi esset utilitatis. Et quoniam in his quoque provincialibus intersunt Dei servi tam multi sincerissimis animis in ipsius nomine congregati pro bono suae Religionis, non dubito, quin ille sua cum divina gratia iisdem aderit, ut salubria et utilia afferantur. Atque ut cum sancto Leone concludam: *Angelorum nobis in tot Sanctis sentio interesse conventum;* nec dubito abundantiori nos divinae praesentia gratia visitari;

quando simul adsunt, et uno lumine micant tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima Corporis Christi ¹.

VII.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE

EPISTOLA AD PROVINCIALES CUM MONITO 29 JANUARII 1611.

De institutione Scholasticorum.

Etsi plerisque nostris Ordinationibus ² et Instructionibus ³, quas et deputati Patres et Congregationes ipsae generales approbarunt, id hactenus efficere studuerimus, ut in institutione Fratrum nostrorum Scholarium quam proxime assequeremur mentem B. P. N. Ignatii, quam in Constitutionibus, maxime vero aliquot capitibus tertiae et quartae partis ipse nobis expressit; quia tamen et multiplicatio personarum, (neque enim in communitate numerosa est adeo facile tantam ab unoquoque perfectionem exigere) et opinio quae-dam admodum perniciosa, quae nonnullorum forte Superiorum animis haerere posset, ab juvenibus nimirum et adhuc novis tantam virtutem non esse requirendam, nos non parum habent sollicitos; ideo nos ad haec perscribenda sensimus vehementer impelli, nempe ut Reverentiam Vestram commoneremus illius vigilantiae, quam ad hoc negotium de quo nunc agitur videt esse pernecessariam, ne ipso assiduo rerum usu tamquam torrentis impetu abripi nos incaute patiamur, sed potius ut in isto excrescente numero personarum magnum omnino delectum habeamus, delectosque accurate ad spiritum et religiosam disciplinam informemus. Gravis quippe foret error, si levi quadam dumtaxat et quasi adumbrata virtute aut spiritu in praesens contenti, blanda spe solidioris postea virtutis consequendae abduci nos a rectissima Constitutionum semita pateremur. Meminerimus, quaeso, Patres mei, juvenes istos ad sublime quoddam vitae institutum vocari: ad ministerium nempe in quo se Christi Ecclesiae operarios irreprehensibles exhibeant. Neque committamus, ut istis nimia nostra indulgentia contingat, quod nonnullis interdum concionatoribus videmus accidere; ut dum multa in iis vitia dissimilantur.

¹ Sermo II, c. 2; M. P. I. LIV, 143.

² Ord. Gener. c. XIII.

³ Instr. 7 et 17.

mulantur praetextu juventutis, aut orationis ubertatis et copiae, sive naturalis ea sit, sive etiam vana et quaesita, illa ipsa vitia pravo usu sic inveterata adhaerescant, ut ab ipsis expedire sese posse, etsi maxime velint, nequaquam possint. Ita vero nollemus Fratres nostros Scholares, quod mature praemoniti adjutique non fuerint, suis postmodum imperfectionibus callum obducere, vixque tenere rationem acquirendi mediis in ministeriorum occupationibus illam conscientiae teneritudinem orationisque et reliquarum virtutum usum, quem studiorum tempore non acquisierint.

Quocirca non nisi consulto inculcatum a B. P. N. putare debemus illos esse in spiritu promovendos, ac proinde quaevis impedimenta majoris spiritualis profectus ab iisdem removenda. Eam vero ad rem scriptum videmus capite I. partis tertiae Constitutionum multum conferre: *ut omnem communicationem per verba et scripta abjiciant cum iis, qui in proposito sibi Instituto intepescendi causa esse possent, et ut in via spirituali incedendo cum iis dumtaxat personis, et iis de rebus agant, quae juvent in divino obsequio ad id consequendum, quod in ingressu Societatis sibi ut scopum praefigebant.* Et capite VI. partis quartae vult omnes distractionum causas studentibus subtrahi, licet res piae forent atque ad utilitatem proximi spectantes; dum tamen *fervore studiorum non intepescat solidarum virtutum ac religiosae vibiae amor.* Sexta vero parte, capite III, ne proiectiores quidem praeteriit, quin moneret *relaxationem* in spiritualium rerum usu efficere, *ut fervore spiritus refrigerescente humani ac inferiores affectus incalescant.* Superioribus idcirco cavendum, ne segniores aut remissiores fiant in admonendis junioribus, iisdemque excitandis, redarguendis et corrigendis. Praeclare quippe ait Joannes Climacus in illo sane pretioso libello, quem de pastorali officio inscripsit, nunquam cessare superiorem debere ab admonendis suis ovibus verborum fistula, tum maxime cum eas somnolentas animadvertit. *Nihil enim, inquit ille, tantopere lupus reformidat quam pastoris sonum ac vocem*¹. Notarat autem capite VI. dictum ab Apostolo: *Insta opportune, importune* (2 Timoth., iv, 2): *opportune, inquit, propter eos qui monita lubentes admittunt; importune autem, propter ceteros qui reprehensiones non nisi aegre ferunt*².

Jam vero, ut paucis multa complectar, vereor certe plurimum ne

¹ C. VIII; Migne, PP. graec. LXXXVIII, 1183.

² Ibid. 1179.

variis in rebus peccetur, neve recreaciones a Religione concessae pro moderata cura tuendae ad majorem Dei gloriam valetudinis ac vi- rium corporis, incipient in plerisque fieri sensuales, et impedimento esse internae mentis recollectioni, modestiae ac verecundiae, quae illam aetatem praecipue decet. Quamobrem nonnulla commendanda haud pigebit adnotare. In primis exsecutionem praescriptarum Ordinationum, quod unum instar multorum est; deinde ut magno studio rebus illis quae spiritum promoveant incumbatur; cujusmodi sunt meditatio, lectio spiritualis, quam praefiniri oporteret iis qui- bus opus fore judicarit spiritualium rerum Praefectus, qui juniores alloqui saepius omnino debebit subindeque restaurandum curare, quod sensim deperditur. Tertio, ne redditio rationis conscientiae levis sit et perfuntoria. Ut autem ea recte procedat Superiores se amabi- les exhibeant, patienter et cum caritate suos audiant, secreti sint te- naces, nihilque omittant quo putent subditos induci posse ad since- ram sui manifestationem; quin eosdem quoque, si forte uspiam hae- rerent, animent atque allicant.

Quarto, sciant omnes valde perniciosum esse, si quis sibi per- suadeat alienos defectus non debere aut posse manifestari; maxime ubi peccatum aut peccandi periculum apparet. Quin etiam sola su- spicio satis esse deberet conscientiae timoratis, ut ad Superiorem pro suo aliorumque bono recurrent, more parvolorum qui, si quod horrificum eorum se aspectui objiciat, protinus in sinum matris con- fugiunt seseque abdunt. Enimvero meminerit Reverentia Vestra, quod in ejusmodi negotio post maturam deliberationem ac diligens studium multorum praecipuorum theologorum definierit unanimis consensus Congregationis sextae generalis¹: adeo ut non modo contrariam omnino sententiam vel opinionem, quae Fratres nostros a proposito fine retardare posset, eradicare oporteat, sed et diligen- tissime sit perquirendum, si qui forsitan aliud docerent aut consu- lerent. Eos namque juxta Constitutiones alio amandare cogere- mur dicente Scriptura: *Ejice derisorem, quales hi censeri debent, et exhibet cum eo iurgium*². Grave nimis quippe malum foret Religione labefactari nec remedium tamen adhiberi posse, propterea quod vitia erroresque reticeantur, et sane qui tales essent, quos li- quet nihil habere bonae mentis, persuadere sibi deberent, se non

¹ Deo. 32.

² Prov. XXII, 10.

modo sibi aliisque perniciem creare, sed grande quoque Dei iudicium arcessere; quod ait S. Bernardus de obtrectatoribus¹. At illis sunt hi, de quibus loquimur, longe deteriores.

Quinto loco notamus spiritum nihil promoveri aut communem caritatem a privatis quorundam amicitiis et familiaritatibus, quae licet ad nihil quod dedebeat progrediantur, (quo tamen credibile est daemonem velle sensim pellicere), at Religioni, ut ait S. Basilius, vehementer nocent². Idcirco eo studiosius tollendae ac mortificandae, quo magis intempestiva sectari colloquia videbuntur, iisque in locis, ut aliorum conspectum refugiant. Huc refertur ingressus in aliena cubicula sine facultate; modus denique agendi, qui plus prae se fert sensus ac naturae quam religiosae caritatis et modestiae. Quin et alium tangere contra Regulam non usque adeo negligendum, ut propterea et disciplinis et gravibus aliis reprehensionibus, ut fieri in Societate consuevit, multari non oporteat, quos in ea re deliquisse contigerit. Ideoque monendi erunt Fratres nostri, uti pariter monere non vereantur, si quos secum hujusmodi familiaritates inire velle animadverterint. Mihi etiam displicet abusus nimium jam introductus dandi videlicet atque accipiendi scripta, imagunculas, reliquaria et alia ejus generis, quae per speciem devotionis aliud non efficiunt quam ut concilientur amicitiae. Cui certe rei ut remedium quaeratur, non modo reprehensiones erunt adhibendae, poenitentiaeque injungendae, si quando sine licentia id committetur; sed ejusmodi etiam licentia a Superioribus neganda, sicubi causa aut aedificationis, aut alioqui rationi congrua non apparebit; quae profecto in his casibus erit rarissima. Istud porro, quia jam serpit latius, eradicare penitus Reverentia Vestra connitetur. Nam praeterquam quod importuni sunt iis in rebus corrogandis, quas postea dare possint, similesque defectus committere clanculum assuescunt, ex aliis praeterea circumstantiis videre est tot inde oriri incommoda, ut eorum catalogus bene longus possit conscribi. Sed ea satis perspecta habet Reverentia Vestra, nos vero non pauca eorum scimus exempla.

Ceterum non possumus non inculcare summopere tamquam rem magni momenti exactam observationem Ordinationis illius, quam

¹ Serm. XVII de divers. n. 2-4; Serm. XXIV in Cant. n. 3 sq.; M. P. I. CLXXXIII, 583 sqq., 895 sq.

² Sermones ascet. I, n. 5; II, n. 2 (dubii auctoris); M. P. g. XXXI, 879, 885.

a P. Everardo¹ praedecessore nostro s. m. praescriptam habemus circa usum librorum prohibitorum. Dubitari enim potest, ne quid in hac re negligentiae subrepatur, et per causam purioris linguae latinae aut vernaculae perdiscendae habeantur leganturque libri ejusmodi, quibus non modo intepescat aut etiam evanescat ille spiritus, quem variis alioqui pietatis exercitationibus fovere atque augere contendimus, sed etiam religiosae mentis puritas labefactetur, quam certe infici, ut affirmat *Cassianus*², vel ipsis cogitationibus vanis et otiosis nedum impuris minime dubitandum est.

Monitum de eodem argumento.

Tanta est vis puritatis, ejusque tanta in exercendis Societatis ministeriis necessitas, ut merito nos habeat sollicitos quidquid illud est, quod in ea pluribus jam ex locis desiderari accepimus. Et quamvis, si universe loquamur, quantopere divina Benignitas hac in re Societati nostrae tot occasionibus expositae faveat agnoscamus, dum integrum eam illibatamque custodit; potest ea tamen labi loco adeo lubrico: idque ne contingat sive ex Superiorum incuria, sive ex ipsa vitiatae naturae proclivitate, veremur plurimum. Quamobrem ut nostro satisfaceremus officio, Superioresque excitaremus, dum eos pariter, quod suarum est partium commonemus, praeter tot remedia primum a B. N. Patre praescripta, tum etiam a nobis, ut occasio se dedit saepius, quae si observarentur forent satis, epistolam huic adjunctam scribere operae pretium putavimus; quae licet agat de perfectione, ad quam Fratres nostri Scholares animandi sunt, nempe ut publice omnibus praelegatur, revera tamen scripta est ut iis rebus, quae puritatis integritatem labefactare usquam possent, iretur obviam. Ideoque Reverentiae Vestrae serio valde commendatum cupimus, ut tum per se, tum per Superiores locales, quae in illa epistola praescribuntur, exactissime curet observanda. Immediatos vero Superiores commonefaciat, quam severe Dominus Deus exacturus sit ab iis rationem eorum erratorum quae hac in re, de qua nunc agimus, ipsis oscitantibus contingat admitti. Speciatim vero tollendus erit abusus eorum librorum, qui parum probi censemur, vulgari potissimum idiomate conscripti. Nam ex Ordinatione P. Everardi

¹ Cf. Ord. Gen. c. II, n. 1.

² De coenob. institut. l. VI, c. 9, 13; Collatio I, c. 21, 22; M. P. l. XLIX, 278, 283 sqq.; 518 sqq.

s. m. ne quidem magistris, a quibus interdum cum Fratribus nostris communicantur, debent concedi, licet aliqui etiam aliunde curen-
tur. Quocirca necessarium videtur, ut his literis acceptis perqui-
rantur diligenter, qui apud quemcumque sint libri ejusmodi; eo
tamen modo ac tempore, ut, si qui sint, omnino reperiantur, neque
abscondi possint. Faciet autem Reverentiae Vestrae in Domino pru-
dentia et zelus, ut plura monere nihil sit opus.

VIII.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE
EPISTOLA AD SUPERIORES. 28 SEPTEMBRIS 1613.

De urgenda exsecutione.

Scriptum est ad Provincias frequenter pro exsecutione tot Ordinationum, Decretorum et Instructionum, utilium prorsus ac necessariarum ad Societatis nostraræ conservationem et incrementum, magis semper ac magis inculcanda. Quemadmodum autem multis iam annis in gubernatione positis, est enim hic tertius et trigesimus, etiam atque etiam consideravi non sine laeta animi voluptate et gratiarum actione, quae bonorum omnium auctori Deo perpetua debetur, ejusdem Societatis progressus et incrementa suo ubique terrarum fructu non obscura: sic mihi certe diuturnitas temporis praebuit opportunitatem, quin et auxit obligationem ea cognoscendi penitusque per-
videndi, quae religiosos homines utcumque retardant et prohibent ab iis virtutum thesauris adipiscendis, quos ceteroquin adipisci li-
ceret; unde Societatis facies non adeo venusta, decora ac vivida red-
datur, qualis revera appareret, si quae obstant impedimenta tolle-
rentur. Haec igitur sunt quae me impulerunt ad varias subinde Ordinationes atque Instructiones perscribendas; quae quidem uno Ordinationum libro comprehensae, recognitae postmodum et appro-
batae fuerunt auctoritate Congregationis quintae generalis¹. Hac ipsa sollicitudine compulsus Industrias et Instructionem concin-
navi pro Superioribus. Quorum item Superiorum animadversionem et diligentiam ut vehementius excitarem, literas ad eos dedi ple-
niores 20 Augusti 1604². Haec eadem effecit, ut in sexta Congre-

¹ Quoniam jussu Congr. septimae (5 Nov. 1615 - 26 Jan., 1616) anti-
quiores Ordinationes contractae atque in aliam methodum digestae sunt, in
Instituto non habetur hic « Ordinationum liber ». Cf. Inst. II, 339, III, 253.

² V. supra p. 32 sqq.

gatione generali non modo e variis Ordinationibus, quae aliquot ante annis perscriptae fuerant, plures in unum congererentur Instructiones; sed speciatim etiam, instituta solemni ea de re consultatione a Patribus deputatis, exarata sit peculiaris Instructio pro executione urgenda¹. Imo vero confectus elenchus duplex; alter quidem earum rerum quae ad Provincialis munus spectarent, alter autem earum quae Praepositi et Rectoris essent propriae, ut multa compendiario quasi colligata ipsi haberent ad manum, ac veluti in imagine semper ob oculos expressa, quaecumque pro Dei gloria et Societatis bono exsequenda forent. Jam vero cum pleraque nihilominus in nostrae Societatis hominibus desiderari animadverterem, consultavi denuo cum Patribus Assistantibus diligenter de causis damnorum ac remediis; tandemque, applicatis ad eam rem aliquot Sacrificiis et orationibus, haec nobis digna sunt visa, quae Superioribus iterum atque iterum commendarentur.

Provinciales in obeunda Provincia exacte servent Instructionem pro Visitatione quae est 13. in libello Ordinationum Congregationis sextae generalis². Quin etiam magnopere propter Deum caveant, ne quasi cursim et perfunctorie visitationem instituant, neve prae festinatione aut oscitantia eodem quo antea statu res manere permittant; satis esse post digressum putantes, si commodas ordinationes praescripserint, quae sua quasi sanctitate Collegium tueantur. Praesentes itaque debebunt Ordinationum curare proxim, et efficere ut, ipsis quoque absentibus, vigeat perpetuus executionis usus, de quo fiant a Consultoribus suo tempore certiores. Quocirca necessarium nunc quidem arbitramur statuere, ut Provincialis in singulis Collegiis coram Rectore et Consultoribus instructionem eorum, quae est pro executione, percurrat, tum videat num ad proxim revocetur, et mandet ad se referri, si quando quippiam non observaretur.

Commendatur accurata observatio II. Instructionis de aptis ad gubernandum³ deque modo eosdem formandi atque exercendi: neque enim satis est convenientem modum praescriptsisse, nisi ad notitiam rationis ipse postmodum usus accedat.

Instruere atque formare Praefectos rerum spiritualium tanti debet aestimari, quanti ipsa conservatio, et recta Societatis admi-

¹ Instr. XVIII; cf. Congr. gen. VI, decr. 36.

² Instr. XXI.

³ Ordin. Gen. c. XVII.

nistratio. Propterea majorem in modum commendetur observatio, praxis et frequens lectio illius XX. Instructionis¹, quae tota de hoc argumento fuse disserit. Qui vero jam Praefectos agunt, interrogari eos oportebit de studio quod in eo munere adhibent, perlectisque coram iis proprii officii Regulis excitari animarique vehementius ad executionem promovendam, cuius videlicet defectu corpus Religionis plane languescit.

Iisdem Praefectis incumbit singulos ad studium orationis acuere, ad usum item examinis et quotidiani et particularis, ut in ejusmodi exercitiis non inanis ab unoquoque diligentia conferatur; particularibus quoque definire ac praescribere tempus lectionis spiritualis, et longioris pariter orationis, prout cujusque feret necessitas. Quam ad rem juverit meminisse illius dicti sancti Bonaventurae, quod ipsi aliquando retulimus: *Aridam nempe, languidamque fore Religionem, quae plurimum non habeat orationis usum*².

Recreaciones plerisque in locis non eo, quo praescribitur, modo peraguntur. Neque enim observatur caput 9. Instructionis I. de renovatione spiritus³. Enimvero cum tam serio in postrema Congregatione generali actum fuerit ea de re, quae praesenti remedio indigeret, quaeque plus damni inferre posset, quam crederetur; mirum profecto est, id nullius pene momenti putari, viderique Superiores quasi taedio victos ac remedii spe desperata, id prorsus negligere. At enim contra potius adlaborare, quantumque viribus conniti possunt, contendere illos oporteret, atque efficere, ut ad proxim revocetur numerus ultimus illius Instructionis; nempe ut non modo syndici adhibeantur ad eam rem idonei, qui commissa Superioribus indicent, verum etiam probi subinde viri ac spirituales submittantur, qui sermones religiosae recreationi convenientes inducant.

Caritas et unio fraterna nonnihil interdum laeditur; neque tamen Superiores semper id curant, ut statim redeatur in gratiam juxta regulam 33. Praepositi et 32. Rectoris, quae sumpta est e capite primo Constitutionum parte tertia n. 18. Sed vero, quod maxime dolendum est, praecipua discordiarum causa et origo est ipsius linguae immoderata licentia, in qua graviter omnino peccatur. Ac sane dubitari potest, ne practico saltem intellectu (id enim opera

¹ Instr. X.

² Cf. Opera VIII (Ad Claras Aquas 1898) 350; Epist. Praep. Gen. I (Rollarii 1909) 206 sq.

³ Instr. XIII, c. 9.

demonstrant) in errorem inducantur nonnulli, arbitrantes non posse illa qualicumque libertate linguae gravissime delinqui. Legant omnes, quaeso, tum Superiores tum subditi, caput XVII. nostrarum Industriarum, ubi hoc ipsum argumentum pertractatur; ac meminerint illius praeconii, quod matri suae tribuit S. Augustinus libro IX, capite 9. suarum Confessionum. Illam quippe, ait, inter dissidentes atque discordes animas ita se pacificam praebere solitam, ut, cum ab utraque multa amarissima, praesentemque amicam de absente injuriose detrahentem audisset, *nihil tamen alteri unquam de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret.* Tum autem subjungit idem Augustinus: *Parvum hoc bonum mihi ridetur, nisi turbas innumerabiles tristis experirer, nescio qua horrenda pestilentia peccatorum latissime pervagante, non solum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, sed etiam quae non dicta sunt addere. Cum contra homini humano parum esse debeat inimicitias hominum nec excitare nec augere male loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit, qualis illa erat, docente te magistro intimo in schola pectoris*¹. Qua in re, non solum errant graviter qui sic obloquuntur, sed nec vacant culpa, qui praebent aures obloquentibus. Neque enim abs re monet Scriptura: *Sepi aures tuas spinis*²: et alibi *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem*³. Adeoque nusquam nisi severiore vultu intuendus foret, qui ea spargit, quae fraternalae caritati adversantur.

Quocirca vehementer opto, ut et Superiores advigilent ad hujuscemodi venenatarum radicum fibras evellendas penitus; et quicunque delatores seu discordiarum seminatores deprehendentur, ii severe non tantum verbis, sed poenitentia quoque adhibita, si quidem res ita feret, castigentur. Nequaquam enim admittenda quorundam excusatio, cum dicunt, se id auditu accepisse, non meminisse tamen a quo vel quorsum id prolatum fuerit, nam interea res ipsa in multorum pervadit aures; tametsi alias definierimus, eum, qui hoc in rerum genere delinquentem non manifestari Superiori, haberi oportere pro auctore delicti. Quoniam igitur multis in casibus gravissime peccari potest, ut manifeste constat ex n. 15. dicti cap. XVII. Industriarum, aliaque ex parte sextus

¹ M. P. l. XXXII, 773.

² Eccl. XXVIII, 28.

³ Prov. XXV, 23.

casus inter reservatos complectitur detractionem famae bonaetque existimationis aliorum et discordiarum seminationes inter fratres; visum est nobis necessario ad tempus remedio utendum, quod tamen inviti adhibere compellimur: nempe, ut quamvis in aliis casibus reservatis, ad scrupulos excludendos, fiat Confessariis potestas absolvendi ab eo, quod an mortale sit bona fide dubitatur, in hoc tamen contrarium statuamus: hoc est, ut in casibus detractionis et seminationis discordiarum, si de mortali sint dubii, ab iis ordinarii Confessarii nequeant absolvere¹. Cujus rei haec esse poterit ratio perspicua; quod videlicet reliquis in casibus fere soleant omnes esse cautiiores; doceatque experientia, vix multo tempore facultatem peti pro absolutione ab eo, de quo nunc agitur, peccato, cum tamen ut satis apparet committatur: unde concludamus necesse est, aut Confessarios hac in re laxiores esse, aut poenitentes, nimia illa facilitate procliviores ad linguae lapsus effectos, animo non concipere delicti gravitatem. Qui si animadverterent, confessarium id tanti facere, quanti revera faciendum est, simulque negare absolutionem ipsi non permissam, nisi tamquam pro casu reservato petita facultate; tum vero, cum se iterum ac tertio vel excludi vel in angustias compelli sentirent, oculos profecto mentis aperirent, vitiique deformitatem non ante cognitam perspicerent. Ceterum quia non lingua solum, sed scriptis et epistolis in ejusmodi offensas incurritur persaepe; invigilent Superiores his scriptionibus, tantamque harum crebritatem circumcidant res praesertim novas scriptitantium, et omnium maxime sicubi alterius existimatio, etsi non de industria, laederetur, odiumque cuiquam aut invidia crearetur. Hoc porro Superioribus commendatissimum esse velim.

Considerationis hora, tantopere inculcata Superioribus c. XIV inter Ordinationes Generalium², visa est adeo necessaria tantique ponderis, ut ejusdem capituli n. 3. dixerimus, putare nos, eam vel in virtute sanctae obedientiae praecipi merito posse; quo tamen praecepto semoto, propterea quod Superiorum obedientia et in Societatem praecipuu amor tam vehemens calcar excluderet, nos ab illis

¹ Haec restrictio postea revocata est mense Aprili 1616; cf. Ordin. Gener. c. VI, n. 8 - Ordinationes uti jacent jussu Congr. VII, 29 Januarii 1616 editae fuerunt. Inst. III, 253 sq.

² Cf. Ordin. Gen. c. II, n. 5; Instr. R. P. Claudii Aquavivae, c. I. « Radices » n. 3.

eandem ipsam quacumque possemus efficacia flagitare. Provinciales itaque Rectorum conscientias ad hujusce Ordinationis accuratam observationem diligenter exstiment. De qua ipsi quoque sollicite inquirent, tamquam de studio, ex quo vere magna parte pendet quidquid hactenus inculcatum est de executione deque spiritu promovendo, quin etiam, ut uno verbo dicam, recta Societatis administratio.

Maximum perinde damnum experimur, quod tantum sibi assumant Superiores, ut pro arbitratu se posse putent in Regulis et Ordinationibus dispensare, easve habere neglectui, aut permittere, ut abeant in desuetudinem; cum tamen dicat in Constitutionibus B. P. Ignatius, quod soliti sumus inculcare, tum Superiores posse in iis dispensare, quando eam fuisse mentem legislatoris in re aliqua particulari judicarent juxta eventus rerum et necessitates, majus commune bonum intuendo¹. Qua proinde in re ut nihil gravius committatur, duo spectare debet Superior: alterum quidem, ut praemissum principium certum sibi habeat; nimirum non quidvis a suo arbitrio prorsus pendere, sed eam sibi adhibendam reverentiam et submissionem judicii, quae jure debetur iis Regulis, quas tot profusis lacrimis, tot praemissis orationibus Fundator conscripsit, iis deinde Ordinationibus, quae ab ejusdem successoribus imo et Societate universa in Congregationibus generalibus stabilitae sunt, prou! quidem exstant in libris, qui sunt de Instituto et ratione gubernandi. Alterum autem est, ut, ne quid fiat praeter directionem Instituti, aut ex proprio sensu, ubi se dat occasio, neve omnibus in rebus dubitetur, assiduo studio sibi familiares reddat Ordinationes et Regulas; nominatim vero percurrat identidem elenchum a sexta Congregatione generali confectum². Nec diffidimus, quin Superiores his duobus adjumentis instructi recte suo gubernandi munere sint perfuncturi.

Jam ergo per viscera misericordiae Christi memoria repeatant, quanti aestimare debeant istud Societatis corpus; quanta sit rerum humanarum proclivitas ad deteriorem conditionem, nisi perpetuo quasi reparentur; quam exquisitam Deo rationem sint reddituri, quod dici et cogitari sine tremore non potest, pro tot subditis a sua divina Majestate ad hanc vineam destinatis, qui, cum insigne ope-

¹ Parte quarta, c. X, B.

² Decr. 36, n. 1; Instr. XVIII.

rarii evadere potuerint, suorum tamen Rectorum oscitantia, negligentia, impatientia vel minus utiles evadant, quin et damnosí; et qui denique, vel quia vocationis perdunt gratiam, vel quia dimituntur, a Religione deficiunt.

Quae cum ita sint, ego iterum atque iterum in nomine Domini, et quidem summopere, id omnibus inculcatum velim, quod Scriptura sacra judicibus commendabat¹; ut videlicet attente considerarent et judicium quod in manibus haberent, et opus sibi a Domino commissum. Neque vellem Superiores aut rei difficultate, aut metu disPLICendi subditis, aut studio effugiendi notam aliquam, aut duritia ingeniorum, seu etiam languore animi qui cernitur in nonnullis, remissiores fierent in opere urgendo. Ipse enim est Dominus Deus, qui vere opus efficit quique operarios excitat et eorum sublevat labores. Quorum laborum tametsi potiorem sibi partem vindicat, vult tamen id nos quoque praestare studeamus quod nostrarum est partium. Et hoc quidem est, quod divinum in modum exponit S. Paulinus in illa sua epistola seu historia mirabili aequa ac memorabili, quam de sene illo Valgio catechumeno, postea Victore appellato, ad Macarium scribit². Bonus quippe senex, ut idem Sanctus refert, a Christo Domino permittebatur tantum somni capere, quantum satis esset; tum autem vellicata blande auricula a somno excitatus manum ad opus admovere jubebatur, sed ita quidem ut vel modica adhibita industria leviterque adnitens senex a primo statim conatu suo manibus angelicis res effectas videret; adeo ut vix rudentem attingeret, cum explicata cerneret vela et antennis alligata. Quod si rimosa navis aquam accepisset, eam ille cum vix una aut altera educta situla exhaustire coepisset, navem siccatam advertebat, neque sibi quidquam reliqui esse quod ageret; vehementer admirans, laborem sibi sine labore praecipi, manumque ad opus admotam occulta manu praeveniri: si tamen occulta recte dici potest, quae tam praesens tamque perspicuum praestabat auxilium. Hunc porro animi nostri sensum ipsius rei suavi admirabilitate ponderat idem Sanctus peregrecie, cum ait, sic Dominum seni fesso quietem indulsisse de nocte, ut interdiu tamen vellet eum adlaborare vigilanter: nempe illum in iis verbis, ut Sanctus loquitur, *Domini recognoscens affectum, quo semper ita spem nostram fovet,*

¹ Cf. 2. Paralip. XIX, 6.

² Epist. 49; M. P. l. LXI, 402.

ut sollicitudinem non relaxet; et ideo sic dormire permisit seni fesso, ut ne seni quidem et fatigato sine vigilandi negotio securitatem remitteret; ne scilicet resloveretur in somnos inertes, et inciperet non solum corpore, sed et mente dormire ¹.

Atque haec satis sint in praesens; quandoquidem maxime exopto, ut apud omnes possit amplius atque efficiat tum rei necessitas. quae summa est, tum affectus ille meus quo haec ipsa profero, quam scriptoris genus hoc simplex, tum, quod potissimum esse convenit, divinae gloriae propagandae studium, quo nos teneri omnes atque incendi percupio.

IX.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE

MONITA PRO DIRECTIONE ET INSTRUCTIONE SUPERIORUM ².

PARS PRIMA

De Superioribus in genere.

CAPUT I.

De correctione.

I. Remediorum ratio curaeque methodus ex profunda B. P. N. Ignatii Exercitiorum cognitione et experientia potissimum sunt eruenda.

De correctionis autem modo agitur in epistolis de felici progressu Societatis ³, de mediis ad ejus conservationem ⁴, et in Industriis.

1. Ut fructuose remedia applicentur, non tantum probe intelligendi tres correctionis modi, quos B. P. docuit *parte tertia cap. I. declar. N*: Nempe, ut *ii qui peccant primo in caritate et dulcedine admoneantur, secundo in charitate quidem, sed eo tamen modo ut iis confusio et rubor injiciatur, tertio amori ea quae timorem in-*

¹ S. Paulini epist. 49, n. 6; M. P. l. LXI, 402.

² Monita haec R. P. N. Claudius Aquaviva selecta ex Praepositorum Generalium Ordinationibus cum novis additis ad directionem et instructiōnem Superiorum Societatis proposuit.

³ Epistolae Praepos. General. tom. I (edit. Rollarii 1909) p. 74 sqq.

⁴ Ibid. p. 183 sqq.

cutiant, si opus erit, adjiciantur; sed quilibet etiam modus certo temporis spatio, donec profuerit, adhibendus, atque interdum tres illi modi plus minusve, prout opus fuerit, permiscendi sunt.

2. Non semper facienda est correctio poenitentias injungendo, sed saepe numero satis erit, si intellexerit subditus culpam suam a Superiori esse notatam.

3. Interdum quaedam prudenter prohibendo, abusuumque causas adimendo, defectus per se absque strepitu corriguntur.

4. Non simul corrigendi multi defectus, sed sensim et ab iis, qui majoris momenti et veluti radices aliorum sunt, incipiendo.

5. Quaecumque vera etsi minima emendatio secuta fuerit, eam Superior laudet et approbet, ostendatque opinionem quam prius de illo conceperat jam mutasse, caveatque ab illo effato a paterna gubernatione alieno: *Qui semel malus, semper praesumitur malus.*

II. Defectus contra observantiam duplicitis generis esse solent: alii malos supponunt habitus, alii non item, licet et ipsi consueti sint.

1. In his posterioribus corrigendis, praeter ea quae dicta sunt supra, illud maxime servandum, ne ullo modo Superior de universa Domo male sentire videatur.

2. Publicae inhibitiones, reprehensiones et poenitentiae, si necessariae sint, multo agitentur consilio, talesque sint ut suaviter impleri possint.

3. In hunc finem praemoneantur viri graviores alii que, qui prodesset aut nocere possint.

4. Juverit opportune dispensare in iis quae injuncta aut prohibita sunt; prudens enim dispensatio debitam conservat observantiam.

III. Defectus vero qui inveteratos supponunt habitus, quorum cura Superioribus Societatis maxime est propria, nonnulli facile cognosci difficileque curari solent, alii contra difficulter cognoscuntur faciliterque emendantur.

1. Ad hosce emendandos proderunt illa quae voluntatem bene disponunt ea ratione, quae in Exercitiis spiritualibus habetur, praesertim in hebdomada prima, quae tamen, ut docet Directorium, statui et necessitati hominis e Societate sunt accommodanda.

2. Quoad eos qui difficulter curantur, in primis efficiendum est ut quisque persuasum habeat a malo habitu ita mentem excaecari, ut ipse homo de eo rectum judicium ferre nequeat, contrarias ratio-

nes ex amore proprio proficisci, licet ipsi non ita videatur, nullumque haberi efficacius remedium quam a Superioribus veluti caecum duci, atque his similia, quae habentur Industr., cap. I, n. 4.

3. Hac animi dispositione, admonitionis desiderio, suorumque defectuum persuasione suppositis, quod in illo adnotatum est clare congruaque ratione aperiri posset; alias ad meliorem hominis dispositionem differenda est admonitio.

4. Cum vero ex monitione subditus suum defectum plene cognoverit et emendationem aliquam prae se ferret, tunc Superior ad perfectam illius sanitatem operam conferat, contra relabendi tentationes eum muniendo, eique ad continuum in mortificatione progressum animum addendo.

5. Si autem utriusque horum infirmorum speciei ordinaria satis non essent medicamenta, extraordinariis erit utendum, de quibus in parte secunda, agendo de Provincialibus, dicetur.

CAPUT II.

De studio virtutum.

I. Superioris est non solum ad defectuum emendationem, sed multo magis ad virtutum acquisitionem subditum adjuvare; neque Tirones tantum aut incipientes et debiles, verum etiam aetate grandes et in via Dei proiectos: cum B. Pater voluerit, ut hi quoque non modo singulis annis, sed quoties Superiori convenire videatur, conscientiae rationem reddant. Adeoque, quoad fieri poterit, adhibendae sunt industriae, e. g. istae:

1. Contentus non sit, ut in via Dei subditus progrediatur, sed ea ratione progrediatur quam Constitutiones nostrae parte sexta, c. III, n. 1, praescribunt: ut scilicet alia non indigeat regula, *nisi quam discreta caritas unicuique dictaverit*; deinde ut in eodem progressu in dies proficiat.

2. Curet, ut subditorum virtutes sint verae, solidae ac perfectae, prout vocatio nostra postulat, sive quoad domesticam disciplinam, sive quoad ministeria cum proximis.

3. Non conquiescat in quadam universalis et exteriore cura, quae in hoc posita est, ut rerum spiritualium Praefecti, confessarii, Ministri sint idonei, exhortationes, oratio ordinaria et lectio spiritualis suis temporibus fiant, sacramenta statutis diebus suscipiantur, et similia; ut eos qui deliquerint cognoscat, iisque admonitiones at-

que etiam poenitentias injungat; sed peculiarem, immediatam interioremque subditorum curam suscipiat, prout hac de re docet Exercitiorum liber; nimis enim exiguum ostenderet de nostrae vocationis perfectione existimationem, si censeret exhortationes habendo, puncta optima proponendo, visitationes agendo, omni cura vacuos eo tempore relinquendo; efficere se posse, ut illam assequantur.

4. Ut hoc assequatur, Superiori probe cognoscendum est perfectionis Societatis propriae exemplar, virtutum natura et gradus, easdem acquirendi modi, difficultates occurrentes, ad eas superandas remedia, atque hujusce spiritualis magisterii cetera, quae B. P. N. docet secunda, tertia, quarta hebdomada, cum respondentibus adnotationibus, additionibus ac regulis.

5. Juverit etiam subditos mandatis difficilibus et secundum sensualitatem repugnantibus probare, *ut specimen virtutis preebeant et in eadem crescant*. Animadvertendum autem, ut hoc ad hujusmodi finem fiat multaque cum consideratione, nunquam vero ex aliquo inordinato Superioris affectu, sed ea ratione ut subditus ex illo fructum percipiat, eum, nisi jam paratus esset, ad hoc disponendo; ut nimis crebro non fiat, sed eo modo, quemadmodum ait S. Pater, *ut quoad ejus fieri possit mensura et proportio juxta uniuscujusque vires, ut discretio dictabit, observetur*; utque non semper eadem fiat ratione, atque quidquid hujusmodi experimentum, fructumque ex eo intentum impedire posset, sedulo caveatur.

6. Subditis commendet, ut in Regularum observantia, atque in fungendo propriis officiis curent virtutes actu exercere; idemque dicendum de aliis mediis, quae ad Nostrorum perfectionem juvant.

CAPUT III. *De exteriori disciplina.*

I. Quoad exteriorem disciplinam Superiori multa opus est prudenter ac solertia, ne ex ratione negandi aut concedendi quae a subditis petuntur, atque ex hujus vel illius officii attributione tristitia, offensiones murmurationesque exoriantur. Hinc ut hujusmodi periculosa superet incommoda, quae sequuntur advertat:

1. Cum aliqua est neganda petitio, semper curet, ut quoad fieri potest contentus ac cum satisfactione subditus abeat.

2. In concessionibus non ex amicitia vel humana ratione agat,

sed quia ita aequum est ad subditorum affectum sibi conciliandum, et ad observantiam melius ac suavius obtinendam.

3. Ad hunc finem perfecta curetur observantia Regulae 46 Summarii de recursu ad Deum, et de indifferentia ad id quod Superior judicaverit, antequam petitiones fiant.

4. Liberalis sit ac in Domino facilis ad concedendum et unumquemque consolandum; atque ut hujusmodi de se opinionem subditi habeant curet.

5. In dubio num annuendum sit necne, in benigniorem partem potius inclinet.

6. Cum negandum est, si ad hoc subditus non est animo comparatus, responsionem differat ad rem interim considerandam, ut constet eam cum fundamento negari.

7. Rationes ab eo qui petit allatas fusius audiat ac interdum ob causam modo jam memoratam, atque etiam ut hoc pacto subditus magis sibi satisfaciat, in scriptis accipiat.

8. Cum negandum erit, verbis id fiat quae amaritudinem, quam negatio ordinarie afferre solet, temperent.

9. Aliquando ratio afferatur, cur aliquid negetur.

10. Cum omnino danda est negatio, eum qui petiturus esset prudenter ac urbane si fieri potest praeveniat, ne petat ac deinde tristitia afficiatur.

11. Cum multa quae merito neganda sunt subditus petit, neque est animo comparatus, ut omnium negationem accipiat, aliquid saltem concedatur.

12. At si ita male affectus ille sit, et res patiatur, petitioni pro ea vice annuatur; deinde vero postquam deferbuit aestus clare admoneatur, atque ne amplius hujusmodi postulet exhortetur, rationes ei exhibendo, propter quas illa peti non conveniat.

Pari modo sentiendum de aliis hujusmodi industriis, quas Superiorum unctionis spiritus et experientia edocebunt, ac B. P. N. exemplo nobis indicavit.

II. Cum variis officiis applicandi sunt Nostri, Superiores haec advertant:

1. Ne quid statuant praepropere, et absque debita adjunctorum consideratione, plurimumque vel paucorum, pro officii qualitate, peritorum consilio deliberent. Neque sufficit sola de hominum viribus, habilitate et qualitate notitia ex aliorum informationibus, quae diligenter quidem essent examinandae, aut quacumque alia externa

ratione accepta: sed necessaria est vel maxima interioris subditorum status cognitio per conscientiae rationem jam acceptam, aut tum quidem de aliis quibusdam rebus vel quae officium illud respi- ciunt accipiemad.

2. Rectam insuper intentionem habeat Superior, animumque omni inordinato affectu purgatum; spectetque non unam Collegii necessitatem ac temporalem commoditatem, subditique talentum et habilitatem; sed ante omnia Dei obsequium, universale Societas- tis bonum, ac spiritualem subditi utilitatem.

3. Curet, ut subditi non solum perfectam habeant ad quodlibet officium indifferentiam, sed etiam ut intelligent quod B. P. Ignatius ait Examinis cap. I, n. 9; scilicet, *eos in conspectu Creatoris et Domini nostri magis merari, qui majori caritate se impendunt auxilio et obsequio Domini et Societatis ex amore divinae Majestatis, sive in rebus altioribus, sive in aliis inferioribus et humilioribus.* Supposita vero in subdito indifferentia dictoque lumine, at- tendat Superior, ut uniuscujusque talento ac naturali inclinationi officium congruat, atque ut majorem ipsis honorem aestimationemque afferre valeat; quo fiat, ut intensiori studio affectuque in illud incumbant, resque iis perfectius et cum animi consolatione succe- dat. Deinde quidquid, ut bene absoluteque officio perfungantur, necessarium est, iis liberaliter subministret.

4. Superior fiduciam prae se ferat fidemque unicuique in rebus sui officii habeat; cumque eum edocuerit, ne sedulo nimium obser- vet, sed eundem ex se agere permittat, atque quibusdam in officiis laboriosis et molestis verbis factisque eum consoletur.

CAPUT IV.

De mediis ad praedicta recte peragenda.

Sciant Superiores mediis bene uti, quae ad praedicta conse- quenda Societas habet, ut quae sequuntur:

I. *Crebro et magna caritatis significatione alloqui subditos.*

1. Haec esse deberet rationis conscientiae veluti continuatio, at- que ut illius fructus ac praxis.

2. Ad hunc finem Superiori, praesertim si sunt quidam, qui non tam facile ex se Superiores adeunt, ut cum ipsis agant, adhibendas- sunt industriae, quae de recte excipienda conscientiae ratione supe- rius dicta sunt.

II. Exhortationes habere; in quibus haec animadvertisenda:

1. Eae sint tales, quales convenient Superiori palam loquenti ad subditos, quorum defectus, tentationes, mortificationes, inspirationes, etc., ipsi probe cognita supponuntur; ideoque ad hoc spectare debet, ut eos juvet et in via Dei promoveat.

2. Hinc infertur exhortationes non universales ac speculativas habendas, in iisque praecipue tractandas esse res nostri Instituti proprias, ut statuunt Constitutiones parte tertia, cap. I, n. 28.

3. Quod vero magis interest, eodem spiritu peragendae sunt, ac rationibus, mediis incitamentisque nobis propriis confirmandae, quibus abundant liber Exercitiorum spiritualium, Bullae, Constitutiones, Regulae, vita B. P. Ignatii ejusque Sociorum, etc., Societatis traditio: hae namque, ut ex nostro spiritu exortae, in animos Nostrorum magis penetrant uberioremque fructum afferunt.

4. Modus denique exhortandi ne sit pungens, neque acerbus, neque particularibus hominibus accommodatus; sed utique clarus, simplex, Coadjutoribus quoque intellectu facilis et ad omnium consolationem idoneus.

III. Consultationes in rebus occurrentibus adhibere.

1. Hae vero non ea ratione fiant ac si Consultores suffragium haberent decisivum, vel peragerentur ad quandam exteriorem exhibendam satisfactionem; sed ea quae Superiores decet, qui potissimum intendere debent, ut hoc medio Societati a divina providentia concesso lumen a Deo accipient. Ideoque ad consultationes eundum cum animo tranquillo, indifferentia, aliisque virtutibus, quae hominem ad lumen a Deo obtinendum aptum reddunt.

2. Eo fine cavere debet, ne offensionem prae se ferat, cum Consultores exponant quod dici nollet, multoque minus eorum abrumpat sermonem aut iis obstrepatur; insuper ne semper major suffragiorum numerus, sed quae meliora ac firmiora sunt serventur.

3. Consultationes non solum in rebus temporalibus et externis versari debent, sed praecipue in iis quae spiritum in Nostris promovere eosque juvare possunt, ex. gr. in rebus difficilibus, qua ratione defectus aliquis vel malus habitus in communi aut in particularibus auferri possit; quomodo hujus aut illius indigentiae occurrendum, vel quomodo in virtutibus promovendus, etc.

PARS SECUNDA
De Superioribus in particulari.

DE PROVINCIALIBUS.

CAPUT I.

De admissione.

I. Advertant Provinciales multum in hac re peccari a magistris, Congregationum praefectis, confessariis, examinatoribus, Consultoribus, etc.

1. Nonnulli ex immoderato zelo fideles non sunt in debitibus de candidatis informationibus exhibendis; aut eorum talenta nimis exaggerant, aut silent quod manifestare deberent, et interdum quae dari oporteat responsa ipsis suppeditant; et, quod pejus est, excogitant docentque facta impedimenta, ne ingressus differatur.

2. Alii deficiunt in examinando ac bene inquirendo de re a Constitutionibus tantopere commendata; aestimando nimium naturalia dona ingenii, habilitatis, nobilitatis, divitiarum, urbanitatis, etc., non vero quantum deberet spiritualia dona, quae ad perfectionem Societatis propriam acquirendam sunt necessaria; et sic fit, ut tales propter difficultatem illos, ut congruit, regendi aut dimittendi, eidem eo noxiore evadant.

3. Quare observent ipsi, subditique ut observent efficiant, quam oporteat penitus cognoscere, an qui postulat vere a Deo sit vocatus; potissimum vero an interiores habeat dispositiones ad vivendi rationem ab Instituto praescriptam, et exteriores ad nostra ministria subeunda. Hinc de hoc eos velut sua instrumenta probe informent, si delinquent, corrigant et, si emendationis spem non exhibeant, ab hujusmodi amoveant officio.

4. Ad hunc finem Provinciales a candidatis conscientiae rationem secundum Regulas suas petant et plerumque ante primam Probationem; quandoquidem cum hujusmodi rationem excipere teneantur, ut cognoscant, an ad Societatem sint idonei, errarent profecto id plerumque post eandem exsequendo. Quod minus quidem difficile videbitur: 1º quia experientia docet donum vocationis nostrae quandam sanctam simplicitatem communicare solere, qua Socie-

tatem ingressuri a legitimis Superioribus interrogati, quidquid ab iis expetitur candide manifestant; 2º quia impossibile est, ut Provincialis candidatum examinans recte peragat quod in Examine praescribitur, nisi interiorem illius statum introspiciat, ut in c. III, n. 10, circa *animi propensionem a tenera aetate, et postea huc usque, ad res suae conscientiae salutiferas*, usum orationis vocalis et mentalis, devotionem ac sensus spirituales, meditationem et considerationem rerum spiritualium, et n. 11 ac 12, de judicio suo submitendo, etc.; quod sub alio nomine est conscientiae rationem expertere; 3º quia in excipienda ab hisce conscientiae ratione magis ad habitus investigandos spectandum est quam ad peccatorum actus; neque ab omnibus eodem modo petenda, nec de quinque impedimentis ita sunt interrogandi, quemadmodum loquitur cap. II, ut qui hujusmodi dat rationem intelligat se eam reddere, multoque minus cur reddat.

5. Provinciales non se permoveri sinant, ut plures, quam suae Provinciae sustentare possint, admittant, nisi homines selecti essent et magnos in nostris ministeriis successus habituri; neque ut eos adscribant qui debitas non habent qualitates, licet valde exorarentur atque in hanc convenienter sententiam omnes aut major Consultorum pars; Provinciales enim et propter Dei auxilium, et propter conscientiae rationem jam acceptam, majore quam alii lumine donantur.

CAPUT II.

De dimissione.

I. Quoad obligationem mature dimittendi eos qui ad Societatem idonei non sunt, Provinciales intelligent:

1. Defectus, qui hac in re committuntur, non solum magnum attulisse damnum, sed ex duobus erroribus, scilicet vel retinendi ex negligentia aut commiseratione non ordinata eos qui ad nostrum Institutum non sunt apti, vel dimittendi cum non oporteat: animadvertisimus primum valde fuisse frequentem, secundum vix contigisse, et difficulter fore ut contingat.

2. Idcirco maxime advigilent, ut, cum juvari quis haud amplius potest, provideant, ne Societatem ipsosque socios damno afficiat.

II. Cum igitur aliquis remedii supra recensitis verae in meliorem partem mutationis spem non pree se ferret, media erunt

usurpanda, quibus Societas eo liberetur, ut quae inde exoriri solent discrimina praeveniantur.

1. Juverit occasione alicujus gravioris dissolutionis, aut omnibus ordinariis eorum defectibus simul collectis, efficere, ut sibi persuadeant se ad Societatem non amplius esse idoneos, sibique ipsis profuturum ut dimissionem petant.

2. Cum hoc non sufficiat, idem efficietur, si Superior constanter illi ostendat Societatem neque posse neque debere praetermittere, quin eum, ut oportet, corrigat; qua in re cum verisimile minime sit hujusmodi hominem firmiter se habiturum, quacumque suavitate, prudentia ac dexteritate adhibita, cognoscat necesse est se ad Institutum observandum vires amplius non habere.

3. Si quis dyscolus ita caute procedat, ut ex defectibus quos committit occasio captari nequeat, et in Societate nihilominus manere vult, quia ipsi utile non est discedere vel non ita mature, Provinciales current ut ejus dissimulatio manifestetur, aut loci aut officii quibus nimio affectu inhaereret mutatione, aliisque rebus eum tentando, ex quibus cogatur, ut aut seipsum cognoscere atque cum indifferentia et mortificatione vivere incipiat, aut ut et ipse et alii eum huic vocationi ineptum esse intelligent, atque ut supra dictum est dimittatur.

4. Cum ex his experimentis unum non sufficiet, aliis utantur, quoniam qui vocationis spiritu caret persistere non poterit. Qua tamen in re modus adhibeat maxime consideratus, maturoque consilio agitatus, ut omnis ei praetextus excusatioque admatur. Superiores insuper, Consultores, omnes alii qui ad hunc actum convenire possunt, valde inter se consentiant, ut quod alter adstringit alter non relaxet. Multa quoque instruantur fortitudine, constantia, longanimitate ac fiducia in Domino, caveantque, ne politico pusilloque animo procedant. Tandem current, ut aliis utantur mediis consiliisque, quae ad tanti momenti rem Spiritus Sanctus docebit. Namque hujusmodi homines, aut divina gratia opitulante, quiete discedent, dimissionem petentes vel accipientes; aut si aliquando ex inepta hominum mente hoc non eveniet, et nostri et externi intelligent defectum ex parte Societatis non esse, quae cum ipsis omnibus quoad fieri poterat honestis egit rationibus, sed ex iis ipsis qui dimittuntur.

5. Advertant quaecumque dicta sunt non in iis solum servanda esse, qui multo jam tempore in Societate recensentur jamque ad

gradum admissi sunt, sed multo magis cum iis qui student vel in Tirocinio degunt neque biennium absolverunt.

CAPUT III.

De admittendis ad vota.

Quoad Nostrorum admissionem ad vota, Provinciales ad judicium de admittendis ferendum biennii finem non expectent.

1. Hoc multo ante ferant, ne cogantur remediis, quae multo ci-tius adhibenda erant, manum admovere, aut aliquem cum sui nota et aliorum admiratione diutius quam biennio in Tirocinio relin-quere.

2. Ultimum hujusmodi judicium, ut ex se faciant, quoad ejus fieri potest current, neque aliis facile committant; ipsis enim majori praesidio adest Deus, majorique notitia rerumque experientia do-nantur; quamvis Novitiorum Magistri, Ministri, Socii Magistri eo-rumque, qui cum admittendo proximius egerunt, judicium magni facere debeant.

3. Postremo observent errorem esse Societati valde exitiosum, existimare illum, qui Tirocinii tempore non satisfecit neque in spi-ritu se juvit, id in Collegiis in posterum facturum.

CAPUT IV.

De applicandis ad studia.

Quoad applicandos ad studia qui vota emiserunt haec serventur:

1. Praeter ea, quae superius dicta sunt de prudenti cujuscum-que hominis ad officium ei congruum applicatione, current, ut non solum intelligent ipsi quidquid in Societate constitutum est circa ingenii, talenti aliorumque donorum qualitates, quibus praeditos esse oportet, qui superioribus applicandi sunt scientiis; sed ut probe idem intelligent sui quoque Consultores, ceterique examinatores, qui hac de re judicium ferre debent.

2. Hoc supposito, cum judicium fertur, in dubiis mitiorem in partem propendere potius poterunt, atque in id quod majorem, quoad in Domino fieri poterit, homini erit consolationem allaturn.

3. Ex eo tempore quo ad studia applicantur, Provinciales solli-cite considerent, cui ministerio vel officio aptiores esse poterunt, to-toque studiorum tempore animadvertant, an praecognitum judi-

cium factis respondeat, aut an sententia mutanda; atque hujusmodi in re aliorum relationi ne fidant, sed omnia per se met ipsi observent, actibus disputationibusque adstantes.

CAPUT V.
De tertia Probatione.

Cum ad tertium Probationis annum mittentur qui studia absolverint, Provinciales advertant:

1. Proprius hujus Probationis finis non est, ut nonnulli existimant, iis qui studiorum tempore male se gesserunt auxilium ferre: hoc enim, ut dictum est, multo ante fieri oportuit, sed ut progressus, qui in via Dei peractus est, perficiatur, ad voluntatem perficiendam se totum conferendo.

2. Ad hunc finem, ut tertius annus magni aestimetur, atque ab omnibus exoptetur satagant, cum Scholasticorum nullus, qui eum non peregerit, ad gradum in Societate admittendus sit. Idcirco studiorum tempore hujusmodi excitetur desiderium, admoneanturque ne tertium exspectent annum, ut spirituales evadant, sed omni fervore in Dei via ita ambulent, ut extremam perfectioni propriae manum admovere valeant.

3. Si in fine studiorum ita disciplinae expers quis deprehendetur, ut ad tertiam Probationem missus Novitiis damno probabiliter esset futurus, in aliis Collegiis illum juvare studeant, ut supra de interiori cura dictum est, probeturque experimentis jam recensitis, num Societati idoneus erit. Cum autem hujusmodi homo eo perductus fuerit, ut tertium peragere annum mereatur, ad eundem mitti poterit.

4. Provinciales magno animo difficultates superent, quae tertii anni usum impedire possent, aliquod licet incommodum perforatur, ut deinde cum majori Dei gloria veri perfectique operarii haberi possint. Neque in hoc dispensatione utantur absque gravi necessitate, Consultorum judicio nostraque cognitione¹.

¹ Cf. Congr. XVI, decr. 34.

CAPUT VI.

De applicatione ad ministeria.

I. Absoluto tertio anno, in hominibus ad ministeria applicandis, supposita talentorum et uniuscujusque inclinationis cognitione, experientia, multorum judicio, re mature cum Consultoribus consilio agitata, haec curanda :

1. Ut qui alicui idoneus ministerio censemur, ut legendi, concionandi, confessiones audiendi, etc., ad illud recte animum intendat ; ac si quam in aliquo difficultatem advertant, curent ut ad indifferetiam atque ad obedientiae amorem omni possibili ratione, ut Exercitiis spiritualibus, etc. adducatur. Alias neque illo officio suaviter fungi neque in eodem perseverare neque perfici poterit, molestiaeque Superioribus erit alteri se applicando, ad quod ineptus vel non ita aptus existimatur.

2. Superatis difficultatibus, cura habeatur ut quacumque in re, quae ad constitutum iis officium spectat, rite instituantur, atque ut huic praeparationi congruum habeant tempus.

3. Cum in aliquo varia detegantur talenta, omniaque in suo gradu excellentia, curetur ut illi, quod per se majoris est momenti, applicetur, veluti ex. gr. gubernandi talentum concionandi talento anteferendum, atque istud talento legendi, vel ei quod, consideratis adjunctis Deo, Societati, ipsique homini magis conferre judicatur.

II. Specialiter vero quod applicationem ad gubernandum attinet, cum tanti sit momenti, requiritur ut Provincialis de cujusque habilitate diligentius inquirat, eumque instituat atque formet; ideoque curet :

1. Ut, quoad theoreticen, antequam ad gubernandum admoveantur, nostrae gubernationis naturam et rationem probe intelligent, quae, cum potissimum sit interior, ab aliis gubernationibus, etiam religiosis, valde differt, prout tota prima harum Ordinationum parte dictum est.

2. Quoad praxim vero illis in officiis exerceantur, in quibus Societas gubernationis exercitatio incipi solet; ut sunt Novitiorum Magistri Socius, Subminister, varii praefecti, Consultor, Admonitor, per quae plerumque gradum facere deberet priusquam constiueretur quis Superior.

CAPUT VII.

De promotione ad gradus.

Quoad promotionem ad gradus, ut multae gravissimaeque, quas hac in re experientia docet, difficultates superentur, interim haec expedire animadvertisimus:

1. Cura probe habeatur, ut ab ipso initio quo Societatem petunt, hac de re pro suo gradu instruantur, multoque magis Tirocinii tempore edoceantur; ut tunc omnino secum statuant, *an tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, quemadmodum* Julii bulla loquitur, *ut turrim hanc juxta consilium Dominicum possint consummare*, atque humilitatem in Societate necessariam acquirant, judicii abnegationem, aliorum judicio circa propria talenta et habilitates acquiescendo, ac ad humiliorem potius gradum se inclinando, perfectamque in omnibus indifferentiam, necnon lumen ut intelligent, prout Examinis cap. I, n. 9, hanc in rem dicitur: *eos in conspectu Creatoris et Domini nostri magis mereri, qui majori caritate se impendunt auxilio et obsequio omnium ex amore divinae Majestatis, sive in rebus altioribus, sive in aliis inferioribus et humilioribus.* Atque bene advertatur, ut, cum inceperit quis in his omnibus male se habere, efficax ipsi remedium quoad fieri poterit celerius praebatur; alias impossibile erit, ut quae tempore admissionis ad gradus hujusmodi in hominibus occurrunt, difficultatibus non offendantur.

2. Ad hoc juverit Superiorum caritas ac sollicitudo, ut qui promoveri debent opportuno tempore moveantur, fidelitas et diligentia in informatione accipienda de cuiusque talentis atque peritia, eaque Romam mittenda, juxta id quod per Provincias scriptum est¹.

3. Perfecta eorum observantia, quae a Constitutionibus prescrubuntur antequam ad gradum unusquisque admittatur: ut triginta diebus antea conscientiae rationem reddere, Bullas legere, Exercitorum secessus, etc., eum in his omnibus finem spectando ad quem ordinantur, atque omnia interiori spiritu, non vero exteriori pro forma peragendo. Denique externae quoque solemnitates in triclinio, etc., spiritu religioso instituantur; et cavendum, ne iis,

¹ Epist. Praepos. General. I, (Rollarii 1909) 198.

qui alio in gradu sunt constituti, invidiae alteriusque non ordinati affectus occasionem praebant.

CAPUT VIII.

De Congregationibus provincialibus.

Quod ad Congregationes provinciales spectat, curandum, ut a Provincialibus bene intelligatur, et ut etiam Congregati intelligent essentialiem finem hujusce actus Societatis, qui est personarum electio.

1. Namque omnium perturbationum causae, quae hisce in Congregationibus oriri solent, ex non recta hujus rei intelligentia, atque excessu auctoritatis, quam ipsis Constitutiones concedunt, extortae sunt; vel quoad res, cum ea quae ad illas non pertinent propounderentur, vel quoad modum, cum contentionebus factionibusque nituntur. Perturbationes hujusmodi praevenire Provincialis deberet, prius eos ex Congregatis, quibus magis opus esset, congruenter juvando, malam aliquam affectionem ex qua molestia affirri posset prudenter praeviendo, directionem anno 1587 ad Provincias missam recte exsequendo, pro sua quemque necessitate docendo, quae in accipienda de personis informatione agenda vel omittenda sint, ut neque sub specie zeli bonae opinioni aestimationique detrahatur, neque ex altera parte omittatur, quod prolatum vel silentio praetermissum bono communi prodesse vel nocere posset.

2. Experientia quoque docet, ad tranquillitatem ac fructuosum harum Congregationum exitum multum conferre posse optimam duorum primariorum Patrum deputatorum electionem, ut quae in provinciali Congregatione tractari conveniat seligere valeant; ex quo fiet ut Congregationes diu non durent, cum pauca sint quae ipsarum judicio submitti oporteat.

3. Ad ipsam tranquillitatem juvat non expectare Congregationis tempus ad lites definiendas, quae circa res temporales inter unum et alterum Collegium existere possent, sed prius vel postea in visitaione hoc agere, vel cum melius videbitur.

4. Meminerint tandem Provinciales, ne tam aptam occasionem ad universam Provinciam juvandam ac in spiritu promovendam e manibus dimittant; cum praesentes adsint omnes Superiores, aliaeque praecipue gravesque personae, quarum judicio multa, quae ad

rectam gubernationem et commune bonum totiusque Provinciae uniformitatem pertinent, pertractari possunt.

CAPUT IX.

De Provinciae visitatione.

I. Circa Provinciae visitationem, probe advertat Provincialis hujusmodi visitationum finem, qui est praestantior Nostrorum in spiritu profectus, aut ejusdem renovatio, vel acquisitio, si forte defecisset.

1. Idcirco deberet Provincialis, quoad ejus fieri possit, studere, ut cujusque Collegii visitatio cum alterutra renovatione concurreret, tum quia istud tempus ad progressum faciendum et ad disciplinam valde opportunum est, atque Provincialis praesentia majori fervore meliorique ratione peragetur, tum ut conscientiae rationem accipiat, quam, si visitatio tunc non fieret, intra breve spatium unusquisque bis reddere tenerentur, cum interdum Superioribus immediatis paulo ante jam reddidisset.

2. Visitatio festinanter minime peragatur; sed temporis spatio ad eam rite agendam congruo, maxime vero in remotis regionibus quae raro Provincialem vident.

II. Provincialis non solum exhortationibus, quas visitationis tempore frequentiores esse oporteret, sed privatis etiam colloquiis, omniisque cum ipsis conversatione, etc., spiritualem Nostrorum profectum semper oculis habeat.

1. Hanc ob rem curet bene intelligere, quid in spiritu ac disciplina detrimenti cuperint tam Collegium vel Domus quam unusquisque singulatim atque hoc non perfunctorie sed accurate: qua in re detrimentum habeatur, quantum sit, quomodo, unde exortum, quodque remedium admoveri possit quod efficax sit.

2. Huic rei magnopere conferet perfecta Regulae 10. Summarii observantia; scilicet ut Superior cum caritate admoneat, etc. Atque illius Regulae momentum ita inculcetur, ut ea ratione fiat, ne res odio veniat, magnam utilitatem, quam non solum Societatis corpus sed quilibet etiam ex particularibus percepturus sit, valde perspectam efficiendo, eorum quae aperiuntur secretum, et caritatem quae hujusmodi officiis exhibetur, solerter ostendendo; atque ab iis, qui publicos vel privatos referunt defectus, non exaggeratione, neque animi effusione, affectibusque minime ordinatis hoc agen-

dum esse, sed ob veram ac solam uniuscujusque utilitatem. Haec enim est Societatis visitationum ratio, ut spirituales et paternae sint, non vero ut forense aliquid saeculareque prae se ferant, aut solummodo in temporalibus exterioribusque rebus versentur.

3. Unicuique quantum voluerit loquendi copiam faciat, eique humanissimas aures commodumque tempus praebeat; curando ut intelligent oportere, ut bene dispositi, animoque tranquillo, et postquam res probe digesserint, accedant; caveat ne alicui, qui aliquem in dicendo animi impetum patefaceret aut inconsulte loqueretur, obstrepet, quia, cum omnia bene intellexerit, illum in ea re in qua erraverit commode curare deinde poterit.

4. Juverit etiam non solum privatis colloquiis, sed consultationibus quoque cum ordinariis Consultoribus aliisque agere, congrua tamen discretione adhibita, de interno totius Collegii, atque etiam si opus esset de alicujus personae particularis statu spiritualibusque necessitatibus.

5. Curet, ut in rebus veritatem nitide assequatur, quamvis multo labore statura esset; quoniam primis tantum informationibus aut perfunctorie procedendo, quin penitus ac radicitus res attingantur, frustra laboraretur, atque ita absque plena morbi ejusque originis cognitione medicina praeberetur.

6. Idem potissimum peragat in Superioris procedendi modo defectibusque convenienti caritate ac dexteritate exquirendis; cum id non minus ad Superioris quam ad aliorum omnium Collegii utilitatem interiusque auxilium intersit, et Provincialis omnia per ipsum executioni mandare debeat.

7. Propterea cum Rectoribus familiariter agere, fiduciam erga ipsos prae se ferre, honorem defendere et auctoritatem in omni quae se obtulerit occasione, apud subditos augere debet; eo tamen modo ut subditos non offendat neque iisdem dicendi aut de suis Superioribus conquerendi libertatem adimat.

8. Ut in spiritu perficiantur Superiores locales, proderit, non solum conscientiae rationem ab iis accurate accipere, sed hoc etiam nonnullis spiritualibus exercitiis curare, ea saltem ratione quam adnotatione 19. pro personis negotiis distentis tradit B. P. N., nempe ordinariis orationibus examinibusque, de iisdem postea rationem reddendo sensusque communicando; tota enim utilitas in hujusmodi mutua communicatione consistit.

9. Quod de juvandis Rectoribus dictum est, intelligitur de Mini-

stro, Praefecto spiritus, Consultoribus, Procuratoribus aliisque praecipuis, ex quorum bono vel malo procedendi modo Collegiorum tranquillitas aut perturbatio majori *ex parte* dependet.

10. Maxime vero subditorum animos cum Superiore conjungendos curet; quod cum obtineri nequiret, ii procul dubio essent permutandi.

III. Provincialis in visitatione ordinationes non multiplicet, neque plures sed paucas relinquat.

1. Itaque mature ipsorum Superiorum consilio eas conficiat, ut his atque Consultoribus satisfaciant, ac, ut ita dicam, eorum intersit illarum observantiam exigere, veluti res quae ab iis ortum habuit.

2. Curet ut, dum ipse adest, exsecutioni mandentur, cumque hoc fieri nequeat, eas delebilibus relinquat memorialibus.

3. Antequam discedat, unumquemque de defectibus in ipso notatis, praecipue qui ex habitu fiunt, admoneat, spiritualem illorum curationem hac ratione incipiendo ut prima parte¹ dictum est curandoque, ut Superiores locales eam in sua absentia prosequantur.

4. In Tirociniorum visitationibus, studeat ut res magis particularim per se cognoscatur, omnibusque præcipuis exercitiis quae a nostris in Tirociniis peragi solent coram intersit.

5. In Collegiis quoque, maxime vero in Nostrorum Seminariis, diligenter qua ratione legatur animadvertiscat; atque disputationibus aliisque literariis principalioribus exercitationibus intersit, perpendendo, quo serventur modo, quae horum locorum sunt propria.

IV. Cum ad Generalem absoluta visitatione scribit, observet:

1. Ut cujusque loci subditos omnes quatuor in classes distinguat. In prima eos recenseat qui recte perfecteque in via Dei ambulant. In secunda qui valde male procedunt, ideoque prompto indigent remedio. In aliis duabus qui uni vel alteri ex praecedentibus proprius accedunt. Atque de istorum cunctorum, potissimum qui in secunda classe censemur, utpote magis indigentium, statu plene scribat, qua in re eorum morbus consistat, ex quo tempore incepit, quibus ex initiis profectus fuerit, quem progressum egerit, quae antea remedia fuerint admota et quare parum bono exitu, quae remedia nunc judicentur aptiora, qua ex causa cujusque rei defectus eo usque malum excreverit, nuntiare perget. Simile intelligatur de

¹ Cf. supra p. 53 sqq.

iis, qui licet tam male non procedant, eo tamen in dies appropinquant.

2. De iis quoque, qui primae sunt classis alteriusque ei cohaerentis, omnia accurate scribat, ut ad eos in spiritu promovendos attendi possit, atque ipsis animus addi, quo majori semper perfectione procedant.

3. Cum de his aliisque rebus Provincialis Generalem consulit, curet, ut plenum rei statum exponat, et num de ea cum suis Consultoribus consilium habuerit, quidve senserint ipsi, et an a sua sententia discrepent, quibus rationibus ipse illique moveantur, ut quid certi statui possit.

4. Studeat, ut similiter secum agant Superiores in Provincia, cum de hujus generis negotiis perscribunt.

5. Quae de personis visitatis relatio tam distincta et accurata a Provinciali exhibenda est, ea multo magis de Rectoribus ac Provinciae Consultoribus, de suo Socio, aliisque qui ad gubernationem atque ad alia majoris momenti educantur, exhibenda intelligitur.

V. Dum Provinciales a locis jam visitatis abscesserint, dent operam, ut providentia omnia peragant, quae praesentes agebant.

1. Efficiant ut omnem Collegii statum plene cognoscant ea diligentia ac prudentia, qua utebantur dum visitationem agebant, aliorumque praecipue Superiorum querelas audiebant, atque hoc Rectorum opera, recursibus, Consultorum literis, qui ut, quaecumque in ipsorum Regulis ac in Formula scribendi de clare fideliterque referendo praescribuntur, omni perfectione observent, curandum est; admonendo, corrigendo omnibusque quae inordinata intellexerint providendo, quod alias spectat ut plurimum Rectoris opera, quod vero ad Rectorem pertinet immediate per se, vel per Admonitorem, aut per alium, ut melius in Domino judicaverint.

2. Advertant, ut in recursibus aut querelis, quae a subditis aut Consultoribus vel ab aliis deferuntur, quoad ejus fieri possit, subjectio servetur tam privatorum quam Consultorum; eos vel publicis exhortationibus, vel prout melius in Domino judicabunt instruendo, atque consuefacentes omnes, prout res occurrunt, ad immediatos Superiores prius configere, a quibus ut subditi in omnibus dependent, Constitutiones exigunt; deinde cum Admonitore rem agere; postremo cum spes non affulgeat, ut in quinta Admonitoris Regula habetur, tunc ad Provinciale recurrere. Cumque aliquis delinqueret, quae dicta sunt non observans, debitam non omittant corre-

ptionem; significando tamen se justis recursibus querelisque januam habere patefactam, nec se praetermissurum quin Superiores ipsos, cum eos delinquisse constiterit, corrigant.

DE MAGISTRIS NOVITIORUM.

CAPUT I.

De fine officii ipsorum.

Magistri Novitiorum sui officii finem ante oculos habeant, atque juxta hunc suas moderentur actiones; sequentia scilicet observent:

1. An Novitus vere habeat vocationis gratiam, quae fundatum est super quod istud spirituale erigendum est aedificium.

2. Num huic gratiae naturales ejus habitus sint contrarii, vel an consentanei convenientesque.

3. Num pro hujusmodi vocatione ejusque operibus sufficientes ei sint vires; atque haec non solum investigare et cognoscere debent, sed experiri, dirigere, promovere, etc.

4. Juxta ista current, ut Novitii de Religionis statu ad quem Deus eos vocavit supra saecularem tantopere elevato recte instruantur; eosque doceant quae virtutes illi sint necessariae, et quantum hae communibus saecularium praestent; atque ex ista cognitione ad notitiam nostrae vocationi propriam sensim perducant, quae cum sit nova multumque ab aliis differat, spiritum virtutesque gradu et perfectione ab aliis dissimiles postulat. Secundum hujusmodi cognitionem quilibet Magister suas erga Novitios actiones dirigat, sive eos de oratione peragenda instruat, sive mortificationibus exerceat, etc. Nisi enim haec proprio illi spiritui accommodentur, minime instruetur neque formabitur Societatis Novitus, sed vel bonus saecularis, vel novitus aliis Religionibus idoneus.

5. Propterea curandum est, ut omnes Tirocinii actus, ut prima Probatio, sex experimenta, etc., habita semper ad finem quem Societas intendit ratione, non vero pro forma, exerceantur.

6. Idecirco oportet, ut non solum ad eorum quae dicta sunt cognitionem, sed multo magis ad illa quae eos docuit exercenda Novitios dirigat, eosque veluti manu ducat, necnon ad exsequendum disponat privatis ac particularibus colloquiis pro cuiusque ingenio atque dispositione, deque iis quae interius quisque agit ut rationem sibi minutatim reddat exigendo. Itaque, licet diligenter curandum sit ne exhortationes, collationes aliaeque Tirocinii exercitationes de-

sint, studium tamen ac praecipua cura ad hoc est adhibenda, ut in mortificationum praxi fundamentum ponant, quoniam in Societate omnia alia exercitia ab illa oriuntur formamque accipiunt.

CAPUT II.

De ratione instituendi Novitios.

Ratio institutionis Novitiorum ad eam, qua in Collegiis erunt informandi, dirigenda est eique subjicienda.

1. Ne propter differentiam, quam nonnullis in rebus invenient, perturbentur atque scandalizentur; imo efficiant ut hujusmodi Tirocinium inter et Collegia differentiam ex sui status imperfectione oriri intelligent: quia ipsi utpote recens a saeculo profecti, cum spiritualibus in rebus sint rudes, majoribus auxiliis et severiori disciplina indigeant quam in Collegiis habeantur, ubi in Religionis spiritu firmiores provectioresque degunt.

2. Quare, cum Novitii se ad Collegia conferunt, Magister eos ita dirigere debet, ut juxta suum statum ex interno spiritus principio operentur, atque ut per seipso agere assuescant, si hujusmodi externa directio ipsos deficiat.

3. Det operam, ut in educatione Novitiorum ab extremis nostro fini valde contrariis caveat: 1° Ne valde aspera severaque illa sit, prout accidere posset, cum Novitii facile commoveri conquerique non soleant; quia praeterquam quod ita servilis spiritus a nostro procedendi modo tantopere alienus inveheretur, haec causa esse consuevit, cur in Collegiis eo citius relaxentur; 2° ne valde delicata sit atque, ut ita dicam, blanda, Novitiisque Societatis indigna, ut ex eorum bonitate facilitateque facili negotio evenire posset.

4. Novitios bene praemuniat contra scopolos, in quos egressi e Tirocinio incidere solent: e. g. qua ratione se gerere debeant, si forte malum aliquod exemplum in gravioribus potissimum hominibus in Collegiis animadvertant; studeatque ut etiam ex rebus haud recte peractis fructum capere scient, neque scandalum patiantur aut aliorum judicent actiones.

5. Ad hoc juverit, ut Provinciales cum nonnullis aliis peritioribus rerumque expertioribus ea colligant, quibus experientia docuit Novitios, tam Scholasticos quam Coadjutores, e Tirocinio egredientes, simplicitatem, fervorem ac spiritum, quem in Tirocinio hauseant, amittere solere; remediaque etiam colligant, quae hac in re magis prodesse poterunt.

6. De Tonis advertatur eos non esse institutos ad eorum qui illos habent mortificationem, sed potius, ut in parte tertia dicitur, ad talenti speciem praebendam, etc.; ideoque, cum hujusmodi exerceatur actus, concionandi rationi, quae in Provincia servatur, accommodandus est. Atque ita qui iisdem praeest monita, quae in provincia de concionandi ratione vigent, scire debet, ut juxta eadem hanc quoque exercitationem suo modo dirigat.

7. Curetur etiam, ut doctrinae christianaæ exercitium peragatur ut finis exigit, qui est efficere, ut necessariam nostræ sanctæ Fidei notitiam Novitii pro gradu suo habeant. Atque hujusmodi finis non solum a Novitiorum Magistro et ab eo cui haec committitur cura, sed ab ipsis etiam Novitiis animo statuendus intendendusque, ut hi quoque secundum dictum finem hanc dirigant actionem.

8. Ex iisdem procedendum est principiis non modo Magistro Novitiorum, sed etiam Socio sacerdoti, Ministro, aliisque officialibus, qui Novitios proxime moderantur: sed insuper hi tales sint, atque in cura spiritus ea se gerant ratione eaque conformitate, ut Novitiis veluti exemplar ac suarum operationum regula esse possint.

9. Advigiletur, ne peregrinum spiritum nostroque ab Instituto alienum Novitii suscipiant, non tantum nonnullorum librorum lectione, sed multo magis de aliquibus ex iis loquendo qui nostris non conveniunt; ac insuper ut erga eos afficiantur libros, qui veluti fontes esse consueverunt, ex quibus proprius Societatis spiritus hauritur; prout sunt Exercitia spiritualia, Summarium, B. P. Ignatii et B. Xaverii vita, ac Indiarum literae.

10. Caveant novitiorum Magistri, ne sub specie zeli, qui non est *secundum scientiam*¹, plus aequo commisereantur, cum agitur de iis, qui vel nobis non sunt apti vel dyscoli, dimittendis: experientia enim ostendit, quod tunc non fit, postea in Collegiis majori eorum dedecore, Deique Domini nostri obsequii detimento, faciendum esse.

CAPUT III.

De Patribus tertiae Probationis.

Quoad eos, qui tertium Probationis annum peragunt, advertant:

1. Ut fini, quem in iis quos ad tertium agendum annum mittit Societas spectat, ut supra dictum est, animum intendant.

¹ Rom. X. 2.

2. Ab his major quam a Novitiis perfectio exigitur, utpote qui non ad spiritus religionisque rudimenta addiscenda veniunt, sed ut proiecti ad eundem jam sibi comparatum, perficiendum expo-liendumque accedunt.

3. Cura quae in his requiritur, non materialis atque quadam ratione fere puerilis, qualis plerumque in Novitiis habetur, ita eorum infirmitate postulante; sed, ut ita dicam, formalis est adhibenda, majorem quam Regulae nostrae perfectionem exigunt intuendo.

4. Multis in rebus dispensatio cum ipsis congruit, in quibus cum Novitiis veluti in via Dei incipientibus non convenit.

5. Cum iis ut plurimum magna fiduciae significatione agendum, utpote qui non recens ad Religionem accedant, sed suae virtutis ac constantiae specimen in ea praebuerint.

6. Idcirco horum syndici Novitii non sunt constituendi, sed cu-randum, ut tertium agentibus annum reverentiam exhibeant; ex alia vero parte isti factis ea se dignos ostendant; quare efficiendum, ut se veluti exemplaria Novitiis propositos esse intelligent, atque reipsa in ipsis eorum qui de Societate sunt vivendi rationem, virtu-tem, spiritum intueantur.

7. Denique cum ex Tirocinio vel secundi vel tertii anni quis egreditur, opera detur ut de statu ac loco ad quem progreditur bene in-struatur, eum edocendo Tirocinium veluti gradum ad ulterius pro-cedendum, atque dispositionem ad alium gradum exstisset. Current etiam, ut postremis illis diebus eorum quae sibi desunt, etc., quasi inquisitionem agat, eum exhortando, ut Superiori ad quem pergit plene se manifestet, integrum conscientiae rationem eidem redden-do; atque etiam Superior ad quem mittitur de iis quae ad majorem illius profectum auxiliumque necessaria in Domino judicabuntur, secreto admoneatur.

DE VISITATORIBUS ET COMMISSARIIS.

Quod de Provincialibus circa visitationes dictum, Commissa-riis ac Visitatoribus multo perfectius observandum est; quandoquidem ipsam *Generalis personam* repraesentant. Maxime vero cu-rent, praeter peculiarem finem, ob quem a Generali mitti poterunt, qui in speciali instructione ipsis declarabitur, ut praecipuum ac ordinarium, quem hujusmodi visitationibus Societas intendit, finem spectent; qui esse solet, ut alicujus Provinciae Provincialis ac Su-

periores de iis. quae per Generalis literas aut scripta tractari nequeant aut non oporteat, viva voce instruantur, vel ut majori quam ipsi potiuntur auctoritate superent nonnullas difficultates, quas Provinciales ordinaria tam facile vincere non possent, vel ut illi deinde reduces judicio atque consilio Generalem juvare possint pro plena notitia quam de illius Provinciae rebus acceperint, etc. Haec igitur ob oculos habeant:

1. Divisiones quae Provincialem inter et Visitatorem oriri possent, quoad ejus fieri possit, devitent, ita Provincialis animum affectumque sibi conciliando, ut ipse Provincialis hujusmodi opinionem habeat concepiatque, eos scilicet ad hoc venire et adesse, ut ipsius existimationem et auctoritatem sustineant, sibique auxilium ferant, difficultates abs se removeant, res et ordinationes suas adjuvent, animum viresque addant. Hoc vero ea peragant ratione, ut aliis suspicionem non injiciant, neque eos impediant, quominus cum veritate manifestent, quae de occurrentibus perturbationibus in Domino sentiant, quaeque in ipso Provinciali ejusque gubernatione exoptentur.

2. Per seipso difficiliora quaeque quamvis odiosa, quoad ejus fieri potest, superare studeant; cujusmodi sunt: homines mutare aut dimittere, inveteratos tollere abusus, ut Provincialis majori consolatione ac fructu suam gubernationem prosequi valeat.

3. Quoniam autem jurisdictionis caput praetendere consuevit daemon, ut in visitatione multas offensiones et contentiones suscitet, ea ratione Visitator agat, ut inter se et Provincialem sancta quaedam vigeat aemulatio, qua ex altera parte Provincialis non solum illi se submittat et cedat in rebus majoris momenti in quibus debet; cujusmodi sunt: in Societatem admittere, Magistros mutare vel constituere, officiales assignare vel permutare, ad studia applicare, de iis qui sua studia absolverunt statuere, ad Ordines promovere, ex uno in alterum Collegium personas mittere potissimum antequam in utroque Collegio Visitator adfuerit, et his similia; item gravibus in negotiis, de quibus ad Visitatorem recursum habitum fuisse Provincialis probabiliter cogitare potest, decernere ac constitui: sed in aliis quoque rebus ad quas non teneretur neque obstringeretur. Ex altera vero parte Visitator eo majorem Provincialis rationem habeat, eique voluntatem suam deferat illius auctoritatem potestatemque servando; neque tantum permittendo, ut omni libertate, sui officii propria, gubernationis res, quoad de jure ad eum

spectat, consultet tractetque, sed alia quoque pertractandi libertatem ei concedat, nullam zelotypiae rationem sed maximaे fiduciae significationem ostendendo.

4. Intelligat Visitator, quod licet pluribus modis Provinciae notitiam adipisci valeat, quoad abusus tamen cognoscendos, cuiuslibet statum penitus penetrandum, necessitates, etc., Provincialis informationem judiciumque pluris faciendum esse quam alterius cuiusque, tamquam hominis qui et officio et Domini auxilio eam acceperit magis universalem, magis completam, magisque perfectam ex adjunctis aliisque secretis omnibus et singulis eventibus, quos ipse solus interdum funditus cognoscere potuit. Caveat item ab ea cogitatione ac sententia, quae animum subire posset, non esse scilicet ad honorem attendendum, neque fidem illi adhibendam, aut suspectum aestimandum, cum de rebus agitur ad suam gubernationem spectantibus.

5. Cum autem ad remedia procedendum erit, non solum exhibito Provincialis judicio decreta ac ordinationes constituat, sed rerum quoque ac rationum quae eum permoverint pleniorē exhibeat notitiam; ut ille postea majori efficacia ac suavitate eadem exsequi possit: idemque cum aliis Superioribus pro eorum gradu agendum, ut de Provinciali in suis visitationibus dictum est.

6. Defectus, quos in Provinciali notaverit vel de eo audierit, prius funditus cognoscere curet atque in conspectu Domini perpendat; et antequam discedat, illos ipsi proponat cum nonnullis mediis, quibus se juvare valeat, animos ei addendo atque ita excolendo, ut eum bene instructum relinquat, potissimum de gubernandi ratione, maximeque suimet ipsius exemplo.

Post haec Provincialis sibi probe curandum fore intelligat, ut idem cum aliis Superioribus, Rectoribus, Praepositis, etc., prout cuiusque res se habet ac postulat, eodem peragat ordine; eorum prius amorem fiduciamque sibi conciliando, suspiciones ab iis depellendo, etc.

X.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI
EPISTOLA AD SUPERIORES 4 JANUARII 1617.

De quibusdam monitis.

Licet insufficientiam meam ad ferendum onus impositum cognoscere manifesta per imperfectionem mentis, (neque enim aliunde opportunius huic epistolae initium facere me posse video, quam ab hisce verbis, quibus ad sui magni Ordinis Provinciales conscriptas literas exorditus est B. Bonaventura), Congregationis tamen generalis, et altissimi Dei voluntati pertinaciter resistere aequum minime erat. Eam ob rem sarcinue gravi et quasi importabili humeros supposui imbecilles, sperans de adjutorio virtutis Omnipotentis, et confidens de adminiculo vestræ sollicitudinip in id ipsum. Nam etsi sit impossibile homini quantumcumque forti, industrio et experto, totam tanti oneris sarcinam suis humeris baju-lare; si tamen divisa in partes, et humeris imposta diversorum, viriliter a quolibet portetur, non est quantumcumque debili capiti desperandum. Videns igitur me (quamvis maxime imparem, minimeque commeritum) speculatoram domui Israël datum; ne sanguis animarum de manu mea requiratur, tamquam annuntiator veritatis explicabo breviter pauca de multis, videns illa nullatenus reticenda ¹.

Et vero primum ac princeps, quod commendem, illud est, serio sibi et ante omnes invigilent: intelligent suae semetipsos in primis curae a Deo esse concreditos: reputent, unicuique a Domino præclarum illud Eucherii monitum in dies horasque singulas identidem instillari: *Commendo animo tuo causam animae tuae* ². Nimirum hoc spectare, ita apud se decernere quisque deberet, talem ego, Deo favente, me præstandum suscipio, quales eos esse, qui mihi parent, optarim; statuens, munera in Societate neque ad captandam quietem demandari, neque ad perfectionis, quoad satis sit, adeptae contestationem; verum ad majores, quam unquam antea, exsorbendos labores, tolerandasque perpessiones, ad obligatio-

¹ S. Bonaventurae « opera omnia », tom. VIII (ed. cit.), p. 468.

² Epist. paraenetica ; M. P. I. L. 711.

nem denique imponendam, quae omnibus in virtutibus ad celsiorum perfectionis gradum citatiore cogat cursu contendere. Itaque transferre ad nos possumus quod S. Gregorius ait: *Nomen nos Pastoris non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere, quod signamur in nomine*¹. Sint igitur in sancta precatione quam exquisitissimi, in excussionibus conscientiae, ceteraque rerum omnium spiritualium tractatione: quo in ludo germanam illam pie paterneque regendi rationem, quam Institutum nostrum depositit, haurimus. Denique meminerint, eos, qui alias ante purgant, quam ipsi purgati fuerint, a S. Gregorio Nazianzeno², tamquam minime idoneos, a gubernatione repelli.

Alterum, quod omni animi contentione atque opera in Christi Iesu sanguine commendatum cupio, Regularum nostrarum in universum custodia continetur, religiosaeque vitae disciplina, qua ceteris ipsi praeluceant. Ut igitur dignitate sunt et loco principes, ita omni studio allaborent, ut exemplar, ut forma sint omnibus, in victu vestituque, in tota ratione cubiculi, quod Regula Rectoris secunda praecipitur; dum legitimis temporibus precationem obeunt, conscientiam excutiunt, cubitum se conferunt, surgunt: quae omnia (credite) praestare si quis velit, omnino valet. Illud vero apud omnes fixum constitutumque sit, nisi exemplo praeiverint, non privatis monitis, non cohortationibus publicis, sive in subjectorum commodum, sive in Societatis obsequium quidquam admodum se promoturos. Quin imo suarum sibi culparum consciit alienas objurgare minime audebunt: quod si audeant, risui vel contemptui erunt, stomachumque movebunt potius, quam ardens corrigenda serio vitae studium inflamment. Quare, quod S. Gregorius Nazianzenus habet, *duorum alterum peccant, vel quia venia ipsi opus habent, ultra modum aliis ignoscentes, ut sic vitium non modo non reprimatur, sed etiam doceatur; vel quia imperii acerbitate peccata sua obtengunt, ut non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruat, ordine admodum praepostero*³. Verissimum est illud Tertulliani: *Dicta factis deficientibus erubescunt*⁴. Non confundant, Hieronymus inquit, *opera tua sermonem tuum*, ne, cum loqueris, tacitus quilibet respondeat, *Cur ergo haec, quae dicis, ipse non fa-*

¹ Lib. II, epist. 23; M. P. l. LXXVII, 559.

² Orat. 21, in laud. Athan. IX; M. P. g. XXXV, 1090.

³ Orat. 21, l. c.; M. P. g. XXXV, 1091.

⁴ De patientia c. I; M. P. l. I, 1249.

*cis?*¹ Et alio in loco: *Erubescit quamvis praeclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia*². Et sane, quo demum pacto ad commoditatum vitae contemptum cohortabitur is, qui omni obsequio et indulgentia corpori obsecundat; ad patientiam, qui minimis quibusque rebus commovetur; ad humilitatem, qui delicatulum se suaequa peramantem existimationis ostendit? *Et oves meae, apud Ezechielēm*³ Deus inquit, *his, quae conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; et, quae pedes vestri turbaverant, haec bibebant.* Sollicita semper consideratione pensandum est, Gregorius Magnus ait⁴, *ne hi, qui praesunt, exempla mali operis subjectis praebant, eorumque vitam suae gladio pravitatis extinguant. Oves enim turbata pedibus bibunt, cum subjecti ea ad exemplum vivendi appetunt, quae praelati quique pravo opere pervertunt.* Idem praeterea beatus vir, verba illa primi Regum libri edisserens: *Erat autem bellum potens adversus Philisthaeos omnibus diebus Saul*⁵, expendit quidnam sit dimicare in die suo, in die alieno, et in omnibus diebus, aitque: *Quod bellum doctoris est aliud, quam quod lingua conficitur?* Omnibus itaque diebus pugnat, qui multa alios docet, sed nil docendo profert, nisi quod suo prius fulget opere. In die etenim sua pugnat, qui verba praedicationis ex propria trahit luce virtutis: *in die ergo alieno pugnare vult, qui contraire reprobis spiritibus satagit non loquendo quae agit, sed praedicando quae novit.* Sed omnibus diebus pugnat, qui omnia praecepta Dei ostendit in luce operis, quae subsequendo vult pandere per curam praedicationis. Merito itaque bellum potens dicitur, in quo cum omnimoda virtutum vel operum luce pugnatur⁶. Ex quo fit, ut, quamvis bellum istud, quod a Moderatoribus, docendo inflammandoque, adversus ignorationem teoremque geritur, uti Sanctus hic perhibet, ad linguam pertineat, maximam sibi tamen pugnae victoriaeque partem dextra vindicet.

Quocirca egregie hanc in rem Nazianzenus: *Cur, inquit, manibus vinctis linguam armamus?* Nec enim, qui in sermone sapiens est; verum is, qui pauca quidem de virtute verba facit; ceterum

¹ Epist. 52 ad Nepotianum; M. P. I. XXII, 533.

² Epist. 127 ad Principiam; M. P. I. XXII, 1089.

³ Ezech. XXXIV, 18.

⁴ Moral. I. XXII, c. 24; M. P. I. LXXVI, 249.

⁵ I. Reg. XIV, 52.

⁶ S. Gregor. Magn. Comm. in I. Reg. I. V. n. 73; M. P. I. LXXIX, 406.

per ea quae agit, multa demonstrat, ac fidem et auctoritatem sermoni suo per vitam conciliat. Praestantior meo quidem judicio est pulchritudo ea, quae oculis cernitur, quam quae sermone pingitur; et sapientia, quae per opera demonstratur, quam quae sermone nitet atque splendescit¹. Me porro non excitat tantum, sed etiam concutit atque tremefacit illa Gregorii Pontificis sententia, qui de femina illa disputans, quae natum, quem vigilans lactarat, dormiens oppresserat², in hunc modum disserit: Magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias praedicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum torporis occidunt; et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte vidente³ bantur. In summa, si proficere quidquam cupimus, quod Jovium S. Paulinus monet, praestemus necesse est: Non tam lingua quam vita eruditus tam disseras magna quam facias⁴. Et vero permultum interest, an via perdifficili atque periculosa verbis quemquam dirigas, an manu prehensum deducas; neque subjectorum rapit atque conciliat animos Moderatoris oratio duris in rebus tenoreque disciplinae praeire jubentis, sed hortantis subsequi; et exploratissimum est, rectis exemplis curationem adhiberi multis partibus salutarem magis, et minus cruentam. Evidem novi, subjectos repetere memoria debere illud Christi: Omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere⁵; magnumque illud Eucherii documentum esse oppido necessarium: Obsecro te, delictum alienum (vel in ipsis moderatoribus deprehensum) semper ut opprobrium respice, nunquam ut exemplum⁶. Nihilominus tamen, (quae nostra infelix conditio est), nimis quidem aperte experientia indicat, Cheraemonis Abbatis apud Cassianum pronuntiatum illud esse plane verissimum: Nunquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis⁷. De S. Athanasio Nazianzenus haec habet: Ita se comparans, ut nec sermone propter mores abunde ad institutionem sufficientes magn-

¹ S. Gregor. Naz. Orat. 16, 3; M. P. g. XXX, 938.

² Cf. 3 Reg. III, 19.

³ S. Gregor. Magni Moral. I. XXI, c. 10; M. P. I. LXXVI, 199.

⁴ Epist. XVI, n. 6; M. P. I. LXI, 232.

⁵ Matth. XXIII, 3.

⁶ Epist. paraen.; M. P. I. L, 718.

⁷ Collat. XI, c. 4; M. P. I. XLIX, 851

pere opus haberet, etc. ¹. Idemque de Basilio loquens, Sermone, inquit, *ad animarum curationem haud multum indigens* ². Quae-
ris quamobrem? quia opere quam plurima perficiens. At cur, quod
de eodem ille ipse narrat, *tonitruum erat oratio? quia vita fulgur* ³.

Diutius fortasse, quam par erat, hoc in capite haesi, quod hic,
pene dixi, omnia verti censeam, et arbitrer illud B. Joannis posse
me huc merito detorquere, *si solum fiat, sufficit* ⁴. Qui communis
vitae normam ferre non possunt, ii, ut ceteris praesint, idonei
fere non sunt. Sane B. Bernardus verissime ille quidem, sed ut
ad nimiam quandam exaggerationem deflectere videatur, vel cum
necessitas ipsa ad remissionem aliquam atque relaxationem cogit,
magnum inde Ordines religiosos detrimentum accipere profitetur:
Estque nostri Instituti detrimentum, si cogat infirmitas rigoris
pristini aliquid relaxari. Quod si in iis qui parent id usuvenit,
quanto magis in iis qui imperant obtinebit; cum praesertim, ad
aperiendum vitae commoditatibus corporisque appetitionibus adi-
tum, necessitatis nomen pernicissime advolet, in iis nominatim, qui,
quod ceteris praesint, facultate ad ista, et quasi clavi potiuntur?
Eam ob causam opto, ut in praeficiendorum nominationibus hoo
speciatim, an scilicet communem vitae rationem sequi valeant, tam-
quam summi rem momenti, dispiciant Provinciales. S. Carolus Bor-
romaeus Praesuli monenti per literas, ne se aspera adeo poeniten-
tia mactaret; rescripsit apposite: Oportere, ut exemplo suo Pastor
amaritiem poenitentiae edulcet et molliat. Eadem igitur et ipse ra-
tione pernecessarium plane esse praedico, ut Moderator *forma fa-*
cetus gregis ex animo ⁵, quidquid in religiosae disciplinae severi-
tate austeri inest et acerbi, exemplo leniat; et veluti isto pharmaco
praegustato horrorem ex subiectorum animis pavoremque depellat,
quem parere ea sollicitudo consuevit, ne amarum admodum sit at-
que injucundum.

Tertium est, ut nostri sancti Instituti peritos crebra Constitutionum, Ordinationumque, quas vocamus, lectione se reddant; eae ut serventur, potius quam ut novae condantur, strenue una et sua-
viter current; non eas ad suam gubernandi rationem sensumque

¹ Orat. 21, n. 9; M. P. g. XXXV, 1001.

² Cf. Orat. 43; M. P. g. XXXVI, 554.

³ Cf. Orat. 43; M. P. g. XXXVI, 583.

⁴ Cf. S. Hieronymi comm. in ep. ad Galat. 1. 3, c. 6; M. P. l. XXVI, 433.

⁵ 1. Petr. V. 3.

detrorqueant; administrationem potius suam ad illas dirigant; ne susque deque omnia miscendi, eximendique identidem, seu nulla seu perlevi certe causa, Regulis atque Ordinationibus, liberam adeo sibi licentiam arrogant; memores grave nimis fore piaculum, si quis ex disciplinae Regularumque jactura compendium sibi benevolentiae venaretur. Denique hoc ipsum apostolicum plane Institutum subjecti ut adament, quam impensissime poterunt, enitanter. Hunc in finem et verbis et re ipsa significant, pergratum sibi perque jucundum esse, si, ut a suis Moderatoribus dirigantur, lucem opemque subjecti afferant, praecipue Consultores. Hinc fiet, ut omnes intelligent, nequaquam illos gravate ferre, si ad Moderatores de eorum administratione referatur perscribaturve. Et vero contraria agendi ratio de eorum virtutis sinceraeque mentis opinione detraheret sane quam multum; locumque suspicioni faceret, non unicam Dei gloriam bonumque Societatis, sed proprium nescio quem gustum atque existimationem eo illos in munere habere propositam.

Ita praeterea, qua par est diligentia, consultationes suas temporis habebunt. Et sane non possum non demirari, qui fiat, ut, cum hoc praesidium tam enixe commendatum adeo facile, tanta sit ad faciendum omnibus satis recteque progrediendum efficacitatis, omnium nihilominus Provinciarum concors fere conquestio sit, infrequenter Moderatores cum Consultoribus agere; consultationes esse multo rarissimas, eas in primis, quae ad res sancti Instituti nostri pertinent, quae tanti sunt tamen ponderis. Erga hoc ipsum Institutum, quemadmodum paulo ante monui, ut in subjectorum cordibus vigeat perpetuo amor, elaborent, cura adhibita, ut sancta illa animi aequitas, voluntatisque absoluta abdicatio, ad quam in Probationum Domibus informantur, quaeque ejus pacis est parens, *quae exsuperat omnem sensum*¹, in iisdem et servetur et augeatur. Denique sollicite curent, ne, qui cum adolescentibus nostris versantur, quidquam agant dicantve, quod amorem, observantiam, existimationem Societatis, omniumque ejusdem celsissimi Institutum partium, ulla queat ex parte, sive restinguere, sive imminuere, aut quavis ratione severitatis disciplinaeque religiosae spiritum relatare.

Quartum est, ut in spiritualem subjectorum profectum toto pe-

¹ Philip. IV, 7.

ctore incumbant; illos, uti filios Deo carissimos, ab eodem Praesidum custodiae unice commendatos, intueantur; eorum sive animi, sive corporis necessitates antevertant ingenti caritate, quae ad omnes indiscriminatim pertineat, absque personarum acceptione, sine pondere et pondere, ita ut neque genii naturaeque consensione, neque cognitionis necessitudine, neque patriae communione, non ullo denique humano respectu rapi se sinant, ut filiorum Dei in ejusdem domo conditionem disparem faciant. Sane tragoediarum recordatio, quas Jacob familia spectavit ob amoris praecipui significaciones, quibus Josephum virtute atque promeritis ceteris liberis adeo praestantem beatus ille Patriarcha prosequebatur, satis apud nos esse deberet, ut nobis sedulo continenterque caveremus, versa-returque perpetuo ob oculos caritas, quae ad omnes, ut aiebam, generatim sese protendat; sitque (quod praeterea necesse est) ejusmodi, ut nemini comperta non sit, nemo non certo reputet in Praeside, tum re ipsa, tum verbis, interius exteriusque promptam illam sibi semper atque alacrem ad manum praesto futuram. Uno verbo studeant *omnibus omnia fieri*¹ in visceribus et dilectione Jesu Christi²; inducantque in animum fore, ut super subjectorum, etiam non perfectissimorum, caput hac ratione carbones ignis congerant³, iisque demum pro arbitrio utantur. Denique ut quisque maxime opis indiget, ejus sive animo sive corpori praecipua quadam sollicitudine atque cura prospiciant.

Totum hoc vigesima quinta Rectoris Regula edicitur: *Crebro et magna caritatis significacione alloquatur subditos, eorumque necessitatibus non corporis tantum, sed multo etiam magis animae paterno affectu prospiciat. Si quem vero intelligat aliqua tentatione pulsari, praesertim gravi, ejus peculiarem curam et sollicitudinem non solum per se, sed etiam si necesse fuerit, per alios gerat; nec remedium longius differendo difficultorem morbi curationem reddat. Proh! quantum in hac Regula, Patres amantissimi, momentum est, adeo ut, si hanc unam, qui praesunt, accurate servandam sibi susciperent, felicissime cuncta progredierentur! Haec fiduciae illi, qua filii cum parentibus agere consueverunt, aditum aperit; quae si desit, ratio gubernationis in Societate alia jam est: hac caritas viam*

¹ 1. Cor. IX, 22.

² Philip. I, 8; cf. 1. Tim. I, 14.

³ Rom. XII, 20.

sibi munit et rationem excogitat, qua omnium sive necessitatem, sive indigentiam praevertat et sublevet. Quam acrem mihi cupiditatem injicit Deus, ut morem illum pristinum repeatant universi, cum, quod ego sciam, nemo certum cubiculum, vestem aliam, munus illud, quidquam denique sibi poscebat, quod ita se praeventos, ita sibi prospectum omnes sentirent, ut vel nihil admodum opus haberent, vel caritate Moderatorum et sollicitudine attonitos, animo quidpiam agitare, nedum petere, puderet!

Aegrotos in primis facere non possum, quin ex omnibus cordis mei visceribus Moderatorum sedulitati commendem. Sollicitum enim me habet caritatis atque sollicitudinis beafi Patris Ignatii recordatio, qui inter tot tantasque occupationes eam aegrotorum curam gerebat, ut haud sciam, an majorem impendere bene sedulus valetudinarii administer aut amantissima mater queat. Ne, quaequo, per Domini caritatem, praeclaram adeo atque amplam hereditatem per incuriam atque oscitantiam nobis effluere patiamur. Constituantur igitur, omnibus, si quae obstant, perruptis, commoda valetudinaria; curatores eorundem intelligentes parentur; quae medici praescriperint, serventur quam accurate; denique, ut meum uno verbo sensum et votum exponam, curetur, ut non Moderator tantum magnaenque quispiam auctoritatis Pater, cum aeger decumbit, sed Frater et Tiro quilibet, quivis demum e Societate aegrotus, neque ad domesticas delicias, neque ad maternam industriam et providentiam memoria referatur; quod illud ipsum est, quod de Aegypti monasteriis memorat B. Hieronymus in haec verba: *Si quis coepirit aegrotare, transfertur ad exedram latiorrem, et tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quaerat affectum*¹. Post aegrotos revoco in mentem hospites et peregrinos; erga quos nolle aurum illud purissimum caritatis, quae in Societate claruit, sensim infuscaretur; mosque ille in caritatis apostolicae sinu ortus exolesceret, iis, qui peregre adveniunt, pedes lavandi, omni amoris voluntatisque adjecta significatione, ut suo in Collegio Domove se degere sentiant: quo in genere, quae peccari feruntur, nimio sane rubore profundunt.

Postremo, quod ad Nostrorum curam et religiosae disciplinae custodiam pertinet, inter plurima, quae possem, haec pauca expōnere atque impense commendare satis habeo:

¹ Epist. XXII ad Eustochium; M. P. l. XXII, 420.

Principio in Nostrorum Seminariis viri vere spirituales atque incorruptis moribus ad docendum seligantur; qui ad magnos non minus in doctrina literisque, quam in virtutibus processus habendos, rectis et exemplis et monitis juvent auditores suos. Omnino, quibus praceptoribus uteatur, ea Collegia habebimus. Hac igitur in re stabiles immotique persistant Moderatores: non suis propensionibus, non aliorum commendationibus locum tribuant; sed optimos coram Domino deligant. Quod si quis non nimis utilis deprehenderetur, qua opus est quidem prudentia, magna tamen fortitudine atque animo, antequam incipiat obesse, submoveant.

Deinde subjectos a nimio erga consanguineos affectu divellant; planeque statuant, graviorem, quam aspectu primo videatur, hunc morbum esse. Quoniam vero hac ipsa de re communibus in literis¹ nonnulla perstrinxi, tantum addo, Provinciales suis in Regulis admoneri, inter capita, de quibus sedulo in visitationibus est inquirendum, unum hoc esse: *An aliquis domi nimis affectus videatur ad consanguineos*².

Tertio intelligent, importunitate aliquorum in corrogandis eleemosynis, atque nimietate, Dei obsequium maximopere interpellari, nostrasque functiones quam despicatissimas reddi; ut, si Societatis munera una, quod aiunt, manu saeculares alliciunt, centenis haec immoderatio manibus eosdem amandet atque propellat.

Quarto nonnullorum ex Societate sententiae, in rebus praesertim ad mores spectantibus, plus nimio liberae, non modo periculum est, ne ipsam evertant, sed ne Ecclesiae etiam Dei universae insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant, ut, qui docent scribuntve, minime hac regula et norma in delectu sententiarum utantur: *Tueri quis potest; Probabilis est; Auctore non caret*: verum ad eas sententias accedant, quae tutiores, quae graviorum majorisque nominis doctorum suffragiis sunt frequentatae, quae bonis moribus conducunt magis, quae denique pietatem alere, et prodesse queunt, non vastare, non perdere: Quoniam vero Constitutiones, Decreta, Regulas probe callent, de S. Thoma sequendo, de non prævehendis ad cathedras, aut etiam removendis, qui ejusmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præ se ferunt, præsertim si novitatum amantes deprehendantur, qui nulla sunt ratione fe-

¹ Epistol. Praep. Gen. I (Rollarii 1909), 364.

² Cap. XV, 4.

rendi. Reliquum mihi praeterea nihil est, nisi, ut haec ipsa serventur, uti maximi rem momenti quam ardentissime possum, urgere.

Quinto sedulo subjectorum linguis invigilent, ut, qua decet reverentia atque observantia, de Praesulibus, optimatibus, Religiosis, omnibus denique loquantur; ne quidquid domi geritur saecularibus in aures insusurrent, nec magno illorum profectu, nec maxima Societatis existimatione; ne tam multae nullius necessitatis aut utilitatis epistolae, neque, sive res ipsas sive rationem eloquendi spectes, pro more satis religiosae scribantur. Quoniam vero de loquendi licentia conquestus sum, meumque communi in epistola² sensum exposui, non agam pluribus; illud tantum adjicio, facere me non posse, quin vehementer admirer, qui fiat, ut, cum adeo frequenter nostris in tricliniis poenae pro noxis in leges admissis infigantur, haec una culpa (quae tamen e gravioribus est, latissime patet, crebro contrahitur) aut nunquam, aut raro plectatur.

Sexto omni ope atque opera contendant, ut cunctos, pro singulorum viribus dotibusque, satis fructuoseque habeant occupatos; neminem ad otium vel quietem aspirare permittant. In primis vero, si quem, quo se Religionis subducat oneribus, majori licentia, minusque Moderatoribus obnoxius vivat, in aulas et optimatum clientelas inserere se et inferre animadverterent, mature occurrant; neque, dum incommoda et corruptelae increscant viresque sumant, praestolentur; sed sub ipsa initia celeritate omni, fortitudine, industria utantur; neque hac in re modicum aliquid esse aut leve interpretentur.

Ad extremum sint, ubi res exigit, arcani quam maxime tenaces, eorum in primis omnium, quae in reddenda ratione conscientiae inter ipsos subjectosque intercedunt, quaeque ipsis veluti patribus deteguntur; atque intelligent, hanc esse gubernationis totius in Societate veluti clavim. Quod si quis hoc in genere peccaret, nae ille a munere, quod sustinet, semovendus foret.

In summa obversetur perpetuo ob oculos, filiorum se Deo carissimorum, uti aiebam, curam gerere, quorum severissimam idem rationem exiget, et sanguinem animarum ipsorum, pretiosissimo Sanguine dilectissimi Filii sui redemptarum respersarumque, de manu nostra requiret. Moneo ad haec, e re divini obsequii visum fore, si facultates quaelibet, quavis ratione, cuivis a Generalibus etiam tri-

¹ Epist. Praep. Gen. I (Rollarii 1909) 383 sq.

buitae, rovocarentur, uti omnes omnium his literis revoco; quod ipsum in singulis Provinciarum suarum domiciliis Provinciales denuntiari curabunt.

XI.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI
EPISTOLA AD PROVINCIALES 4 NOVEMBRIS 1617.

De delationibus ex Provinciis ad P. Generalem factis.

Quia animadverto quosdam Praepositorum Provincialium existimasse se officio suo ac meae monitioni satisfecise, si, cum ex me defectum subditi alicujus, qui ad me ex Provinciis delatus fuerit, cognovere, ipsi subdito indicaverint, quod ad se ex Urbe scriptum sit (quod tamen longe a mente mea et consilio abest); et hucusque non semel observavi ex hac procedendi ratione graves subinde subditorum perturbationes exoriri, putavi operae pretium futurum, si Praepositis provincialibus distinctius consilii hujus rationem explicassem; ne res illa, quae magna commoda in regimine Societatis adferre solet, pro his solas animorum alienationes offendentesque pariat. Sciat ergo Reverentia Vestra., quotiescumque ad ipsam de personae alicujus defectu scribo, id non alio consilio a me fieri, quam ut Reverentia Vestra nihil significato ei, de quo scriptum fuit, tempore visitationis Domus in qua defectus admissus creditur, aut alia commoditate oblata diligenter rei veritatem inquirat; neque enim omnia vera esse judico, quae ex literis ad me datis Provincialibus indico; et si quidem nihil, quod reprehensionem aut admonitionem mereatur, invenerit, istic rem omnem supprimat meque solum de ea certiorem reddat. Si vero Reverentia Vestra verum deprehenderit, quod ad me scriptum fuerit, tum ea remedia adhibeat, quae ad subditi emendationem convenientissima in Domino judicabit. Ad quod raro admodum prodesse solet, indicare subdito, quamvis minime innocentii, defectum ipsius ad me perscriptum fuisse. Inde enim aliud plerumque sequi non solet, quam ut variis ac saepe temerariis conjecturis delatorem inquirat et nonnumquam plus studii adhibeat, ut se per literas apud me excuset, quam ut vitium, cui obnoxius est, emendet. Quae ambo evitari posse existimo, si Provincialis quasi a se deprehensa subdito indicet atque ad emenda-

tionem adhortetur, quamvis subinde, quando ita expedire videbitur Reverentiae Vestrae eos meo etiam nomine monere poterit.

Quae epistolae adduntur de alia agunt materia, quare hic omittuntur.

Dic 26 Martii 1663 R. P. N. Joannes Paulus Oliva inter alia monita ad Provinciales missa de re supra proposita haec habet:

Diligenter animadvertant Provinciales (quod alias etiam monuit P. Mutius per encyclicas anni 1617) quando hinc scribimus de defectibus aliquorum in Provincia, non esse mentis nostrae, ut de iis statim admoneantur Nostri delati, sed explorent prius Provinciales rei veritatem (ne sine causa affligantur innocentes); et tunc, si delationem veritati niti deprehenderint, pro gravitate culpae reos corripiant, et nos admoneant; sin falsam aut temerariam delationem compererint, nos tantum certiores de ea reddant, ut statuere possimus de poena delatoribus juxta descr. 12 Congregationis septimae infligenda.

XII.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI
EPISTOLA AD PROVINCIALES 26 JUNII 1618.

De cura Fratrum Coadjutorum Superioribus habenda.

Ex officii mei debito existimo pauca quaedam Reverentiis Vestris esse communicanda, quae non solum ad profectum Fratrum nostrorum Coadjutorum, sed etiam ad bonum Societatis universae plurimum conferent¹.

Primum est, ut probe intelligere curemus obligationem, qua recta tenemur, Fratres nostros Coadjutores ad perfectionem pro ratione status in quo sunt dirigere, ac vere spirituales efficere. Non enim, quemadmodum in familiis externorum fieri solet, eos Societas sibi adjungit ut meros rei domesticae administros, sed ut membra sint religiosi hujus corporis, utque Deo unice inservientes evangelicam perfectionem sectentur. P. Lainez dicere solitum accepimus hunc in Societate gradum valde excellentem esse, idque vel eo tantum quod ad ipsam veterum Patrum consuetudinem proprius accederet, qui orando laborandoque omnem impendebant diem et cum

¹ Cf. Ord. Gen. c. II, n. 16; Instr. VI, n. 4 sqq., Instr. VIII.

ipsis manuum operibus cordis orationem amice sociabant. Quapropter ad hujusmodi normam Fratres nostros Coadjutores erudiri atque institui a nobis debent, eo vel magis quod ex Instituti nostri ratione tenemur in omnium proximorum, pro statuum in quibus sunt diversitate, non salutem modo sed et perfectionem incumbere. Atque hinc, dilectissimi Patres, oriri, hinc repeti debet quidquid utilitatis ex eorum opera Societas potest colligere; hinc fiet ut querimoniae deordinationesque penitus cesserent, quae ex defectu spiritus et mortificationis nonnunquam profluunt.

Hoc principio supposito, deinde enixe commendo, ut cautio magna adhibeatur in delectu eorum qui ad hunc gradum sunt admittendi, utque non tantum curae nobis sit, utrum ad laborem idonei reperiantur, sed multo magis, an prae se ferant docilem animum et ad religiosam institutionem suscipiendam accommodatum. Elucet saepe in aliquibus pia quaedam mentis intentio, ingenium tractabile ac mite, virtus denique pene naturalis: hos ad religionem crediderim peridoneos, etsi ad obeunda negotia non admodum alacres videantur; quin horum quoque opera perutilis omnibus communiter solet existere. Tunc enim sedulo quis munus suum explet, cum spiritu agitur ac bene animatus affectusque est ad id quod jubetur, cum denique ex caritate propter Deum labores suscipit. Tunc etiam fit ut, Deo validius cooperante, ubi naturalis aptitudo desit, supplet laboris amor et voluntas ad obediendum prona. Atque hic delectus eo magis habendus est, quo major potentiam a Deo Domino nostro submittitur copia, quoque commodius antequam admittantur exerceri ac per diuturnam experientiam cognosci penitus queunt.

Quod tertio loco adverto ex dictis consequens est: nimirum ut in Tirociniis omne studium impendatur, ut solida ponant fundamenta virtutum ac praesertim illarum quae hujus gradus propriae sunt. Praeceptum illud sancte servetur quo cautum est, ne e Tirociniis educantur nondum expleto saltem primo Probationis anno, quo diligentissime doceri probarique debent. Sed quod caput est, quodque ob aliquam negligentiam, quae in hoc forsan irrepit, etiam atque etiam commendo, illud pro certo habeamus primam hanc Tirocinii disciplinam necessariam quidem at minime sufficientem esse, nisi debitus deinceps in Collegiis ac Domibus animi cultus accedat. Quapropter satagant Reverentiae Vestrae, ut confessarii ac Praefectus rerum spiritualium in id potissimum incumbant et quae pos-

sunt iis auxilia suppeditent, nec solum bene copta fulciri current, sed etiam augere atque perficere: crebro cum iis colloquantur, commentationes et spiritualia documenta singulis pro cujusque necessitate proponant, usu etiam mortificationis et poenitentiarum tum publice tum privatim singulos excitent. Ipsi demum Superiores meminerint illos ad finem quem initio diximus eorum curae fuisse commissos, nec se matres esse obliviscantur, licet nutrices, ut ita dicam, domi habent: identidem eos ad se vocent et paterna adloquantur affectu, neque de domesticis semper rebus, sed etiam de spiritualibus agant; rogent quo pacto orent, examinent sese, quem fructum capiant ex usu sacramentorum aliisque spiritualibus exercitiis, neque unquam intermittent eorum erigere animos Deoque arctius obstringere.

Postremo, quanta possum cura affectuque, commendo, (agitur enim de re ex qua et hujus epistolae fructus et nostra spes omnis necessario dependet), ut generatim induentes erga hunc gradum *viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*¹, ea caritate ac suavitate cum iis agamus, quae debetur filiis ejusdem Patris, atque hominibus Deo dicatis, quibuscum illi Domino inservimus apud quem non est *acceptio personarum*², utque ab omnibus dictis, factis ac signis etiam abhorreamus, quae aliquam ipsis afferre possint acerbitatem, quae fiduciam atque amorem illum imminuant quo erga alios in Societate gradus affici debent, quae denique ipsis de aliorum erga se aestimatione atque amore suspicionem injiciant. Atque huic malo nisi viriliter obstatamus, frustra conabimur Societatis hac in re tranquillitati utilitatem prospicere. Ad singulos autem quod attinet, si ea quae diximus serventur, si paternus in omnes nutriatur affectus, adhibeturque suavitas olei evangelici, quod ceteroquin a vigore vini sejunctum esse non debet; tum denique, quoties Reverentiis Vestris necessarium in Domino visum fuerit, suas etiam partes obtineant fortitudo animi ac zelus, ac notum faciant, Societati non minus quietem ac perfectionem suorum cordi esse, quam ut iidem debitum suae vocationis pro virili expleant, et finem quaerant, ob quem Religionem amplexi sunt; neque illud Superiores unquam passuros, ut subditi liberioris vitae consuetudine morum laxitati atque inobedien-

¹ Coloss. III, 12.

² Rom. II, 11; Eph. VI, 6, etc.

tiae se dedant, quod profecto primum ipsis, tum Societati etiam universae extremam perniciem afferret.

His atque aliis adjumentis, quae prudens in Christo animus atque unctio Spiritus suggesteret Reverentiis Vestris, confido fore, ut si quid aliquando humani contigit, id nos in posterum perfectiores efficiat; ita *supportantes invicem*¹ pio quodam mutuae caritatis certamine, *suave Christi jugum*² portabimus humero uno.

XIII.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI

EPISTOLA AD PROVINCIALES ET PATRES CONGREGATIONUM PROVINCIALIUM
7 MARTII 1619.

De causis unde detrimenta Societati timenda.

Instante Congregationum provincialium tempore, quo singulis in Provinciis unus eligatur venturus ad Congregationem Procuratorum, quae Romae cogetur, favente Domino, ad 15 Novembris currentis anni 1619, volui ego spiritu affectuque animi, quando aliter nequeo, sistere me praesentem omnibus; ut, ubi amplexus fuero quam arctissime unumquemque dilectissimorum Patrum meorum, (quos ego nomine Societatis, *gaudium meum, et coronam meam*³ rite mihi videor appellare posse), iisdem quadantenus exponam, tum quo nunc statu sit nostra Societas, quosve progressus ea faciat, aut eam certe facere, Christo favente, confidamus; tum quo potissimum ea ne delabatur vereri possimus, si quando sui ipsius, quod absit, suaeve perfectionis curam negligeret. Ex harum quippe rerum notitia facilius pertingent Reverentiae Vestrae ad eum scopum, quem hujusmodi Congregationes tertio quoque anno fieri solitae habent sibi propositum, et expressum in earundem formula, approbata a Congregatione quarta generali⁴, n. 31⁵. Ego simul officio meo aliqua ex parte satisfecero, nec non ardenti illi desiderio, quod mihi Dominus largitus est, non parcendi labori, neque ullam praetermittendi occasionem, qua, submotis impedimen-

¹ Eph. IV, 2; Coloss. III, 13.

² Matth. XI, 30.

³ Philip. IV, 1.

⁴ Decr. 48.

⁵ Formula a Congr. IV gen. approbata deinde saepius aucta et emendata est, ita ut numeri jam sint mutati.

tis, promovere valeam, et quidem in dies vehementius, adeo commendabile sanctae hujus Religionis Institutum.

Crediderim equidem, posse me vere affirmare, quod non mediocri Reverentiis Vestris ac mihi pariter esse debeat consolationi, universum hoc Societatis corpus (Deo sint laudes) recte habere, vegetumque esse ac firmum in procuranda tum propria, tum proximi salute atque perfectione. Tametsi, ut fere usu venit in humano corpore, suae non desint infirmitates ordinariae, interdum etiam extraordinariae nonnullae, sed quibus tamen opportuna adhibeantur remedia; deprompta videlicet ex Constitutionibus, ex Regulis, ex consultationibus, quae de more instituuntur cum Patribus Assistentibus, denique ex eo lumine, quo benignissimus Dominus pro divina sua providentia perpetuo assistit huic suae minimae Societati. Unde et ipsa dilatatur quotidie magis ac magis, et similiter augetur ubique fidelium numerus, qui vel ab haeresi falsove idolorum cultu ad fidei veritatem adducuntur, vel a Nostris adjuti ad meliorem frugem se recipiunt. Adeo ut recte cum Apostolo dicere possimus: *Ostium magnum nobis apertum est*, et quidem toto paene orbe, nedum in aliqua ejus parte; sed adjiciendum item quod subjungit Apostolus: *Et adversarii multi*¹; *nobis, inquam, nihil non audentibus in eo, qui nos confortat*², sed perinde diffidentibus, nobisque merito timentibus a nostris ipsorum miseriis atque infirmitatibus. Enimvero justam maximi timoris causam habet nostra fragilitas, ob id quod apte indicat S. Augustinus, dum, generatim agens de creaturis, sic loquitur: *Omnes creaturae ex eo proficere possunt, quia esse coeperunt; ex eo deficere, quia ex nihilo factae sunt: ad defectum conditio eas dicit originis, ad profectum potentia conditoris*³. Nec sane dubium, quin, si mentis oculos convertamus ad illam Domini dexteram omnipotentem, quae tam brevi temporis spatio a tam exili tenuique principio Societatem nostram ad tantam provexit amplitudinem, ut ei recte congruant verba Psalmistae: *Plantasti radices ejus, et implevit terram: operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei: extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus*⁴; nec, inquam, dubium, quin, si ea, quae dixi, consideremus, sperare possi-

¹ 1. Cor. XVI, 9.

² Phil. IV, 13.

³ Pseudo-August. M. P. l. XL, 761; cf. S. August. ibid. XLII, 191.

⁴ Psal. LXXIX, 10 sqq.

mus ac debeamus fore, ut illa ipsa manus, quae Societatem instituit, eandem custodiat atque perficiat. Id nimurum pollicetur B. P. N. Ignatius in ipso Constitutionum prooemio.

At enim si altera ex parte conjiciamus oculos in materiam ipsam, ex qua corpus hoc constat, scilicet in personas tot, tamque diversarum nationum, affectionum, morum, voluntatum; jure timendum est, ne, nostra culpa Regularum sanctorum disrupta sepe, dicatur aliquando: *Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam*¹; sitque hoc primum de damnis, a quibus Societas possit ac debeat sibi timere. Atque utinam ista ex parte nihil jam detrimenti acceperit! Non vacat mysterio, quod ipso Societatis nostrae exordio, cum eam Dominus Deus e suo nihilo ad tam insignem evocavit statum, eandem coagmentari voluerit e personis adeo discrepantium inter se nationum, sed quas arctissimo caritatis vinculo copularit, iisque unum quasi vitalem spiritum infuderit; quemadmodum et illis olim apud Ezechiel² aridis ossibus: et ita quidem, ut ipso Constitutionum initio dicere non dubitarit B. P. Ignatius, vix sibi videri necessarium Regulas in Societate conscribere; quandoquidem unica regula caritatis, quae est plenitudo legis, regula esset, atque instar omnium regularum. Jam vero nolle, Patres mei dilectissimi, ex veritate posse dicere: *Ad defectum nos conditio ducit originis*³. At excrescimus, et longe lateque diffundimur: agit fere quisque perpetuo cum suis indigenis: plurimi nescio quo affectu, et quasi zelotypia, ad suam restringi videntur Provinciam. Verendum maxime, ne, excidentes ab illa felici regeneratione, ad primam nostram originem brevi revolvamur. Principio videlicet nostrae Societatis nullum apparebat discrimen Collegiorum aut Provinciarum, sed ne quidem nationum, regnorum, aut regionum: nunc tamen negari non potest, quin se prodat in nonnullis nescio quis affectus et zelus illius particularis boni, quod ad suas ipsi putent spectare Provincias; indeque sensim sine sensu minuatur in his atque intepescat amor communis boni omnium Provinciarum, et subintret pedentim *meum et tuum, frigidum illud verbum*, ut ait S. Chrysostomus, *innumera bella in orbem inducens, et quidquid malorum est invehens*⁴. Utut sit, hoc unum sum-

¹ Ps. LXXXIX, 4.

² Cap. XXXVII.

³ Pseudo-August. l. c.

⁴ Homil. de S. Philogonio n. 1; M. P. gr. XLVIII, 749.

mopere exopto, (et ob id ego, ut quidem possum, assidue fundo cor meum in conspectu Domini), ut *in spiritu humilitatis, et in animo contrito¹ procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos²*, et evexit ad vitam hanc spiritualem, dum nos constituit membra mystici corporis Societatis; tum ardentissime ipsum exoremus, ut *eam, quam plantarit dextera sua, perficere³ omni ex parte dignetur, quantumvis denuo foret opus illo miraculo, quod olim per Ezechielem operari non est gravatus: Et tu, fili hominis, sume tibi lignum unum, et scribe super illud: Judae, et filiorum Israel sociorum ejus; et tolle lignum alterum, et scribe super illud: Joseph ligno Ephraim, et cunctae domui Israel, sociorumque ejus; et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, et erunt in unionem in manu tua. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes: Nonne indicas nobis, quid in his tibi telis? loqueris ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim, et tribus Israel, quae sunt ei adjunctae, et dabo eas pariter cum ligno Judae, et faciam eas in lignum unum, et erunt unum in manu ejus.... Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans; et non erunt ultra duae gentes, nec diridentur amplius in duo regna... Et erunt mihi populus, et ego ero iis Deus, et seruos meus David rex super eos et pastor unus erit omnium eorum⁴.* Tunc autem procul dubio consequetur multiplex illa felicitas: *In judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea, et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres restri. Et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum usque in sempiternum: et David servus meus, princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit iis, et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in iis, et ero iis Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum⁵. Enimvero Patres mei in Christi visceribus dilectissimi, tametsi non sum ego Pro-

¹ Ordo Missae.² Ps. XCIV, 6.³ Ps. LXXIX, 15, 16.⁴ Ezech. XXXVII, 16 sqq.⁵ Ibid., 24 sqq.

*pheta*¹, sed omnium minimus, sentio me tamen a Domino impelli, ad id officii praestandum, quo vel meo profuso sanguine reducam Societatem nostram *ad humum suam*², ut illic ait Prophetæ, hoc est, ad pristinam suam verae ac plus quam fraternæ caritatis unionem; tum maxime si Reverentiae Vestrae quae præcipua sunt membra suarum Provinciarum, me juvabunt oratione, verbo, et exemplo.

Secundum caput, quod multa nobis ac gravia damna minatur, est defectus sanctæ obedientiae, quem in plerisque non raro experimur, dum agitur de ministerio, de loco, aliave re, quae minus arrideat aut convenire putetur miserae illi existimationi, quam in humilitatis domo (quod pudendum est) tanti facimus. Quoniam autem B. P. N. Ignatius in illa sua divina vere nec unquam satis commendata epistola de Obedientia, virtutem hanc substituit et quasi subrogat iis poenitentiis et corporis afflictationibus, quibus in Ecclesia Dei plerique alii Ordines regulares juxta proprium cujusque institutum magna cum aedificatione praeluent; haec profecto una si nos deficiet obedientia, jure nobis ab aliqua imminente ruina timendum erit. Nec jam inficiari possumus, (quod pariter lugendum est), quin incipiamus id in nobis praesentire, et, quod est consequens, nonnihil damni nostris in ministeriis. Dum etenim aliqui (faxit Deus, sint pauci) veluti hujus corporis membra, certis in locis, occupationibus ac munieribus student magis honori ac nomini propriisque commodis, quam totius corporis, necesse omnino est, gravia inde proveniant incommoda, multisque in rebus nostrum desideretur officium: non quia desunt operarii, sed animi inductio, et absoluta resignatio in manibus Superiorum, ipsa denique, ut uno verbo dicam, obedientia. Imo quod est dolendum magis, non deest, qui, ut eo, quo intendit, perveniat, patronos et intercessores, tam intra quam extra Societatem, perquirat, majori cum jactura boni nominis, graviorique offensione tum domi tum foris, quam facile credat qui haec molitur, et quidem contra quam Decretis admodum severis cautum est a sexta³ et septima⁴ Congregatione generali. Unde credibile sit fore, ut compellatur aliquando Societas extreum illud adhibere remedium, quod scimus attigisse nonnullos eorum Patrum, qui interfuerunt postremae Congregationi ge-

¹ Am. VII, 14; Zach. XIII, 5.

² Ezech. XXXVII, 21.

³ Decr. 2.

⁴ Decr. 20; Can. 19, n. 1, 2.

nerali, videlicet, inhabilitatis ad omnia ministeria, etc. Ex hoc namque vitio, ut liquet, paulatim inducitur altera longe major deformitas, nimis ut aliqua hujus corporis membra non modo sibi munia usurpent aliis assignata membris ejusdem corporis, (quod etsi inconveniens, minus tamen est grave), sed etiam in se recipient eorum officiorum ac negotiorum tractationem, quae sint a Societas corpore penitus abhorrentia et ab ejusdem Instituto aliena. Id vero ut illi assequantur, insinuant se in amicitias Principum, eorum adhibent favorem, iis se tuentur; adeo ut cogatur Societas, vel eorum a se voluntates alienare, si denegetur postulata vel seipsam destruere, si concedat. Sed praestat incidere in manus hominum, quam in manus Dei viventis¹. Nec est quod quisquam mihi dicat: Nolle id ego quidem, mi Pater, sed eo me adigit Dominus ille aut Princeps: nam si te puderet, non dicam a Principe occupari, sed vel solam tuam requiri operam ad quodvis munus tuo non conveniens Instituto, ausim ego affirmare, nunquam eum tibi fore importunum. Et vero plus satis mihi compertum est, ideo velle Principes, quia velis; ideo Societati esse importunos, quia te illis importunum praebas.

Spectabit tertium caput ad suavissimum castitatis votum, a cuius tamen tractatione libenter abstinerem, quandoquidem B. P. N. Ignatio satis fuit dicere, eam virtutem in Societate debere angelicam imitari puritatem, Et vere (quae singularis est illius Domini benignitas, *qui pascitur inter lilia*)², talis omnino illa est in quam plurimis Societatis alumnis, qui parati sunt *se qui agnum quocumque erit*³. Sed necessitas occupationum quae periculo sunt obnoxiae, occasiones variae ac multiplices, defectus orationis, internae recollectionis, studiique ambulandi sollicite coram Deo, nonnullorum otiositas, aliorum denique nimiae commoditates, non levem nobis metum incutiunt, ne, optimo Societatis auro aliquantis per obscurato, amarissimi luctus causa praebeatur ei, qui aliquo tangatur zelo nominis Societatis et divini honoris; neve liceat cum significatione doloris et conquestionis exclamare: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?*⁴ Ceterum quamvis non sit meae mentis novas edere Ordinationes, (exstant quippe

¹ Cf. Dan. XIII, 23.

² Cant. VI, 2.

³ Apoc. XIV, 4.

⁴ Thren. IV, 1.

sat multae, et quidem efficaces), non possum tamen non vehementissime obsecrare et obtestari Reverentias Vestras, ut ob amorem Dei etiam atque etiam considerent, num quid amplius in eo rerum genere praescribendum occurrat; ne forte culpa nostra tam pretiosus thesaurus, non dico depereat, (nam qui benignissimus Dominus eum Societati largitus est, eundem, uti juvat sperare, pro sua bonitate servabit), sed nec ulla vel minima sui parte minuatur.

De paupertate aliquid etiam dicendum esset; nec enim dubium, quin ea relaxetur, indeque debilitetur nostrae *Religionis murus*. Et revera non se produnt in nobis ea grati animi, tenerique amoris signa, quae huic virtuti, quam *matrem agnoscimus*, jure debentur. Sed aliud item est, quod me pungit acerbius, et ob id Reverentiarum Vestrarum consilium et opem imploro et exposco. Reperitur nempe, qui laxiores in hac materia evocet opiniones ac divulget; atque utinam illae pariter non aduersentur veritati!

Zelus insuper animarum sane quam refrigescit in multis, nimisque verum est, paucis nos esse contentos, et a nobis occupationes assumi ac ministeria ex voluntate potius traducendi tempus, quam ex sincero ardente desiderio et fame salutis animarum. Est etiam qui, si velit, duorum instar esse queat; sed, ne sibi incommodet, ne unius quidem partes expleat. Hinc porro fit, ut, cui muneri olim satis forent quatuor, ne viginti quidem, ut sunt haec tempora, fortasse sufficient. Certe cum ipse tecum reproto, quid illi primi decem Patres effecerint, quid alias item haec sola professam Domus romana cum operariorum numero sane perexiguo; dignares mihi prorsus videtur, in qua omnes erubescamus, et vere *operit faciem meam confusio*¹. Huc pertinet, quod memini evenisse anno 1563. Nobilis quidam Roma, ubi aliquamdiu moratus erat, reversus in patriam, et interrogatus a suis, quid omnium vidisset Romae pulcherrimum, planissime respondit, Societatem Jesu. O quam vellem his nostris temporibus liceret id ipsum affirmare non solum de Urbe romana, sed de aliis quoque, ubi sedem ac domicilium Societas nostra collocavit!

Ad haec inter privatos crescunt vitae commoditates, atque in dies curantur impensis. Faxit Deus, ne praecipua ejus rei causa tribuatur nostro Superiorum exemplo: nostrum enim plerique in eo delinquimus; frustraque a subditis emendationem requiremus,

¹ Ps. LXVIII, 8.

si nos eam primi non exhibebimus. In recreationibus, in vineis, aliisque oblectamentis, negari non potest, quin appareat excessus, multaque superfluitas.

In oratione, et examine quotidiano, ceterisque spiritualibus exercitationibus, valde vereor ne quidpiam desideretur a non paucis. Quod si aegre, etiam cum eorum adjumentorum usu, religiosa vita sustentatur; quid tandem futurum est, si ejusmodi exercitationes aut omittantur, aut adeo negligenter oscitanterque obeantur, ut perinde sit, atque si praetermitterentur? In his vero non potest una aliqua generalis praescibi regula aequa omnibus conveniens. Si quis tamen aliquam sibi volet praefigere, illam assumere licet, quam omnibus communiter assignat S. Augustinus; qui se ipsum interrogans in hunc modum: *Quantum temporis orationi tribendum est?* sic ipse sibi respondet: *Quamdiu vacat; id est, quamdiu aliarum bonarum et necessiarum actionum non impediunt officia*¹. Hac profecto regula qui utetur, nusquam ei vacabit loqui extra tempus, referre vel audire saeculi rumores, aliena ingredi cubicula. Quin imo, quod pluris faciendum est, longe maiorem quovis in loco ac ministerio spiritualem consolationem et animi quietem experietur, seque suavius et cum uberiore proximi fructu in salutem animarum superimpendet².

Denique ut epistolae finem imponam, tametsi adversus isthaec, quae strictim attigi, mala et incomoda, non desint remedia, eaque per Dei gratiam efficacissima, quae petere liceat ex Constitutionibus, Regulis, Instructionibus et Ordinationibus, quas, ut dixi, multiplicare non intendo, praesertim cum negotii summa pendeat ab executione, quae similiter pendet a Superiorum fortitudine ac zelo, quando certum est Regularum praxim fore satis, ut omnibus occuratur incommodis: nihilominus tamen pervelim, et magnopere commendo Reverentiis Vestris, ut fusis ad Deum precibus considerent, ac pro ea voluntate, quam iis Dominus largitur propensissimam in progressum Societatis, tractent inter se inquirantque diligentissime, qui demum possit effici, ut non modo nihil nostrae Religioni deterrius contingat³, sed potius ad id, quod perfectum est, assequendum bene omnes animati contendamus, et quidem convenienter sublimitati nostrae vocationis ac peculiaris Instituti. Quidquid autem pu-

¹ Epist. ad Probam c. X; M. P. l. XXX, 501.

² Cf. 2 Cor. XII, 15.

³ Joan. V, 14.

tabunt, statuentque mihi sugerendum, accipiam ego libentissime ab istius Provinciae Procuratore Romam venturo. Evidem in eum finem jam ab aliquot mensibus ego singulis hebdomadis ex thesauro Societatis offero *Patri: misericordiarum*¹ magnum numerum Sacrificiorum et rosariorum, ut ab istis Congregationibus, quae primae sunt, ex quo me Dominus Deus, quantumvis inhabilem, qualem me in dies agnosco manifestius, ad hoc munus destinavit, is qui speratur, propitio numine, fructus percipiatur, ad continuum Societatis incrementum, ad subsidium animarum, ad majorem denique divinae Majestatis gloriam et honorem.

XIV.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI

EPISTOLA AD PROVINCIALES 30 APRILIS 1622.

De cautela confessariis necessaria ad puritatem servandam².

Licet singulare puritatis donum, quo vel ab initio Societas nostra Deo miserante donata est, in ea ejusdem Dei ope suavissimo odore custodiatur, feratque fructus mirificos Sponsi, *qui pascitur inter lilia*³; attamen negare non possum, aliquando me summa animi mei molestia quorundam Confessariorum loquendi aut agendi rationem cum mulieribus poenitentibus persensisse non parum alienam ab illa circumspectione dignitateque, quac in tanta re jure merito requiritur; atque ob id me non parum angi atque commoveri.

Horrendum enim est vel mente cogitare hominem, qui, omnibus ut aeternam salutem consequeretur abjectis, ad poenitentiae statum se recepit, eundemque religiosum, qui non professus sit modo speciale Deo cultum exhibere, divinamque gloriam amplificare, sed et totis viribus in hoc incumbere, ut impedit quominus divina Majestas abs ceteris offendatur; sacerdotem denique, hoc est terre-

¹ 2 Cor. I, 3.

² De materia huius epistolae conferatur: Comp. privil. I, 516, 538 sq.; Const. parte sexta c. III, n. 5; praeter Regulas sacerdotum et confessariorum Ordin. Gener. c. II, n. 11; c. IV, n. 13. - Instr. III, n. 3 et 5; Instr. XV. Quae Ecclesia statuit contra sollicitantes habentur: in Bulla Gregor. XV. « Universi » 30 Aug. 1622; Bulla Bened. XIV. « Sacramentum poenitentiae » 1 Jan. 1741. Instr. S. O. 20 Febr. 1867; Act. S. Sed. III, 449. Decr. S. O. 15 Maij 1901; Act. S. Sed. XXXIV, 383.

³ Cant. VI, 2.

strem angelum, divinorumque thesaurorum dispensatorem, quique ad sacrum altare accedens quotidie purissimo Christi corpore pretiosissimoque Agni immaculati sanguine pascitur, hunc in tantae caecitatis abyssum reprobumque sensum demergi, ut de industria se in infernum conjiciat, sacramenta in sacrilegia convertat, Dominum suum tam turpiter prodat, atque, ut Apostoli verbis utar, *Filiū Dei conculcet et sanguinem Testamenti pollutum ducat, in quo sanctificatus est*¹, imo et quem in manibus habet ut alios sanctificet, *et Spiritui gratiae contumeliam faciat*². Praeterea et illud evidens est, quod si ejusmodi Judas a malo daemone ita obsessus reperiretur, quem neque deterreret immensa Dei caritas, neque benignissimi Domini innumera beneficia, neque Omnipotentis oculus, qui *cor intuetur*³, neque *auris zeli*⁴ aperta quae audit, neque tremendus judiciorum Dei gladius, letale animae vulnus, infernusque ad absorbendum apertus; ad hunc retrahendum et rigor disciplinae, et Regularum monitorumque cautio, et Superiorum aut custodia aut praecepta nihil omnino sint profutura.

Nihilominus in re, quae pupillam attingit et cor Societatis nostrae, ut nihil intentatum relinquatur quod in nobis sit, Reverentia Vestra in casuum collationibus sacerdotes nostros admoneat harum literarum lectione, ejusmodi abominationes jure merito ad sanctae Inquisitionis tribunal reservari, atque ita ut nullus superior regularis etiamsi Generalis quoquomodo se illis valeat immiscere; easdemque causas ut plurimum in sanctam Urbem deferri, totiusque orbis conspectui atque auribus exponi. Quare praeter supradictas rationes, quae potissimae sunt, injuria scilicet quae Altissimo Deo infertur, propriaque damnatio, eo, quo par est, timore et tremore dedecus atque infamiam quisque cogitet, quae unius vitio posset in universam Religionem redundare, et quomodo ille omnes auctoritatis nervos rescinderet, atque ex dilecta et fructifera non inutilem modo atque infructuosam efficeret, sed et penitus contemnendam omniumque abominatione dignissimam; illudque in animo alte defigat: *Vae homini illi per quem scandalum venit*⁵. Quod si unum e Christi minimis scandalizanti expedit ei, ut suspendatur mola asi-

¹ Cf. Hebr. X, 29.

² Ibid.

³ I Reg. XVI, 7.

⁴ Sap. I, 10.

⁵ Matth. XVIII, 7.

naria in collo ejus, et demergatur in profundum maris ¹, quid de eo existimandum erit, cuius culpa tam grave scandalum exoriretur, damnumque adeo ingens et irreparabile?

Hanc nactus occasionem eo animi sensu atque desiderio, quo maxime possum, cuilibet confessario commendatam volo sinceram plenamque observationem tum Regulae sacerdotum decimae quintae et sequentium usque ad vigesimam primam, tum eorum omnium, quae ad hunc finem in Instructione tertia pro confessariis imponuntur: quae una cum hac epistola legenda erunt. Moneo vero Superiores, ut non solum exemplo praecedant et invigilent, ut nullus ea transgredietur, sed etiam ut zelum, industriam celeritatemque summam afferant in medicina tanto morbo facienda, exhibitis consuetis Societatis nostrae mediis, si vel prima exordia aut signa tantae pestis appareant, nosque de tota re certiores faciant, ut quemadmodum dicitur numero septimo ejusdem Instructionis, *dispiciamus an desides in re tam gravi, tam periculosa, tamque inculcata in Societate retinendi sint.*

Praeterea et illud diligenter current, ut, qui eos comitantur, non solum fideliter Regulas praescriptionesque sibi constitutas servent, ut praesentes sint, referantque quidquid in hac re acciderit; sed ipsimet Superiores identidem illos advocent, et qua par est prudenter et caritate necessarias informationes exquirant. Item vigilent in sacerdotibus consociandis, currentque ut iidem diligenter obseruent, quae Fratribus sociis imposita sunt, neque alter ab alterius conspectu recedat, neque debita in referendo fidelitas omittatur. Nullus vero hoc aut suspicionibus aut diffidentiae tribuat, quandoquidem agitur id, quod tantopere ad divinam laudem spectat, ad bonum uniuscujusque Nostrum et totius Societatis constitutio nem, et potissimum de possessione servanda illius gloriosi nominis, quo sancta et apostolica Sedes Societatis filios saepius condecoravit, eos appellans *personas in odorem suavitatis Altissimo deser vientes* ².

Sed quum longus esse nolim in re, de qua B. Pater noster Ignatius existimavit satis esse, si exemplum puritatis angelicae propone retur, confidamque etiam nunc veris germanisque tanti Patris filiis, quales sacerdotes nostros esse non dubito, futurum satis, finem huic epistolae jam imponam.

¹ Matth. XVIII, 6.

² Bulla Pauli III, « Licet debitum » 18 Oct. 1549.

XV.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI
EPISTOLA AD PROVINCIALES 11 JUNII 1639.

De duratione paecepti obedientiae¹.

Satisfacturus quaestioni e diversis Provinciis mihi propositae, num paecepta obedientiae a Superioribus imposta, ipsis vita vel officio defunctis, abrogata censeri debeant, re diu multumque cum Deo cumque viris doctis et Patribus Assistantibus collata, bono publico Societatis subditorumque privato expedire sum arbitratus constituere, sicut in praesentia constituo, ut quae hactenus paecepta obedientiae lata sunt, quaeque ferentur in posterum, a quibusvis Superioribus tam mediatis quam immediatis, sive in communi, sive in particulari, vim obtineant, donec ab iisdem aut eorum successoribus, aut Superioribus majoribus revocentur. Proinde curet Reverentia Vestra, ut haec ordinatio ad omnium cognitionem perveniat, ne quis se possit per ignorationem eximere; ut inter Ordinationes perpetuas Generalium referatur et quotannis in recordationem omnium reducatur.

XVI.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI
EPISTOLA AD PROVINCIALES 9 JULII 1639.

De cautione in alienis defectibus Superiori referendis.

Quem mihi ardorem Dominus inspirat non fovendae solum caritatis, quae Societatis anima quaedam est, verum incitandae in dies uberioris ac vehementius, idem me acriter impellit, ut totum decretum 12 Congregationis septimae generalis Reverentiae Vestrae omni ope ac studio commendem inculcemque tam serio, quanti est ad evitandas animorum aversiones et jactationes momenti; potissimum vero quod in eo sancitur, ne quis super alienis defectibus, quos debet Superioribus aperire, mediatos Superiores adeat, nisi adhibita tripli cautione: Prima, ut rem omnem ad immediatos ante detulerit,

¹ Cf. Congr. IX, decr. 12; Congr. XVII, decr. 12.

qui uti proprius, ita certius possunt de praesenti remedio videre; altera, ut cum rem eandem significabit mediatis, addat iisdem literis frustra se jam immediatos monuisse, nec emendationem consecutam; postrema, ut, si gravibus de causis ad Superiorem mediatum aut solum aut primum res deferenda videbitur, agat id quidem fidenter in Domino, sed adjungat una causas illas graves, ob quas immediatum Superiorem eam nescire voluerit. Intelligatur porro ab omnibus fore, ut quisquis hunc ordinem violaverit sanctae ac legitimae caritatis, non modo rejiciatur ut indignus fide, sed temeritatis et calumniae suspicionem merito incurrat, futurus proinde poenae obnoxius, quam culpae ratio amorque intimus fraternalae inter nos caritatis condignam meruerint.

XVII.

R. P. N. VINCENTII CARRAFAE
EPISTOLA AD SUPERIORES 30 AUGUSTI 1647.

De adjuvandis moribundis.

Quamquam erga aegrotos Patres Fratresque nostros eximia semper extiterit Societatis nostrae caritas, speremusque fore, ut novis accessionibus aucta eluceat in dies magis, praesertim vero erga constitutos in discrimine vitae et suprema lucta, nihilominus quia summi momenti est transitus iste a quo pendet aeternitas, adeoque ut rite peragatur multa singulari sensu ac zelo praescripsit S. P. N. in Constitutionum parte sexta c. IV; idcirco inhaerendo iis quae ibi statuta sunt, de consilio Patrum Assistentium, visum est mihi, quanta possum contentionе animi Superioribus omnibus inculcare, ut et praescripta ibi a S. P. N. accurate observent, et summa cura speciatim advigilent, ne quid aegrotantibus Nostris et praesertim periculose aegrotantibus desit, tum ad corporis, tum multo magis ad animae salutem. Quinimo ut praesentius et uberior auxilium sentiant tali in articulo constituti, praeter ea quae unicuique Provinciae propria esse possunt juxta laudabiles consuetudines suas, magno teneor desiderio id omnibus commune esse, ut quando praebendum videbitur infirmo sanctissimum Viaticum, signum detur paulo ante campana ecclesiae vel refectorii, ut omnes convenient, comitarique possint venerabile sacramentum usque in cubiculum

infirmi ibique morentur donec id officii ex ritu ecclesiae perfectum fuerit. Simile signum detur etiam quando ad supremum agonem oleo sacro inungendus est aeger¹. Quo peracto designabuntur aliqui Patres arbitrio Superioris qui aegroto continenter assistant, et quibus subrogari alios curabit Superior prout necessitas postulabit, ita ut nunquam solus relinquatur aeger usque ad extremum halitum. Praeterea cupio, ut revocet omnibus suis in memoriam vinculum obligationis, qua tenentur consimilibus in periculis, ita ut non satis habeant preces fundere pro felice migratione illius animae, quando videbitur Domino ad se illam evocare, sed ut perseverent orando ardenter pro eadem, donec corporis soluta vinculis evolaverit, prout praescribitur a S. P. N. in Constitutione superius memorata. Enimvero persuadere sibi quisque debet se non modo rem gratam acceptamque Domino ejusmodi caritatis officio praestiturum, sed pro meritorum insuper persimilem gratiam referandam sibi, quando ipse pariter ad supremum certamen omnibus ineluctabile devenerit. Communicet epistolam hanc Reverentia Vestra omnibus Superioribus Provinciae suae, ut eam in librum Ordinationum perpetuarum referant et juxta desiderium, quo teneor, diligentissime omnia exsecutione mandent.

XVIII.

R. P. N. FRANCISCI PICCOLOMINI
EPISTOLA AD PROVINCIALES 6 MAJI 1651.

De tertia Probatione non differenda².

Observavi incommoda non pauca variis in locis ex eo profluere, quod tertia Probatio nimium aliquibus post absoluta studia differatur, contra Ordinat. Gener. c. III, n. 1. Hinc sequitur professiones saepe multum retardari tam illorum, qui tertium annum nondum

¹ Haud abs re erit hic apponere monitum ex Rituall romano desumptum: « Extremae Unctionis sacramentum a Christo Domino institutum, tamquam coelestis medicina, non animae solum, sed etiam corpori salutaris omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem sacramenti gratiam percipendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo ».

² Cf. infra p. 179 sqq. epistolam R. P. N. Wernz de tertia Probatione.

obierunt, quam aequalium, si per priores non steterit, quominus suo tempore probati fuerint; praeterea plus justo subinde contrahi et decurtari tempus Probationis, quam tamen, cum sit ultima velut manus, quae imponitur aedificio spirituali hominis interioris, summopere refert non perfunctorie sed accuratissime et per otium peragi. Quare valde desidero, ut hoc cordi habeant Provinciales omnes neminemque post confecta studia differant nisi (prout praescribitur memorato in loco) monito Generali, cuius erit statuere de causis dilationis et quam diuturna sit decernere.

XIX.

R. P. N. GOSWINI NICKEL

EPISTOLA AD PROVINCIALES 21 JUNII 1655.

De visitandis Provincialibus.

Cum in variis Provinciis intermissam videam praxim cap. IX Ordinationum generalium de visitandis Provincialibus, visum mihi est de consilio Patrum Assistentium his encyclicis Provinciales omnes de illius observantia in posterum commonefacere; praesertim cum id sancitum fuerit in Congregatione generali quinta, decr. 64¹, et confirmatum in Congregatione octava, act. 35, M. S. ex voluntate Clementis VIII et Innocentii XI. Quocirca Provinciales omnes in exordio sui muneric visitent in posterum diligenter suos antecessores, et Reverentia Vestra referat has meas in librum Ordinationum majoris momenti².

XX.

R. P. JOANNIS PAULI OLIVAE

EPISTOLA AD PROVINCIALES 1 NOVEMBRIS 1662.

De informationibus ad gradum.

Cum nonnunquam accidat, ut in informationibus ad gradum non satis clare indicetur profectus in virtutibus, ad Professionem

¹ N. 2.

² Cum Ordinationes General. l. c. moneant, ut ille, cui mandata haec cura fuerit, « caute omnino ac prudenter se gerat », maxima ipsi *caritas* commendanda videtur. Ceterum praxim vigentem sequatur.

quatuor votorum requisitus, propterea, ut in re tanti momenti majori cum certitudine appareat uniuscujusque in iisdem virtutibus progressus, utque in hac materia uniformitas in omnibus Provinciis observetur, de consilio Patrum Assistentium ordinandum duxi:

1. Ut in posterum illi, ad quos spectat hujusmodi informationes dare, qui quantum fieri potest ex Patribus gravioribus esse debent, priusquam illas scribant, cum attentione legant decretum sextum Congregationis generalis nonae¹, deinde judicium suum super praedicto progressu ferant juxta n. 3 usitatae formulae, explicando illud sequentibus verbis: *Profecit in virtutibus, quantum requirit Congregationis nonae descr. 6*, vel: *non profecit*; et si judicent promovendum progressum non fecisse, adjungant, utrum saltem in virtutibus mediocritatem attigerit, quemadmodum examinatores circa doctrinam facere solent.

2. Legendum current Provinciales praedictum decretum Congregationis nonae in consultatione coram Consultoribus Provinciae, quando agetur de informatione ad gradum Romam mittenda; id ipsum facient Superiores locales coram suis Consultoribus, quotiescumque rationem reddere debebunt de emendatione alicujus e suis subditis, cui ob virtutis defectum dilata fuerat Professio. Praeterea Provincialis simul cum Consultoribus Provinciae ad singulum informationis caput suum adjungat judicium; quod quidem a non-nullo negligi solet.

3. Quia vero Constitutiones parte decima n. 7 statuunt, ne ad Professionem admittantur, nisi *viri in variis probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum cum omnium aedificatione et satisfactione perspecti*, mihi summo scrupulo foret, si in admittendo ad Professionem non adhiberem majorem diligentiam in attendendo profectu promovendorum in virtutibus, potius quam profectu in litteris requisito, super quem tot exiguntur examina, quorum ultimum etiam cum juramento a quatuor examinatoribus confirmatur.

4. Et re quidem vera defectus doctrinae, si forte adesset, per eminentiam virtutis suppleri potest ad adjuvandos proximos, quemadmodum non raro accidere videmus. Verum defectus virtutis ex doctrinae eminentia vim vigoremque majorem assumit ad inquietandam magis Societatem; unde non sine multis lacrimis intolera-

¹ Cf. Congr. XII, decr. 56, n. 6.

bilique ejusdem dolore videre est nonnullos, postquam Professionem emisere, quasi liberi forent ab omni timore, ne dimittantur, absque ulla freno atque pudore suas passiones nutritivisse ac manifestasse modisque variis Societatem affixisse. Quod quidem profecto non fecissent, si multo tempore in abnegatione sui ipsius probati fuissent, gradusque ipsis fuisse dilatus. Quamobrem utamur freno, quod a Constitutionibus nobis datur ad reprimendos hujusmodi inquietos, ne per nimis celerem promotionem quasi obseremus ante tempus portam, quam Deus benedictus ad tantum Societatis bonum ex favore summorum Pontificum nobis per dimissionem reliquit apertam.

5. Quia vero aliqui circa tempus promotionis aliquantulum sese componunt, ut majori cum facilitate eam obtineant obtentaque ad vitam defectusque pristinos redeunt, propterea Provincialis et Consultores in referendo judicio de uniuscujusque aptitudine ad gradum diligenter attendant ad firmitatem virtutis: utrum scilicet talis sit, ut promovendus verisimiliter in ea sit perseveraturus; idque praesertim observent in iis, quibus gradus dilatus fuit; siquidem multoties de illorum solida et stabili emendatione valde dubitari potest. Quare iidem, Provincialis et Consultores, suum judicium circa emendatos scribant literis separatis, sicuti facere solent circa promovendos.

6. Atque ego quidem in re adeo gravi onus conscientiae meae super Provinciales et Consultores depono; quos nollem ut falsa nocivaque pietate se decipi sinerent, consolando et promovendo citius quam oportet Fratres et Patres nostros; siquidem crudelitas erga Matrem nostram esset, eam filii imperfectis et inhabilibus onerare ligamine adeo stricto, ut deinceps, occurrente necessitate, non sine magna difficultate se illis liberare possit.

7. Haec in libro Ordinationum perpetuarum referenda et ad mensam simul cum supradicto decreto 6 Congregationis nonae legenda curabit Reverentia Vestra, ut omnes, et praesertim illi, qui ad Professionem promovendi sunt, intelligent, quantam virtutem ab illis requirat Societas.

XXI.

R. P. N. JOANNIS PAULI OLIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 9 FEBRUARII 1669.

**De secreti fide servanda in ratione conscientiae reddenda
deque libertate subditorum in literis ad Generalem scribendis.**

Ignotum nemini esse arbitror, Societatem nostram duplici gubernationis genere regi, quorum alterum externum est, alterum internum. Quemadmodum et horologium momenta atque intervalla horarum duplici plane regimine distinguit ac moderat, per indicem nimirum externe, interne vero per rotularum anfractus ac pondatum libramenta. Neque autem in dubium revocaverit quispiam, interiorum gubernationem, quae fit, cum subditi in humilitate ac veritate omnes conscientiae latebras Superiorum suorum oculis sincere subjiciunt, et Superiores vicissim, divinae caritatis amore incensi, paterne subditos dirigunt, esse Instituti nostri animam verumque spiritum intus universa volventem. Certe sanctissimus Parens noster Ignatius hoc secundum regendi genus adeo praeposuit primo, ut diu anceps fuerit an Constitutiones scribebat legesque Societati ferret, quae utique externum regimen formant. Hinc et idem sanctus Parens, cum primorum Patrum precibus ac Sanctorum exemplis inductus, externum forum per Constitutiones tandem erexit, ita illud compositum concinnatumque voluit, ut ab interno omnino penderet et unice per internum consistaret. Nam externum forum, quod certe timoris et justitiae est, aliquo modo mancum infirmumque efformavit; iis nempe destituens praesidiis, quae a certis poenis atque a sententiis per telam judicariam latis in ceteris etiam religiosis Ordinibus mutuantur. Existimavit namque internam hanc gubernandi animos rationem, si vigeat in Societate, quid virium exteriori regimini demptum esset, abunde sufficeram. Igitur cum ipse Societatem universam non semel circumspexerim et dolens lugensque animadverterim, hanc tam sanctam gubernandi formam ab aliquot annis non parum languescere, vehementer timui, ne id evenerit, quia subditi ab antiqua fiducia suos erga Superiores recesserint, quoniam Superiores inviolatam secreti fidem fortasse non servant. Quamobrem sicuti hic Romae in publica ad Nostros adhortatione, quam typis edi curabo, ut ad omnes perveniat, ita

brevi hac epistola universis Provinciis mea super hac re sensa communicata celeriter volui.

Ideo Superioribus omnibus districte injungimus gravissimeque praescribimus, ut notitias omnes, quas, cum conscientiae ratio redditur, subditi de semetipsis afferunt, sub arcanissimo secreto reddant ac servent. Neque id dumtaxat quando subditi Superioribus animum suum aperiunt, prout illis liberum relinquit S. P. N. Ignatius, sub sigillo confessionis; nam tunc perinde ac ex alia qualibet confessione sacramentali nullus acceptarum notitiarum usus esse potest, nisi quem sponte ac diserte permiserint iidem, qui illas attulerint; verum etiam volumus, ut, quaevis alia Superiores a manifestante se in ratione conscientiae acceperint, nullo modo revelare cuiquam queant, ita ut nec Rectores Provincialibus, nec Provinciales aut Visitatores ipsi Generali vel rem minimam in foro paterno acceptam manifestare licite possint. Ergo subditi de secreti fide jam certi, uti Societatis filios sancti Ignatii spiritu bene imbutos decet, omnes conscientiae sinus, cum ad id vocabuntur, in Superiorum gremium alacriter excutiant. Et tum Rectores tum Provinciales id diligenter statutis temporibus exigent, memores, hanc esse praecipuam suorum munerum curam; cum ex interna hac animorum gubernatione, ut dicebamus, Societatis et perfectio et salus magna ex parte dependeat. Et praesertim meminerint omnia caritatis viscera in eo actu exhibere, solari subditos eorumque necessitatibus amanter occurrere, atque ipsorum etiam commodis providere; animadvertentes tamen, quod id etiam scenice fieri credent, nisi deinde in ceteris rebus uti amantissimi patres se gerant.

Hac occasione rem aliam, nec minoris fortasse momenti, commendatam persuasamque Superioribus omnibus volumus. Ea est, ut alveus, quo subditorum literae ad Generalem et Generalis ad subditos ultro citroque permeant, illimis illibatusque ac prorsus sacer in Societate permaneat. Evidem subditis omnibus auctor sum, ut Superiores suos perquam impensa humilitate venerentur, cum praesertim sciant, in pluribus Religiosorum Ordinibus tantum honoris cultusque Praesidibus deferri, ut subditi in genua procident, quoties aut ad eos accedunt, aut in eosdem casu occurrerint. Id ego certe a Nostris non exigo, cum nunquam apud nos in more fuerit; enixe tamen commendo, ut quisque datum sibi a Deo Superiorum omni venerationis genere colat. At ex adverso, Superiorum quisque debeat subditos suos in oculis atque in animo ferre eosque

impense diligere ac filiorum loco tenere. Et quoniam Generalem communem omnium parentem a Societate atque a Deo constitutum non ignorant, immediati Superiores non modo non offendи debent, sed laetari laetitiamque vultu ipso praeferre, cum eorum subditi literis suis ad nos confugiunt, ut vel exulcerati animi querelas in sinu nostro exonerent, vel a nostro zelo occurrentium malorum remedia exposcant. Quamobrem si Superiorum aliquis de literis ad nos scriptis aut conceptam offensionem ostenderet, aut inquireret, quisnam ad Generalem scribat, quive ab eodem responsum ferat, aut, quod absit, mittentes Romam epistolas ut delatores persequeretur, intelligent maximi criminis reos apud nos fore: et merito, cum per ipsos non staret, quin caput disjungeretur a membris, totumque Societatis corpus perturbaretur. Itaque persuasum sibi omnes habeant, si Superiorum aliquem tantae culpae obnoxium inveniemus, aut statim ab officio deponendum fore, aut nunquam ad aliud regiminis munus admovendum.

Demum haec nostra epistola in refectorio publico primo perlegatur; deinde Provincialium quilibet, ad majorem etiam Fratrum Coadjutorum intelligentiam, in maternam linguam verti curet; et bis in anno, quando votorum instaurations imminent, cum ceteris Generalium epistolis legi jubeat; ut tunc subditi, de secreti fide ac de Superiorum amore iterum persuasi, ad reddendam conscientiae rationem in spiritu humilitatis, sinceritatis et caritatis, ut ait sanctus Pater¹, excitentur.

XXII.

R. P. N. JOANNIS PAULI OLIVAE EPISTOLA AD PROVINCIALES 26 JANUARII 1675.

De secreto epistolarum servando.

In epistolae parte priore exponitur, quae facienda, quando personarum numerus ita abundet, ut Domus vel Collegia graventur. Deinde haec adiunguntur:

Hac occasione commendabo et aliud Superioribus nostris omnibus, quibus incumbit cura aut obligatio, juxta Regulas², videndi

¹ Exam. c. IV, n. 36; cf. Const. parte sexta, c. I, n. 2.

² Summarium Constit. n. 39; Regul. Rect. n. 35; cf. Exam. c. IV, n. 6; Const. parte tertia, c. I, B.

literas, quae scribuntur ad suos subditos, aut horum ad alios, ut scilicet de rebus, quae in literis hujusmodi continebuntur, nihil penitus loquantur cum aliis, sed secretum religiosissime servent, ac si nihil omnino in illis legissent, nisi forte aliquid corrigendum occurrat in ipsorum literis, aut monendi illi sint occasione eorum, quae scribentur ad ipsos. Si quid vero ad aedificationem pertinens scribetur ad illos, sint ipsi primi, qui de iis enuntient, non Superiores, ad quos quidquid legerint tamquam sub secreto acceptum esse debebit. Sic enim majore suavitate exigetur ab ipsis observantia Regulae de monstrandis literis; et erit id non exiguo multis solatio. Reverentia Vestra id ipsum significet omnibus Superioribus jubeatque, ut id referant in librum Ordinationum perpetuarum.

XXIII.

R. P. N. JOANNIS PAULI OLIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 1 JANUARII 1678

De archivo in unaquaque Provincia instruendo atque conservando.

Contigit saepe in archivo, sive communi apud nos totius Societatis, sive proprio in quibusque Provinciis, desiderari autographa literarum aliarumque multiplici generis testificationum, quarum jacturam voluissemus maximo pretio redemptam. Nam et ad accipiendam cognitionem de praeteritis eventibus, et ad faciendam fidem, non raro sunt usui, quae minime unquam fore quis credidit. Damnavit proinde infelix experientia quorundam facilitatem in iis negligendis monumentis, quibus memoria retroacti temporis, quamvis primo aspectu non adeo gravium series, continebatur. Huic malo ut occurreremus, ab ipso impositae nobis administracionis initio statim indiximus, in nostro quidem tabulario, omnium, quae ad nos aliunde scribuntur aut alio scribuntur a nobis, documenta fideliter custodienda. Idem in Provinciis quoque praestandum haud impar necessitas persuadet: cuius habita ratione, accidente Patrum Assistentium unanimi consilio, Reverentiam Vestram perinde ac reliquos ubique Provinciales eorumque pro tempore successores admonemus, ut suam hac quoque in parte industriam operamque commodent communi bono Societatis. Epistolas imprimis Generalium, quae certi negotii quidquam ferunt, maximeque omnia

cujuslibet generis etiam arcana monita et instructiones qualescumque ab iisdem transmissas nunquam distrahi sinant, sed provide conservent loco separato cunctisque inaccesso praeterquam soli Provinciali, vel ut summum etiam Socio sacerdoti, qui tamen ambo teneantur secreti lege inviolabili, et quae illud postulant, nemini fas habeant communicare. Ceterorum autem literae ad Provincialem datae, si modo quid exprimunt alicujus momenti, ad res aut personas pertinens, et potiore jure singulorum informationes, in suam quaeque classem ex ordine distributae, consimili prorsus loco et pari secreti fide retineantur ad longum usque tempus, quamdiu videlicet illarum, de quibus agitur, seu rerum seu personarum recurrere potest deliberatio aliqua vel dubitatio novamque lucem ab antiquis tabulis mutuari. Atqui hanc lucem propagari oportet omni ex parte sinceram nullisque errorum nebulis, quoad ejus fieri poterit, infuscatam. Cum itaque vel falsa vel exaggerata saepenumero deprehendantur, quae adversus aliquem scripta refert in suis literis Generalis, quaeque privati alii Superioresque immediati exponunt Provinciali, meminerit hic, a tergo accusatricis paginae describere descriptamque in folio separato proxime adnectere veram ac sibi satis probatam innocentis defensionem. Aliter enim continget a successoribus legi alteram sine altera, sed non sine alienae famae detrimento, non minus justitiae contrario, quam veritati.

Interest quoque mutuae caritatis inter Superiores et subditos publicaeque omnium quietis, ut quidquid in ejusmodi literis aut relationibus ad novum Provincialem, ejusque Socium sive secretarium jam designatos pertinet, recognoscat accurate decessor, antequam cedat officio, ne res offensioni obnoxia in aspectum incidat successoris. Quamquam enim ex probatissimis viris omnique virtutum copia instructis, quales in Societate ad talia munera tanto cum delectu solent admoveri, neminem arbitror adeo humanis affectibus duci, ut accusatores unquam suos vel investigare studeat curiosius, vel undecumque cognitos aegris oculis ac parum aequis respicere videatur, juvat adhuc in religiosa familia subtrahere querimoniis et suspicionibus materiam integrumque servare informantibus libertatem, ut nimirum hi noverint procul dubio clausum tectumque semper fore nomen suum nec ad eorum cognitionem, de quibus informaverint, ullo unquam tempore perventurum. Et novi quidem Provincialis ac Socii consuetae informationes ad gradum aut regimen, si quando minus propitiae appareant, a deces-

sore cuius praefectura tunc exspirat, comburendae. Nam ut exempla illarum exstant, suo tempore ad Urbem transmissa, nec magno jam erunt usui, ob multiplicem aliunde notitiam utriusque personae eo loci constitutae, de qua etiam, ubi res posceret, facilius recentes acciperentur informationes. At Generalium literae aliquid novo Provinciali minus honorificum ex alieno relatu recitantes, quippe quae nomen delatoris exprimere nunquam solent, si nec ullis eum indicis conjecturis insinuare videantur, tuto relinqu poterunt, nec sine profectu ab accusato legi, sive adnexum habeant memoratae ante defensionis antidotum sive non habeant. Aliae, quae vel exprimunt subscripto nomine vel quibuscumque notis conjiciendum aliquatenus offerunt delationis auctorem (nisi tamquam prorsus inutiles igni mandentur), seponantur a priori Provinciali, antequam officio defungatur, proprio munitae sigillo, atque ipsius Generalis nomine interdicta Provinciali succedenti aperiendi potestate; vel si ad Socium unice spectant, clam eo conserventur apud Provincialem.

Quia nihilominus, quantamcumque diligentiam subterfugere posset aliqua pagina, praesertim antiquior, designato scriptoris nomine aut non plane dissimulato, sinistrum quidpiam referens de Provinciali sive de Socio, vel, utcumque in archivo reicta, in eorum oculos tandem incurrere: utrumque serio ut cum maxime jubemus, ubi primum de se fieri mentionem animadverterint, incunctanter a legendō resilire et, quidquid ab ea lectione in rem suam sive commodi sive solatii sperarent, generosae cujusdam caecitatis amore Domino consecrare. Ita praeteriti aevi memoriae consultum deinceps erit, maximo quidem promovendae publicae gubernationis praesidio, sed serenda inter privatos discordiae nullo sane fomento.

Utroque igitur nomine urgeat studiose Reverentia Vestra totius nostrae mentis execucionem, perfecta coram suis Consultoribus praesenti epistola; quam non modo inter alias Generalium Ordinationes perpetuas referri volumus, sed praeterea relegi in eadem consultatione Provinciae, quotiescumque resignaturus est officium ipse Provincialis, qui eandem epistolam tradet in manus successoris, quemadmodum et Socio ejus sacerdoti legenda tradetur, ubi possessionem is adit sui muneric aut relinquit.

XXIV.

R. P. N. JOANNIS PAULI OLIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 1 JANUARII 1680.

De quibusdam capitibus ad regiminis formam pertinentibus.

Cum per hos dies collecto, ut moris est, a negotiis aliquantulum spiritu, statum Societatis universae tacitus circumspicerem et, quae ad illam vel tuendam valeant, vel provehendam, attenta cogitatione versarem, censui aliquot rerum capita, quorum pleraque tamquam Instituto admodum consentanea jampridem Provinciis commendaveram, urgenda adhuc exsecutionis gratia omnibus in memoriam revocanda.

Atque ut ab iis initium capiam, quae non modo sunt circa exteriorem hominem, sed extra domesticos quoque parietes in plurimum oculis atque ore versantur, justa est alicubi querela de itinerantibus absque socio, tam ad religiosam decentiam necessario, quam ad communem aedificationem. Utrique vero non majus imminet intra urbes in adeundis alienis domibus, quam extra populos frequentiam in itineribus atque diversoriis periculum vel integritatis vel famae, si prodeat ex Nostris quispiam, nullo suorum operum teste. Ut igitur in eum finem omnibus ad externorum visitationem accendentibus commendatur adeo impense Regula de socio ad sui conspectum retinendo¹; sic neminem, praesertim ex junioribus, in viam se dare permittant Superiores, nisi addito ex Nostris, vel ubi hoc fieri nequeat, saltem ex aliis optimae famae Regularibus aut probatissimis sacerdotibus comite, qui et auctoritatem conciliet procedentibus et omnem subtrahat suspicionibus locum. Quod si contra Ordinationem hanc nostram quid fieri forte contigerit, edocendi erimus tum a Provincialibus quamprimum, tum in annua literarum scriptione a Consultoribus, non aliter ac fieri consuevit de transgressione Regulæ decimæ octavae sacerdotum².

Frequenter domi est planeque in usu quotidiano ea, quam saepius imploravimus, accurata sedulitas Praesulum ad providendum

¹ Regulæ communes n. 43, Regul. sacerd. n. 18; cf. Const. parte tertia, c. I, n. 3.

² Ordinat. Gener. c. IV, n. 3.

congruae domesticorum tractationi. Et mea quidem laude plerosque imo et gratiarum actione jam dignos comperi: quippe nec labori parcentes nec sumptui, ut in victu cultuque communi impleant vota suorum atque praeveniant, nullamque paternae providentiae partem in curando privatim ac publice filiorum commodo, seu decoro, aut justo etiam solatio desiderari patientur. Sed nondum ubique id potui tot suasionibus et precibus impetrare. Nam et in aliamentis parce suppeditandis interdum praevalet vel tenacitas moderatorum vel negligentia, et in re vestiaria non paulo saepius, maximeque in linea supellectili, tam quae ad lectum quam quae ad amictum interiore pertinet, nec liberalitati satis consultum audio, nec fere necessitati. Obsecro itaque in visceribus Christi¹ caritatem Provincialium atque obtestor, ut in quibuscumque sive Domorum Praesidibus, sive administris officinarum reperient illiberalem hujusmodi ac sordidam indolem, corrigan protinus et convertant ad meliora consilia, sine quibus et laxandae religiosae paupertati et vitae communi eliminandae paulatim in sacris familiis aperitur via. Murum proinde Societatis praecipuum stabilire se noverint, ubicumque Superiorum providam curam in habendis honeste ac liberaliter subditis, ac potissimum aegrotis, in quorum neglectu nullam prorsus erroris exigui ac materiae levis excusationem admittimus, fovebunt peramanter et provocabunt, occasione praesertim per agrandi Provinciam in consuetis visitationibus, in quibus etiam referendis meminerint, quod alias indixeram, totius nos rei facere certiores.

Admoneri per eandem occasionem nos jussimus de frequentia domesticarum consultationum, quarum nihilominus, utcumque retineatur passim numerus, audio non raro interverti usum fructumque corrumpi. Nempe, convocatis tantum in speciem Consultoribus et super leviore quapiam controversia interrogatis, nulla de rebus majoris momenti commemoratio, sed mirum plane silentium. Tali autem ludificatione verius quam observatione Regulae² conquestus non semel fui, et mentem sancti legislatoris et mandata nostra frustrari. Inquirant igitur inter visitandum Provinciales, quam saepe, quam serio adhibeat Superior ad consilium designatos Patres, num artificio insinuationis ullius, ac propriae propensionis

¹ Phil. I, 8.

² Regul. Praepos. Dom. prof., n. 15, 16; cf. Const. parte quarta, c. X, n. 7; parte nona, c. VI, n. 14.

indiciis, veluti praejudicio quodam occupare consueverit illorum animos, atque obviam ire sententiis, an integrum cuique arbitrium sentiendi permettere atque dicendi. Certe alieno sensu nolo Superiores regi, sed tamen ita dirigi, ut eum excipient avide ac prudenter expendant, nec iis, quae sibi in mentem venerint, nisi gravi causa urgente, postponant. Quod si quem viderint Provinciales illa veluti scena perfuntorie uti, nec rite atque ex praescripta forma, quae in rem communem occurrunt, cum Consultoribus agitare, corripiant primo quidem privatum, tum, nisi debita sequatur emendatio, coram iisdem Consultoribus puniant, atque ad nos, quidquid hac in parte gestum fuerit, et quo successu, perscribant.

Verum ut uberior adhuc ex ea crebra consiliorum collatione redundet utilitas, praestabit redigere communiter in praxim, quod ab una Provincia nuper atque adeo ab unico ejusdem Consultore propositum nobis prudenter fuit, referri videlicet in librum acta consultationum omnium, ubi, designato cuiuslibet conventus die, proposita singillatim ad inquirendum capita cum diversitate opinionum in singulis eorumque numero, qui cuique opinioni adhaeserint, adnotentur. Juvabunt enim hujusmodi monumenta perennia Provinciale, ut quale fuerit inter Consultores examen rerum agendarum, quam frequens, quam accuratum, quanta primum in opinando, mox in exsequendo consensione peractum, agnoscat. Nec minori erunt adjumento singulis domiciliis eorumque pro tempore Moderatoribus, quos memoria priorum successuum consiliorumque instruet in futurum. Designet igitur ubique Provincialis ex Consultoribus unum, penes quem ea scribendi sit cura; et, nisi quid impediat, juniori ex Consultoribus demandari poterit is labor, qui similiter incumbet ratione officii Socio Provincialis, tamquam secretario Provinciae, ut in codicem referat omnia in consultationem a Provinciali deducta et dictis hinc atque inde sententiis constituta. Quemadmodum ejus est praeparare, quaecumque apud Consultores Provinciae sunt legenda et praesertim informationes ad gubernandum, sine quarum lectione praevia neminem nobis ad ea munera proponendum toties monuimus, at sine fructu; atque utinam fructuosius nunc denique moneamus. Ita quaecumque suis cum Assistentibus confert Praepositus Generalis, praeparari ante convenitum solent ac post eum perpetuae memoriae consignari a Secretario Societatis. Juvat nempe spectari, quantum per varia discrimina negotiorum occurrentium licet, unam eandemque in toto corpore

Societatis deliberandi rationem atque normam, per quam supremo cum Magistratu inferiores reliqui ac medii apta quadam similitudine regendi atque imitatione consentiant.

Propterea, sicut nos quoque, ubi sese offerunt majoris ponderis negotia, nisi periculum sit in mora, proponimus iisdem Patribus Assistentibus, quae ad aliam consultationem rejiciantur, accurati interim ante Dei conspectum expendenda, vel saltem scripto aliquo per manus eorum transmisso aliave simili rerum tractandarum notitia praeveniendos curamus, ut ad consultandum instructiores accedant, sic a Provincialibus atque a Superioribus immediatis, ubi nodus inciderit ea cura operaque dignus, praemoneantur pro rerum ac temporis opportunitate Consultores, ne ad dicendam sententiam convenient prorsus imparati. Verum et secreta sit admonitio nec sine imposita ipsis lege secreti, cuius certe violati reum si quempiam esse constiterit, removendus ille statim est a conventu Consultorum nec ad eum admittendus, donec re probe perspecta rursus admitti jubeat Provincialis. Haec si universa in conferendis rite consiliis observentur, confido sane fructum laboris et studii fore ubique non poenitendum.

Transeo jam a forma exterioris regiminis ad secretiorem aliam, quae in animis et eorum intime regendorum arte consistit. Cum vero modum, quo debent Superiores petere a subdito, et reddere hic vicissim rationem conscientiae, per literas olim encyclicas exposuerim, obstupui non minus certe, quam dolui, fuisse adhuc Praesides, qui totius anni processu nullam ejusmodi communicationem exercuerint cum sociis sua curae commissis, imo nec defuisse Provinciales, qui lustrari a se Collegia sine tam necessaria singulorum allocutione crediderint. Agnoverant illi forsitan in Societate forensen potius quam paternam praefecturam, propioremque protractioni corporum quam animorum. Quod cum ab institutione sancti Parentis nostri distet quam longissime, meminerint in posterum omnes, tam Provinciales in visitatione, quam statis temporibus Praesides cujusque Domus, de statu subditorum intimo singillatim edoceri, nec instrumentum spiritualis vitae praestantissimum, quod inter substantialia Instituti numeravit quinta Congregatio generalis¹, apud nos obsolescere per suam negligentiam sinant.

Adnexa est quoque interiori regimini reservatio casuum, aucto-

¹ Decr. 58; cf. decr. 44, 45. - Vide supra p. 109 sq.

ritate Superioris, non confessarii communis, absolvendorum. Ea tametsi usu totius Ecclesiae, nedum sacri cujusque coetus, commenda, vix locum habet in Domibus Societatis, ubi singulari Dei praesidio tanta perpetuo viget innocentia, vel ipsis nostri nominis hostibus non ignota; si quando tamen humanae imbecillitatis infortunio deducenda esset in praxim, non careret in parvis Collegiis eo periculo, cui providere conata est octava Congregatio generalis decreto 25. Quamquam et radicem illius difficultatis aliarumque haud sane leviorum evellere optavit illa ipsa Congregatio aliaeve deinceps consecutae, suppressando videlicet ad tempus et suspendingendo exigua Collegiola, in quibus fere nunquam satis aut disciplinae vigor, aut decus ministerii, aut religioso nomini sua dignitas constat. Sed quando tam opportunum successum prohibuere pluribus in locis communia populorum studia, suffragante plerumque patrocinio Principum, et Nostrorum quandoque conniventibus votis, cogimur praedicto periculo aliud remedium interea excogitare. Decernimus itaque, ut in omnibus domiciliis, ubi infra numerum duodecim Nostri degunt, semel atque iterum singulis annis conferat Provincialis alicui ex designatis Domi confessariis potestatem absolvendi a reservatis. Qui tamen, ut ad aedificationem utatur hoc privilegio, non in destructionem, nec sine delectu statuendus erit utique et monendus, ut in Ordinationibus Generalium cap. V et VI, quae in hoc unice argumento versantur, legat accurate atque observet.

Quoniam denique mentio incidit studii ad regimen conscientiae praemittendi, necessitatem in universum theologiae de moribus intimaeque in his quaestionibus eruditionis cupio sacerdotibus nostris, ipsisque adeo Scholasticis, antequam sacriss initientur, maximopere commendatam. Fuit enim cum singularem ejus doctrinæ profunditatem in nostris hominibus venerati Pastores ecclesiistarum unumquemque de Societate ad se accendentem, imo antequam accederet, nunquam a se visum, adeo non interrogatum aut subjectum examini, statim audiendis confessionibus destinabant. Progressu deinde temporis quidam inventi minus habentes in causa fuere, cur tanta diligentia nunc pene omnes appendantur in statera¹. Cui propterea sustinendae, atque exercendo utiliter ministerio, parem ut quisque se praebeat, amplam sibi peritiam comparet eo in genere

¹ Dan. V, 27.

probetque Superioribus vel Magistris ab eo deputandis, antequam dare se publice audeat in experimentum atque ad saluberrimi sacramenti administrationem offerre.

Haec omnia, quae omnibus Provinciis de consilio Patrum Assistentium in praesentiarum habui proponenda, communicet Reverentia Vestra suis primum Consultoribus, deinde singulis locorum Superioribus, misso mearum literarum exemplo, quod in domestica consultatione statim legant et inter Ordinationes perpetuas Generallium deinceps conservatum relegant coram Consultoribus simul omnibus ad singula quaeque anni recurrentis initia, ut pro sua quisque virtute, ac potissimum Reverentiae Vestrae zelo et prudenteria excitati omnes, ad promovendam in rebus tanti momenti exsecutionem unanimi consenserint.

XXV.

R. P. N. CAROLI DE NOYELLE

EPISTOLA AD PROVINCIALES 7 AUGUSTI 1683.

De natura votorum devotionis.

Cum ex postrema generali Congregatione postulatum fuerit, ut explicaret, quam vim habeant vota ex devotione a Novitiis aliquando emissa, juxta facultatem iis a Superioribus suis concessam, Congregatio vero curam hanc mihi demandaverit: id in praesentia exequor. Reverentiae Vestrae proinde significo, quae, auditis Patribus Assistentibus, visum est hac in re declarare, ut illa Magistris Novitiorum in ista Provincia ipsa communicet.

Novitiis ergo, qui, impulsi spontanea devotione sua, voluerint ante finem biennii emittere vota juxta formulam et morem Societatis, et quibus Superior, ad quem pertinet, permiserit ut illa emitant, declarandum erit a Magistro Novitiorum: Vota illa nec facere religiosos, nec Societatem ad quidquam obligare, adeoque eos, qui illa emiserint, tam libere posse dimitti, ac si nihil vovissent¹; ces-

¹ Ad nihil enim Societas iuridice obligatur, ut supra iam dicitur; nihilo minus quandam obligationem moralem quoad eos, qui talia vota emiserunt vel ipsae Constitutiones agnosceré videntur, cum hosce difficilius dimittendos dicant, quam alios, qui illis votis non se ligaverunt. Constit. parte secunda, c. I, A.

saturamque hujusmodi votorum obligationem, si dimissi fuerint; ipsos vero voentes, statim ac voverint, obligatos fore ad servanda vota emissa; ac proinde peccaturos contra votum, si quid commiserint contra paupertatem, castitatem, obedientiam (quorum trium votorum materia ipsis explicanda erit), item si aliquid voluntarie admiserint, scientes se propter illud dimittendos, nec fore ipsos ab emissione votorum obligatione liberos, si citra dispensationem vel legitimam dimissionem (excepto casu, quo vota illa forent irrita) e Societate discesserint; licet sic discedendo non sint futuri apostatae aut fugitivi; non peccaturos tamen contra votum, si dimissionem, praesertim ex idonea aliqua causa, cum debita indifferentia petierint.

Quoad Novitios admittendos ad hujusmodi vota, servanda sunt quae praescribuntur in Examine generali cap. I, E, in Constitutionibus parte tertia, cap. I, T, parte quinta, cap. IV n. 6 et G, H, in Congregatione generali secunda, decr. 14, in Congregatione quarta, decr. 62, in Regula 55 Magistri Novitiorum.

Haec habui quae modo ad Reverentiam Vestram scriberem. Curret ipsa, ut Novitiorum Magistri, quibus communicanda sunt, hujus epistolae exemplum referant in librum quo Generalium Ordinationes describi solent, ne, quae complectitur, memoria excidant.

XXVI.

R. P. N. THYRSI GONZALEZ
EPISTOLA AD PROVINCIALES 20 APRILIS 1697.

De non semper iisdem viris ad gubernationem proponendis.

Solitus sum hucusque more recepto et magna attentione diligere Superiores juxta transmissas ex Provinciis propositiones ad gubernandum; quod deinceps quoque observandum erit. Sed quia frequentes ex variis locis et Provinciis querelae advenerunt, Provinciales quosdam eorumque Consultores, quorum munus est aptiores ad regimen mihi praesentare, variis modis et artibus inductos, pro suo potius affectu quam pro aequitate procedere suisque nominationibus passim eosdem viros ab una praefectura ad alteram per gyrum adeo constanter et sine interruptione promovere, ut habeatur pro nota rei male gestae, si non continue regnet, qui semel

regere coepit; hinc esse non paucos, qui in diurna viginti et plurimum annorum gubernatione consenuerunt, ac ideo saepe fieri, ut duriora sint imperia quo magis longa: feci justam reflexionem super allatas querimonias et, instituta cum Patribus Assistentibus deliberatione, decrevi continuis hujusmodi in gubernatione successionibus, veluti Instituto nostro minus consentaneis, modum ponere, praesertim cum hoc sit conformius menti summi Pontificis Alexandri VII, qui dum abrogavit legem stabilitam ab Innocentio X circa interruptionem muneris gubernandi¹, impense commendavit Praeposito Generali, ut hac benignitate parce et non sine urgente necessitate uteretur. Idcirco mando Reverentiae Vestrae suisque Consultoribus, ut posthac seclusa omni affectione et solius boni communis studio accurate attendant, ne ad gubernationes, etiam maiores, semper eosdem mihi proponant, sed ut sinant quandoque illos quiescere, alios vero virtute pariter ac prudentia instructos ad regimen mihi praesentent, ut hac varietate in regentibus firmetur modestia, in subditis amor ac reverentia, et in utrisque mutua animorum conjunctio. Praesentes literas Reverentia Vestra communiceat cum suis Consultoribus.

XXVII.

R. P. N. THYRSI GONZALEZ
EPISTOLA AD PROVINCIALES 28 OCTOBRIS 1697.

De promotione ad sacros Ordines rite et maturo consilio perficienda.

Die 4 Decembris 1694 R. P. N. Thyrsus Gonzalez in epistola ad Provinciales data urgebat exsecutionem capitis VII Ordinat. General. « De promovendis ad Ordines sacros » nec non Instructionis I « Ad renovationem spiritus », n. 1. Post Congregationem generalem decimam quartam, quae de promovendis nostris ad sacros Ordines egit., P. Gonzalez priori epistolae, hanc 28 Octobris 1697 addidit.

Scripsi ad Praesides Provinciarum 4 Decembris 1694 eosque serio hortatus sum, ut accurate observarent utilissimas Instructiones et Ordinationes, quae exstant circa promovendos ad sacros Ordines, ac sedulo attenderent, ne ad sacerdotium Scholasticorum nostros ad-

¹ Significantur Constitutiones Innocentii X « Prospero felicique statui » 1 Januarii 1648 et Alexandri VII « Debitum pastoralis Officii » 1 Januarii 1663 datae.

mitterent, nisi probatis instructos virtutibus atque in sancta vocatione firmos, de quorum perseverantia dubitari non possit; idque tunc commendavi pro remedio ad praecavendas molestas lites, quales nonnulli, post susceptum presbyteratum e Societate dimissi, pro impetrandis alimentis tum in Curia romana tum alibi contra nostra jura excitarunt. Sed nunc alteram addo epistolam de eodem arguento, quia generalis Congregatio decima quarta idem tractandum assumpsit et post longam deliberationem approbavit postulatum Provinciae lugdunensis posuitque, ut suo quoque nomine Provincialibus injungerem, ut deinceps semper, priusquam Nostros sacerdotio initiandos curarent, de singulis secretas informationes non solum a Consultoribus Collegiorum, in quibus versantur majorum Ordinum candidati, sed etiam ab aliis, qui meliorem notitiam habere credantur, exigerent et postea, si quos, sive propter mores, sive propter inconstantiam in vocatione, indignos deprehenderint, rejectis quorumcumque patrociniis, eosdem sacerdotio inaugurari non permetterent. Cordi igitur habeat Reverentia Vestra rem hanc tanti momenti a Patribus congregatis aestimatam et diligenter curet executionem hujusmodi mandati, quod perpetuis Generalium Ordinationibus erit adscribendum. Praeterea ut Scholastici nostri tanto impensius comparare satagant virtutes ad sacerdotalem statum necessarias, interest ut sciant, antequam ad maiores Ordines suscipiendos mittantur, imposterum secretis informationibus suos mores examinandos esse; quare praesentes literae in locis, ubi Nostri student, publice ad mensam legantur.

XXVIII.

R. P. N. FRANCISCI RETZ

EPISTOLA AD PROVINCIALES 4 AUGUSTI 1731.

**De licentia in loquendo et scribendo reprimenda et de fovendo studio
rerum spiritualium.**

Conmunico Reverentiae Vestrae et per eam toti isti Provinciae decreta Congregationis generalis decimae sextae; et quamvis ad observanda ea, quae tanta maturitate, zelo et animorum consensione fuerunt constituta, omnes incitatura sit interna amoris lex¹ et

¹ Constit. prooem.; Summarium Const. n. 1.

studium communis boni, nihilominus ad Reverentiam Vestram et alios Superiores praecipue pertinebit eorum exsecutionem procurare et, ubi necesse erit, etiam urgere. Qua in re, si mea etiam opera et auctoritate opus erit, ea semper in promptu ac praesto erit, neque aliquid quod mearum partium erit, desiderari patiar. Sed duo præterea sunt, quae ex Congregationis voluntate Reverentiae Vestrae omnibusque Superioribus summopere commendare debeo, idque eo etiam libentius facio, quod ea per se quoque mihi maxime cordi sint.

In primis postulatum fuit a Congregatione remedium efficax adversus nonnullorum nimiam sane libertatem ac licentiam, qua seu privatis sermonibus seu scriptis ad alia Collegia, imo etiam ad externos epistolis defectus Nostrorum propalare non verentur, haud modica religiosae pacis et caritatis jactura ac detimento famae etiam Societatis. Exarsit ex rei gravitate Patrum zelus, et quamvis hac in re novo ac peculiari decreto opus non videretur, utpote quam ipsa mali magnitudo ac fraternae caritatis lex per se satis commendant, moneri tamen a me voluit gravissime Congregatio Superiorum omnes, ut gliscenti huic malo omni studio ac sollicitudine occurrant, et si quos in hoc delinquisse compererint, meritis poenis afficiant. Literas etiam ultro citroque missas (prout Regula 35 Rectoris praescribitur) diligenter legant, et si quas furtivas deprehenderint, non patientur impune abire eum, qui illas scripserit; noverintque omnes, si quid incommodi ac damni ex Nostrorum literis incaute scriptis acciderit, me non solum ab earum auctoribus, sed etiam a Superioribus, qui eas legere neglexerint vel lectas non suppresserint, rationem ac, ubi videbitur, poenas etiam exacturum.

Alterum quod Patrum animos vehementissime commovit, et in quo meam ac aliorum Superiorum curam ac sollicitudinem Congregatio praecipue imploravit, est frigescens alicubi orationis et rerum spiritualium studium. Hoc malum si culpa nostra (quod Deus avertat) invalesceret, certam Societati nostrae perniciem afferret. Unde oro obtestorque Superiorum omnes, ut pro eo, quo in Societatem ejusque conservationem feruntur amore, non desint in re omnium gravissima muneri ac conscientiae suae, sed perruptis quibusvis obstaculis diligentiam et auctoritatem suam omnem adhibeant, ut in iis quorum cura ipsis commissa est, et de quibus rationem reddere debent, exercitationum spiritualium fervens studium foveatur ac promoveatur, et si forte intepuerit, accendatur. Et quoniam, quid-

quid in hanc rem conferre potest, abunde continetur in literis ¹, quas R. P. Michaël Angelus Tamburinus p. m. ad Provincias misit, et quae annis singulis publice in mensa praelegi debent, ea omnia exactissime servari et executioni mandari current; e quibus duo plurimum profutura peculiari ratione ex Congregationis mente Superioribus commendo: in primis laudatissimam illam consuetudinem visitandi mane ante solitum meditationis signum atque adorandi SS. Sacramenti omni ope conservare ac fovere studeant; deinde tempore orationis et utriusque examinis Nostros diligenter visitari current, vel ipsi quoque quandoque visitent. Haec quidem praestent ea assiduitate et constantia, ut subditi omnes intelligent, Superiorum non destitutum, donec optatum finem obtineat. De me sane persuasum atque certum omnibus esse volo, non solum promptum ac paratum me fore ad remedia omnia, quae opportuna judicavero, adhibenda, sed fixum mihi omnino esse, etiam interposito, si opus fuerit, obedientiae praecepto, Superiorum ad tam praecipuam officii partem adimplendam adstringere. Verum spero, eam omnium fore virtutem et obsequendi studium, ut ad tam dura mihi non minus quam ipsis molesta remedia pervenire opus nunquam habeam. Ut vero haec ad omnium notitiam veniant, Reverentia Vestra hujus epistolae exemplar ad singulos Superiorum mittat et publice ad mensam praelegi jubeat. Demum rem hanc nunquam satis commendatam Reverentiae Vestrae curae ac vigilantiae commendo.

XXIX.

R. P. N. FRANCISCI RETZ

EPISTOLA AD PROVINCIALES 22 MARTII 1732.

De cultu S. Joannis Nepomuceni.

Cum in postrema sessione Patribus ad Comitia generalia congregatis ² inter cetera exponerem, me jam inde a quo curam universae Societatis demandatam accepi, mihi et illi pro avertendis praecipue deterrimis nec ulla saepe industria satis depellendis calumniis et obtrectationibus, quibus adversarii famam atque existi-

¹ Epistola de desiderio ac studio rerum spiritualium promovendo 17 Novembris 1706; Epist. Praep. Gener. II (Rollarii 1909), 158 sqq.

² In Congr. XVI.

mationem nostram, quae ad Dei gloriam promovendam adeo necessaria nobis est, impetere undique conantur, Patronum et Advocatum delegisse mirabilem plane boni nominis protectorem D. Martyrem Joannem Nepomucenum, atque ad obtinendum certius Sancti ejusdem patrocinium, ipsorum quoque piam opem implorarem, in tantum plerisque omnibus consilium isthoc meum placere probari que visum est, ut illud non laudarent modo, sed liberaliter etiam non minus quam pie addicerent, quod postulabam. Observata unanimi adeo omnium consensione approbationeque, facile in eam fiduciam veni, quod tam pium religiosissimorum Patrum exemplum, ceteri quoque Socii prompte secuturi essent atque ad promovendum Ordini nostro ejusdem Sancti patrocinium tanto libentius operam collaturi, quanto magis singulis cordi est et famae suae et communis Ordinis nostri illibatus decor, si praecipue aliud aliquod pietatis ejus illicium atque fomentum accederet. Curavi proinde a SS. Domino Nostro obtinere, ut sacerdotibus nostris Officium ac Missam die 16 Maji (qua scilicet die gloriosum martyrium subiit) de eodem dicere ac celebrare liceat, et tam illi quam ceteri Nostri, qui eadem die sacra Communione refecti consuetas preces effuderint et Deum etiam pro impetranda Ordini nostro ejusdem Sancti protectione atque patrocinio oraverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam consequi valeant.

Superest nunc ut, quod praesentibus enixissime postulo, sollicitudini meae pro communi bono ac honore Societatis nostraræ suam singuli conjungant, et quam benignum et facilem in preces meas expertus fui Pontificem maximum, tam sedulo concessis favoribus ad conciliandum nobis sancti Martyris patrocinium utantur. Juvat enim sperare quod, sicut divina Providentia ad illius cultum per omnes fere terrarum orbis provincias extendendum operam Patrum nostrorum adhibere dignata fuit, ita quoque intercessore eo uti decreverit ad conferendas singulares in Societatem nostram gratias; quas inter utinam et illa sit quam obtentu difficultis, tam necessaria Nostris omnibus in proximorum obsequio semper occupatis: ut scilicet praeclaro sancti Martyris exemplo, illa silentio premere et tacere condiscamus, quae dicenda non sunt, et ea praecipue, quae pro Societatis bono atque honore taceri convenit. Ceterum, ut omnes magna erga hunc Sanctum fiducia ac pietate ferri magnopere desiderem, nolo tamen per hoc quidquam derogari de fiducia ac veneratione, quam Sanctis nostris ac praeprimis sancto

Fundatori Parentique nostro praecipuam debemus; quin potius hac occasione ad accumulanda his difficillimis temporibus erga eundem religiosi cultus officia nihilo inferiori titulo omnes exhortor. Curet Reverentia Vestra, ut haec epistola nostra ad omnium notitiam perveniat¹.

XXX.

R. P. N. IGNATII VICECOMITIS
EPISTOLA AD PROVINCIALES 14 OCTOBRIS 1752.

De quibusdam rebus circa paupertatem et Scholasticorum educationem.

His literis quaedam complector in Congregatione generali² sancta, quae ipsa mihi Congregatio majorem in modum commendavit, ac Provinciis singulis per communem epistolam denuntiari jussit.

Primo, cum ageretur de paupertate, ac nonnullarum Provinciarum relatione constaret de gravibus incommodis reique familiaris jacturis interdum consecutis ex eo, quod Rectores Procuratoresque mutuam dedissent externis pecuniam Collegiorum Domorumque nostrarum, Congregatio, huic ut deinceps malo occurreret, censuit declarandum, nemini licitum posthac cuique externorum donare aut mutuam dare pecuniam, nisi impetrata prius a Superioribus expressa in hunc usum facultate; quae proinde facultas nequaquam contineri putanda est in facultatibus generalibus, si quas Nostri habeant circa paupertatem. Decretum istud, quod una cum aliis imprimi non est visum, Reverentia Vestra promulgandum curabit in sua Provincia efficietque, ut aliquod ejus documentum perpetuo exsistat apud Superiores locales ac Procuratores, ne excusari unquam possint inscientia, si quo casu violetur.

Cum deinde Congregatio decreto 11 mihi impense commendaverit, ne cuiquam Nostrorum sine gravi necessitate permitterem administrationem bonorum, eorum etiam quae quis Societati donas-

¹ « Implorate sanctos Josephum et Joannem Nepomucenum, quos ipsa (Societas) sibi peculiares patronos adscivit ». Laurentius Ricci in literis 30 Nov. 1761 ad Patres et Fratres universae Societatis datis, n. 13; Epist. Praep. Gener. II (Rollarii, 1909), 275. Cf. Breve Clementis XII « Commissae Nobis », 22 Augusti 1731.

² Congr. XVII, 22 Jun. - 5 Sept. 1751.

set, quippe rem Nostris non una sanctione vetitam, paupertati quam profitemur adversantem, multisque periculis et incommodis obnoxiam, ego ut tam aequo Congregationis desiderio, quo meliore possum modo, obsecundem, facultates omnes abrogo, quae forte in hoc genere a meis decessoribus concessae fuerint, sic ut nemini liceat in posterum hujus administrationis partem ullam attingere, sive bonorum dominium retineat adhuc apud se, sive illud in Societatem transtulerit. Neque vero eandem a me facultatem quispiam referet, nisi causae intersint praeter communem modum magnae gravesque.

Propositorum etiam fuit Congregationi, utrum liceret Domui professae habere pharmacopeam. Congregatio censuit non posse quidquam certi statui pro universa Societate, cum possit hac in re diversa esse praxis in diversis Provinciis. Propterea meae curae commisit, ut a Provincialibus exquirerem proximam hac in re propriam cujuscumque Provinciae; ex quo potissimum pendet resolutio propositae dubitationis. Erit itaque Reverentiae Vestrae, si qua sit in hac Provincia pharmacopoea Domus professae, diligenter inquirere, quomodo constituta sit, quomodo administretur, quem usum habeat pecunia, quae inde provenit, qua demum ratione visum hactenus fuerit in Provincia, id non opponi paupertati Domus professae? De iis singulatim ad me perscribat Reverentia Vestra, ut omnibus rite expensis statuere possim, quid hanc in re permitti possit salva paupertate.

Postremo circa paupertatem alia proposita fuerunt, in quibus nonnihil detrimenti factum videbatur. Sed cum de remedio consultaretur, Congregatio censuit, provisum esse per nostras Constitutiones et superiorum Congregationum decreta; ac proinde unice esse exigendam custodiam earum legum, quibus majores nostri paupertatis integritati consuluerunt; id vero Moderatoribus, ut rem maximi ad Societatem conservandam momenti, etiam atque etiam injunxit. Quod cunctis in communi Moderatoribus injunctum cum ego ad me potissimum pertinere sentiam, ita sum animatus, ut nihil in hac parte de rigore legum institutorumque nostrorum remittere unquam velim. Per me certe non stabit, quin illaesa servetur in Societate paupertas ex mente beati Patris Ignatii et ad normam Constitutionum. Sic tamen velim, ut sibi persuadeant Praepositi Provinciales aliique Moderatores, se quoque in ejusdem officii partem vocari, neque posse me satis commode ex hoc loco malis mederi

omnibus, nisi ipsi curationem consilio manuque adjuvent, aut me saltem de ipsis malis opportune commoneant.

Hanc interea curam impono Reverentiae Vestrae, ut in lustrandis Provinciae suae domiciliis inquirat diligentissime, numquid usquam peccetur contra paupertatem, in eo praecipue, quod spectat ad rationem vitae communis, contraque illam legem nominatim, qua vetamur stipendum pro nostris ministeriis accipere. Cum deinde hoc de peracta lustratione scribet, de his scribat distinctius faciatque me certiores, quid ubique invenerit corrigendum, quid remedii adhibuerit. Moneat praeterea Rectores singulos Consultoresque Collegiorum ac Domorum, debere eos deinceps in literis ad me per sua tempora perscribendis caput addere de paupertate, ac si quam notaverint in suis domiciliis singularitatem paupertati repugnantem, sive in victu, sive in vestitu, sive in cubicolorum supellectili atque omni domestico instrumento, eam mihi disertis verbis exponere. Intelligent tamen Superiores, satis non esse, ut haec ad me referantur, sed vigilandum ipsis esse, ne sensim legum nostrarum ac consuetudinum rigor exolescat, monendos praevaricatores, nullam in hoc genere novitatem sine apta coercitione transigendam. Sin connivendo, dissimulando aut etiam laxiores facultates praebendo infringi paulatim laxarique paupertatis claustra permiserint, perniciosissimae corruptelae culpam in eos omnem velut in auctores rejectum iri. Atque haec de paupertate.

Alterum, de quo sollicita valde fuit Congregatio, quodque meae potissimum curae ac providentiae commissum voluit, spectat ad educationem nostrorum juvenum Scholasticorum; quam quidem aliqua in Provincia multum excidisse a pristina severitate multi conqueruntur. Magnam sane morum ac vitae commutationem in eorum aliquibus videre est, cum a Domo Probationis in Collegium studiorum migrant. Aliam continuo speciem, aliam vivendi agendique formam sumunt. Defervescit paucis diebus ardor ille sacer, quem in Tirocinio conceperant; officia pietatis obire negligentius incipiunt; a rebus spiritualibus alienantur; quodque inde consequi necesse est, parum cum Deo conjuncti in res externas profuse vagantur. Ac scio equidem, haec posse interdum accidere humanae potius naturae vitio, quam Moderatorum incuria. At si in aliqua forte Provincia haec passim conspiciantur, si usitata, si communis forte esset in aliquo Collegio nostrorum juvenum tam luctuosa conversio, ægre persuadere mihi possem, vacare culpa Moderatores suoque eos

muneri non deesse in exsequendis iis, quae ad religiosam nostrae juventutis educationem sunt instituta.

Porro si mali, quod esset sane gravissimum, primarii inquirantur fontes, hi plerumque reperientur: Primo, quod desit forte interior cultura spiritus, ac religiosae virtutis exercitatio langueat. Deinde, quod juvenes nimis crebro egrediantur domo. Tertio, quod nimiam contrahere familiaritatem soleant cum provectionibus, ac facile permittatur iis subire aliorum cubicula, praesertim Patrum. Postremo, quod cum externis usum domi forisque habeant frequenter, quam deceat.

Jam ergo ut mali causa radicitus praecidatur, illud efficiet prium Reverentia Vestra, ut in Collegiis studiorum Praefectus rerum spiritualium sit quam aptissimus, cui nimirum juvenes arbitrium conscientiae suae libenter deferant, quique vicissim eos tum privatis colloquiis, tum publicis cohortationibus ad omnem sanctitatem exstimulet; qui subinde singulos ad reddendam conscientiae rationem, quod gravissimum apud nos est, evocet; qui denique culturam assiduam ac diligentem adhibeat teneris plantis, quae in spem Societatis adolescent. Rectoribus deinde eorundem Collegiorum quam gravissimis verbis mandabitur, ne Scholasticos adeo frequenter emittant domo; multo minus permittant iis percursitare urbem, aut domos externorum, sive officii, sive quacumque causa adire; quod quidem nemini unquam licebit, nisi impetrata prius venia, addito qui videbitur comite, aliisque adhibitis more nostro cautionibus. Praeterea exigatur efficaciter a junioribus custodia ejus Regulæ¹, qua nostris interdictum est in aliena cubicula pedem inferre, idque non de eo tantum, in quo degunt, Collegio intelligendum est, sed de aliis domiciliis etiam, quae in eadem forte urbe inveniuntur. Ad extremum, quia in aliqua Provincia scio invaluisse pravam consuetudinem, ut ipsi juvenes in Domum introducant externos eosque ad cubiculum quisque suum admittant, qua re nihil studio, quieti, silentio ac disciplinae religiosae nocentius. Si haec forte corruptela in istam Provinciam vecta sit, eam Reverentia Vestra omnino tollendam atque extirpandam curabit. Moneat juvenes non licere amplius iis externos ad se venientes excipere intra sua cubicula; janitoribus indicat, ne iisdem aditum patefacent, quin neque ad

¹ Reg. comm. 33.

januam vocandi erunt Scholastici, ut cum externis fabulentur, nisi de Superioris facultate, ut nostris Regulis cautum est.

Atque haec demum visa ad rem praesentem necessaria, quibus tamen nihil edicitur novi, quam quod saepius in Societate praescriptum est, praesertim in Ordinationibus Generalium cap. XIII et XIV iterum confirmatur ac renovatur; quo aequius videatur, ut eorum exsecutionem Superiores urgeant. Haec eadem cum ceuserent Patres deputati, Congregatio generalis actione 21, non modo judicium eorum prolixe comprobavit; verum commisit mihi, ut literas in eandem sententiam exararem et ad omnes Provincias circummitterem. Quae ego cum praesto, spero equidem, Reverentiam Vestram Rectoresque, quorum intererit, suis partibus non defuturos, sed pro eo, quanti faciunt Societatem, adnisuros, ut haec integre exacteque observentur.

XXXI.

R. P. N. PETRI BECKX

EPISTOLA AD PROVINCIALES 5 FEBRARII 1860.

De rebus nonnullis quae ad Societatis incolumitatem et progressus praesenti tempore magis necessaria videntur.

Exspectabam anno proxime elapso Patrum Procuratorum in Urbem adventum, ut de rebus nonnullis, quae ad Societatis nostrae incolumitatem et progressus praesenti tempore magis necessariae videntur, monita quaedam in Provincias transmitterem. Etsi vero ob causas omnibus notas Procuratorum Congregatio differri debuerit, non ideo equidem, quod officii munus a me postulet, praetermittendum aut in aliud tempus rejiciendum esse arbitror. Eo autem vel maxime literae, quas hac de causa ad Reverentiam Vestram omnesque Superiores dirigo, spectabunt, ut quae postrema Congregatio generalis¹ decrevit et observanda sedulo commendavit, in opus fideliter deducenda curetis.

Initium ab eo duco, quod, cum nullo non tempore necessarium sit, praesens tempus singulari ratione requirit, ut scilicet magna diligentia et iugi conatu Deo conjuncti esse et permanere nitamur. Etenim si hujus saeculi mores, ingenium et studia mentem ab hac

¹ Congr. XXII.

exercitatione avocare soleant; certe tot ac tantae rerum fere omnium conversiones, quas in dies experimur, animum in partes varias et curas multiplices, ni valde caveamus, longe facilius distrahent. Nihilominus haec ipsa obstacula, quae piam communionem cum Deo impedire videntur, diligentiam nostram et fervorem in ea servanda et perficienda augere debent. Propter quas enim causas difficilior redditur nostra cum Deo conjunctio, propter easdem magis necessaria esse cernitur. Quid enim, quaeso, tristius nobis accidere potuerit, quam inter hujus mundi filios instabiles nos quoque instabiles fieri, atque illo unico bono, cuius gratia saeculum reliquimus, si minus privari, at certe imperfectius frui? Quod si metus etiam malorum, quae impendere putantur, multorum animos occupat; quidni tanto sollicitius eum quaeramus eique adhaereamus, qui solus est *refugium nostrum et virtus*¹; et cum circa nos pleraque nutent et fluctuant, totam in illo mentem figamus, *in quo non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio?*²

Ad hanc vero intimam et stabilem cum Deo conjunctionem tum alia multa, quae in ipsis Constitutionibus leguntur, tum ea quoque, quae Congregatio generalis ultima decreto 44 de religiosa observantia non tam recens statuit, quam a majoribus statuta inculcavit, referuntur. Licet enim animi cum Deo conjunctio rerum coelestium meditatione et precandi usu assiduo potissimum efficiatur, compertum tamen est, quantum ad hunc orationis fructum assequendum regularis disciplinae diligens custodia valeat. Quippe in hac non solum continua quaedam nostri abnegatio et tam sensuum quam affectuum mortificatio exercetur, sed eadem multas occasionses, quae a Deo mentem avocare solent, praecidit nosque a saeculi tumultu magis quam claustrales muri defendit. Quod si haec vis ad mentem in Deo colligendam in omnibus, quae ad observantiam religiosam pertinent, Regulis inest, praecipue tamen hoc loco illae memorandae sunt, quibus decens externi hominis compositio et modestia religioso viro digna a sancto nostro Parente describitur. Hae enim cum sedulo servantur, oculorum et aurium portae ac lingua ipsa custodiuntur, faciliusque animi motus, quandoquidem exterius prodire prohibentur, compesci solent; quo fit ut mens in pace et humilitate interna conservata cum Deo et Sanctis ejus sine impedimento conversari possit.

¹ Ps. XLV, 2.

² Jac. I, 17.

Jam vero si inter ipsos domesticos muros haec diligens nostri custodia adhibenda est, quid, quaeso, timendum non est iis qui foris atque medio in saeculo sibi parum invigilant? Quamquam id quoque omnino verendum est, ne Nostri saepius quam par est inter saeculares versentur ad eosque visitandos non sola officii ratione moveantur, sed liberioris quoque consuetudinis amore pelliciantur. Quod cum procul dubio viris religiosis non minus perniciosum quam indignum esse soleat, voluit omnino Congregatio¹, ut modus imponeatur crebrioribus, quae nunc a Nostris alicubi fieri dicuntur, externorum visitationibus, eaque praesertim junioribus nostris multo cautius rariusque permitterentur. Quo loco eadem Congregatio accuratam observationem eorum, quae de exeuntium socio Constitutio-nes et Regulae praecipiunt, denuo enixe commendandam² censuit. Ego vero Superiores omnes oro rogoque, ut memoria recolentes tristes casus et calamitates quoque, quas experti sumus, hanc, quam vocamus, socii Regulam maximi faciant et diligenter servari current, eosque, quorum Patres in Christo nominamur et sumus, a periculis, in quae minus cauti etiam non advertentes incurruant, provide removeant.

Aliud est huic malo simile, quod me jam aliquamdiu sollicitum tenet. Cerno enim in nonnullis Provinciis frequentiorem fieri usum, quem equidem plane sublatum vellem, ut scilicet Nostri itinera cum alumnis Collegiorum vel Convictuum instituant, ita quidem, ut interdum unus e Nostris, isque ipse adhuc juvenis et immaturus cum adolescenti saeculari in longinquas etiam regiones excurrere permittatur. Quae quidem res quantis et quam multis incommodis ac periculis obnoxia sit, non est cur pluribus explicem. Ut igitur moderamen saltem aliquod adhibeat, prohibendum mihi visum est atque hisce prohibeo, ne hujusmodi itinera a Provinciali, nisi admodum gravi de causa, nunquam vero cum licentia vestem saecularem induendi Nostris permittantur. Quoties autem Provincialis permiserit, Praepositum Generalem admonebit.

Decreto 15. eadem Congregatio probavit, quod nonnullae Provinciae postulaverant, ut nimirum termini statuerentur, quatenus Nostris praesertim junioribus liceat ephemeredes, folia publica similesque libellos legere. De qua re postquam ex ejusdem decreti tenore

¹ Congr. XXII, decr. 44, n. 2.

² Ibid. n. 3.

cum Provincialibus jam egi, necnon cum Patribus Assistentibus consilia contuli, mox in Provinciis singulis, quae habita locorum et personarum ratione praescribenda visa sunt, a propriis Praepositis promulgabuntur. Haec autem dum Superiorum omnium zelo et vigilantiae plurimum commendo, non praetermittam, quin eosdem ad memoriam illius, de quo dubitare non possunt, excitem, plurimum scilicet ad Nostrorum profectum in spiritu et doctrina interesse, ut in legendo solerti quadam et provida circumspectione dirigantur. Quam enim dolendum, imo vero quid non solum spiritui, sed ipsi etiam vocationi timendum non esset, si Nostri quoque, quod multis in saecularibus hac nostra aetate cum dolore observamus, omisso vel posthabito severiorum disciplinarum studio et operum, in quibus illae solide et docte tractantur, lectione, libris et libellis quibusvis obviis pervolutandis tempus tam pretiosum quam breve perderent, animum dissiparent, cor emollirent, mentem multiplici rerum notitia non tam erudirent quam opplerent! Haec igitur sit cura tum Superiorum, tum Praefectorum spiritus et studiorum, ut Nostri, ii praesertim, qui rerum minus experti sunt, in libris, quos evolant, seligendis, non modo sibi non permittantur, verum etiam, quid hac in re prodest et nocet, rite doceantur, quo dimissa lectione, si minus noxia, at parum certe proficia, vana et ludicra, ad utile illud, de quo dixi, nostraque vocatione dignum studium sua se sponte transferant.

Quod si haec cautio in legendo, multo magis eadem in scribendo necessaria est; ita quidem, ut non solum cum scripta in lucem edenda sunt, sed etiam cum exercitationis vel alia de causa fiunt, et materia, quae tractanda suscipitur, et modus quo tractatur, religiosae huic nostrae sanctae et plane divinae vocationi congruant. Satis autem rei huic provisum erit, si ea, quae ex ultimae Congregationis mente¹ in Ordinatione anno 1854 edita² praescripsi, executioni mandentur. Quandoquidem vero et hac Ordinatione et ipso Instituto non pauca statuta sint a revisoribus praestanda, quae scriptoribus — haec enim est humana nostra infirmitas — molesta aliquando esse possint, ea quae in nonnullis Provinciis experti sumus, me inovent, revisores ut vicissim admoneam, ne onus scriptorum sine causa aut forte etiam injuria aggravent. Quod quidem facerent, si

¹ Cf. Congr. XXII, decr. 20.

² Ordinationem, ut in Inst. III (Florentiae 1893), 314 sqq. habetur, dierum 9 Febr. 1856 et 11 Maii 1862 esse ibid. significatur.

revisionem in longum tempus protraherent, si in censura et notis acerbiori stilo uterentur, si sua auctoribus sensa obtrudere vellent. Ex Regulae quidem praescripto severos potius quam molles exhibere sese debent; sed haec tamen severitas sic adhibenda est, ut doctrinam auctoris doctrina communiore probatissimorum scriptorum, et operis praestantiam probabili prudentium lectorum aestimatione, non vero sive hanc sive illam suo sensu et opinione privata dijudicent, ita ut eam tantummodo doctrinam securam putent, quae sibi magis arrideat, nec aliam operis compositionem probent, nisi suo genio respondentem.

Jam vero quod ad honoraria, quae a bibliopolis redduntur, pertinet, attendant plurimum Superiores, ne scriptoribus aliquem eorum usum, per se religiosae paupertatis legibus non contrarium, permittentes, occasionem praebant depositis pecuniariis constitutis, quae Instituti nostri menti, ac nominatim ultimae Congregationis decreto 26 conformia non sint. Ubi vero ejusmodi pecunia in libros scriptori utiles impenditur, servetur quod Ord. General., c. IV, n. 15, praescribitur, ut scilicet hi libri bibliothecae Domus applicentur, neque ex una in aliam Domum asportentur.

Quoniam ejusdem Congregationis decreto 24 horologia, quorum valor valorem communem non excedit, Nostris jam prohibita non sunt censenda, ad Superiorum directionem hac in re sequentia praescribenda mihi viſa sunt:

Primo, Superior localis iis e Nostris, quibus ipsius judicio necessarius est, horologii usum concedere potest.

Secundo, nemini Nostrorum liceat ab externis amicis vel propinquis horologium sibi accipere, nisi cum approbatione Superioris; nec justa usum horologii concedendi causa videri debet, quod cuiquam horologium ab externis offeratur; sed servandae sunt in horologis eadem atque aliis in rebus vitae communis regulae.

Tertio, horologiorum, quibus Nostris utuntur, proprietas penes Domum est, quam utentes habitant, adeoque ab iis, qui in aliam Domum mittuntur asportari non possunt, nisi Superior peculiari de causa permiserit, aut Provincialis cum aliquo ministerii vel officii gratia, quod is gerit, dispensandum esse judicaverit.

Enimvero cum de paupertate dicere coeperim, non possum, quin praefatae Congregationis decretum 25 omnibus in mentem revocans Regulas, quae paupertatis usum spectant, quam maxime commendem ac Superiores nominatim de vita communi in supellectili,

victu et vestitu illibata servanda, necnon de singularibus, superfluis et exquisitoribus tum in se, tum in subditis diligenter vitandis admoneam. Haec autem si in rebus omnibus fugienda sunt, multo magis necesse est, aedificia Domorum et Collegiorum nostris quidem usibus ac ministeriis accommodata, minime vero sumptuosa et elegantiora, sed potius paupertati et simplicitati religiosae consentanea sint. Quod enim in aedificiis contra hanc Instituti nostri formulam peccatur, et in omnium oculos incurrit, et difficilius vel nullatenus corrigi potest. Evidem magnopere desidero, Nostris omnibus persuasum et fixum in animo esse, illam quam dixi paupertatis formam, eamque solam, ad finem nostrae vocationis plene obtainendum efficacem esse; vehementer autem errare et boni specie falsa decipi eos, qui nescio quo profano ornatu externoque splendore Societati existimationem et auctoritatem conciliari posse arbitrantur. Neque enim modo apud Deum, sed etiam apud homines religiosis viris id solum honori est, quod unice a se quaeri ipso vitae genere profitentur: similes nimirum inveniri ei, qui cum *dives esset, propter nos egenus factus est, ut ejus inopia nos divites essemus*¹. Tum, inquam, nobis fidelium Christi animos conciliabimus, cum nos veros *Christi imitatores*², esse viderint et tota vivendi nostra ratione intellexerint, a nobis hujus saeculi bona respui, et pro humanae vitae ornamentis et commodis labores atque molestias eligi, ut ipsis tanto largius dona coelestia ministeriis nostris obveniant.

Utinam, Patres in Christo reverendi, utinam ad hoc curae nostrae semper invigilent, ad hoc conatus nostri omnes dirigantur, ut cum in nobis ipsis, tum in iis, quos Societas regendos nobis credit, Jesu Christi pauperis et humiliis imago perficiatur. Haec enim sola est, quae divinis conspectibus gratos nos reddit; haec sola, quae *Deo adhaerere possumus*, ut *unus cum ipso spiritus*³ mens nostra efficiatur et inter hujus vitae multiplices labores, aerumnas et turbationes immota persistat, ejusque pacis dulcedine fruatur, quae aeternae requiei inaestimabile pignus est.

Verum enimvero, antequam scribendi finem faciam, non possum, quin repetam et Superiorum omnium fidei committam id, quod olim Patribus congregatis in Provincias reversuris studiose

¹ 2 Cor. VIII, 9.

² 1 Cor. XI, 1; cf. Eph. V, 1.

³ 1. Cor. VI, 17.

commendabam, ut nimirum maxima, qua quisque posset, diligentia ad Nostrorum formationem studium et operam conferrent. De quo sinite me, Patres Reverendi, ea quae saepe animo volvo, depro-
mere. Imprimis igitur huc pertinet, ut quae de examine admitten-
dorum praescripta sunt, exakte serventur, et in Societatem non re-
cipiantur, nisi qui ad ejus spiritum, vitae rationes et ministeria
rite formari possunt. Qua in re, ut verbis utar S. Francisci Borgia,
*si alia intentione procedatur, quam quae a nostris Constitutioni-
bus requiritur, certissimae ruinae porta aperietur*¹. Postquam
vero Tirocinii experimentis peractis digni inventi sunt, qui ad vota
Scholasticorum admitterentur, Societate ipsa testante, *nihil est,*
quod magis ab ea desiderari debeat, majorique studio promoteri,
quam ut hi juniores nostri illum spiritus fervorem, quem initio
*hauserunt, conservare ac in dies augere studeant*². Jam vero si
compertum omnibus et persuasum est, ad functiones nostrae voca-
tionis proprias eos demum idoneos esse, qui ad spiritus fervorem et
virtutem non mediocrem humanitatem et doctrinam adjunixerint,
illud velim ab iis, ad quos pertinet, diligenter considerari ac mente
revolvi, doctrinam ad Societatis ministeria necessariam non posse
in Nostris sperari, nisi literarum studia ordinate atque eo prorsus
modo fiant, quem a majoribus traditum leges nostrae praescribunt.
Denique etsi virtus et doctrina ad ministeria nostra disponant, vix
tamen quisquam in iis cum fructu et satisfactione versabitur, nisi
ad cuiusvis officii munus, antequam suscipiat, instruatur et in exse-
quendo suscepto consiliis expertorum dirigatur. Quare haec quoque
pars eaque non minima illius institutionis est, qua Societatis ho-
mines formantur, et quae Superioribus summopere cordi esse debet.

Quae cum ita se habeant, prima quidem cura Praepositorum
provincialium esse debet, ut ii, quibus juventutis nostrae educa-
tio concreditur, viri sint selecti et probati. Tum vero in visitanda
Provincia inquirant necesse est, et solerter circumspiciant, an ea
omnia, quae de Nostrorum in spiritu et literis institutione ordinata
sunt, religiose serventur. Attamen haec utraque cura frustra adhi-
bebitur, nisi Provincialis in personarum dispositione non modo evi-
tet, ne Tirones ante tempus a probationibus, et juniores a studiis
avocentur, sed etiam provideat, ut studiis absolutis ad ea quisque

¹ Ep. de mediis conservandi spiritum, Apr. 1569; Ep. Praep. Gen. I (Rollarii 1909), 56.

² Congr. VI, decr. 16.

ministeria applicetur, quibus magis idoneus fore speratur in iisdemque, cum proficit, diutius retineatur. Quo loco commemoranda est gravis multorum non solum ex Societate, sed etiam externorum querimonia de mutatione personarum et munerum in nonnullis Provinciis tanta, ut vix non singulis annis in plerisque domiciliis major Sociorum numerus immutetur, et Socii ipsi brevi annorum spatio plura eaque diversissima ministeria obire cogantur. Quod etsi, in Provinciis praesertim nondum bene constitutis, evitari semper ex integro non posse scio, ubi tamen frequens esse solet, praeter alia multa hoc habet gravissimum incommodum, ut Nostri per multa ministeria transeuntes in nullo, ut ita dicam, radices agant, atque saepe etiam taedio affecti animoque cadentes ad se perficiendos vix amplius serio incumbant. Ad hoc igitur velim Praepositi Provinciarum, cum munera distribuunt et de Sociis disponunt, tamquam ad rem permagni momenti attendant.

Quamquam nec illud dissimulandum est, curam et sollicitudinem Provincialis, qualiscumque fuerit, cassam fructuque vacuam fore, nisi Superiorum localium gnava industria juvetur. Accidit autem non semel, ut, cum ad me Rectores Collegiorum et Convictuum querelas de magistris et praefectis morum haud satis formatis detulissent, non ita multo post de iisdem Rectoribus alii referrent, culpas subditorum ab ipsis scienter quidem notari, at non item sedulo corrigi, ac nominatim modicam curam adhiberi, ut juvenes sive in spiritu juvarentur, sive in studiis literarum manu ducerentur, sive in arte docendi et pueros regendi instituerentur. Quod si Superioris, hac cura Nostrorum posthabita, vel in cubiculo lateant privatis laboribus dediti, vel extra domum in sacris ministeriis versentur, videant, quaeso, ne laboribus multis pro aliis functi, apud Societatem in reprehensionem, quod muneris sui partes neglexerint praecipuas, incurvant, ne etiam Apostoli severa sententia de iis qui *domesticorum suorum curam non habent*¹, aliquo modo perstringantur. Etiamsi enim non solum bona, sed eximia quoque fuerit juniorum in Tirocinio et Scholasticatu institutio, nisi ea per multos annos prudenti et sedula caritate continuetur et perficiatur, sperare non possumus, fore ut Societas homines nanciscatur, quales Institutum postulat, formatos. Qua de causa vos ego omnes, reverendi in Christo Patres, oro atque obtestor, pro eo, quo Societatem amore

¹ 1 Tim. V, 8.

prosequimini atque per eam cupitis divini nominis gloriam longe lateque propagari, in hoc maxime animos intendite, ad hoc studio perpetuo incumbite, ut qui Socii paternae vestrae providentiae commissi sunt, omni virtute, doctrina et prudentia sancta augeantur ac perficiantur, quo Societas seu corpus, cuius membra apte disposita et conformata sunt, ad opus, quod assumpsit, exsequendum valentior in dies existat. Deus autem Dominus noster *mittat de coelis sanctis sapientiam suam, ut vobiscum sit et vobiscum laboret*¹, ac *abundetis in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*².

XXXII.

R. P. N. PETRI BECKX

ORDINATIO 22 FEBRUARII 1860.

**De facultatibus ab Urbe per Provinciales tantum petendis,
et de non exquirendis facultatibus aliarum familiarum religiosarum.**

Frequenter aliquo ex tempore accedit, ut Socii e Provinciis ad Nostros vel etiam ad externos in Urbe commorantes pro variis facultatibus sibi vel aliis obtinendis per se ipsi recurrent. De qua re R. P. Joannes Roothaan p. m., anno 1832 ad Provinciae cuiusdam postulatum respondens, sic statuit: *Prohibere debet Provincialis, ne quis deinceps aliter quam approbante et mediante Provinciali nec per aliam riam, quam Procuratoris generalis, sibi vel aliis concedi quaerat quasvis benedicendi, indulgentias applicandi etc. facultates. Quoad facultates aggregandi ad rarias aliorum Ordinum confraternitates aliaque sodalitia a Societate aliena, illae a Nostris nec petendae nec usurpandae sunt.* Quod quidem responsum et menti Constitutionum³ plane consentaneum et rectae administrationi accommodatum est.

Neque enim convenit, praeter facultates communes, quas Superiores Societatis juxta apostolica indulta concedere possunt, alias et maxime insolitas quibuslibet, qui desiderant, procurari; cui autem pro locorum et personarum conditione necessariae vel certe

¹ Sap. IX, 10.² 1 Cor. XV, 58.³ Parte sexta c. I. n. 3.

valde utiles sint, Provincialis est judicare. Accedit, quod pro facultatibus ejusmodi obtainendis haud raro expensae facienda sunt, quas sine approbatione Provincialis rationibus Provinciarum inferri eo minus decet, quod Provinciae jam magis quam vellem gravatae sunt. Itaque efficiat Reverentia Vestra, ut in posterum, qui facultatem aliquam sibi obtineri desiderat, ad suae Provinciae Praepositum recurrat, qui si annuendum putaverit per se vel per procuratorem Provinciae Romam ad P. Procuratorem generalem referret. Quod ad confraternitates vel sodalitates, quae ab aliis familiis religiosis diriguntur pertinet, potestatem eas instituendi, vel in jam erectas fideles admittendi, Nostri iis saltem in regionibus, ubi ejusmodi familiae religiosae domicilia habent, nec quaerant, nec si jam acceperint, usurpent. Sed considerandum quoque, opportunum non esse, ut facultas extraordinarias indulgentias crucibus vel rosariis applicandi pro multis Nostrorum a sancta Sede petatur, ac in universum desidero, ut Nostri ad promovendam fidelium salutem atque perfectionem iis potissimum devotionis adminiculis insistant, quae Instituto nostro magis propria sunt et a majoribus nostris copioso animarum fructu fuerunt adhibita; idcirco omnes multo magis cordi habeant, facultatibus, quas Sedes apostolica nobis magna liberalitate concessit, fructuose uti, quam novas in dies sibi acquirere.

Has literas meas Reverentia Vestra cum Superioribus localibus communicet, in triclinio ad publicam mensam legendas et in librum Ordinationum transcribendas.

De eodem argomento R. P. N. Franciscus Retz iam antea in fine epistolae ad Provinciales 1 Februarii 1735 datae haec scripserat:

Demum hac etiam occasione commendare omnibus debo et quidem ex mente SS. D. N. Clementis XII mihi vivae vocis oraculo expresso communicata observationem accuratam eorum, quae in Constitutionibus parte sexta, c. I, n. 3, his verbis praescribuntur, « ne scilicet privatus quispiam directe vel indirecete sine Superioris facultate et approbatione, a summo Pontifice, nec ab alio extra Societatem gratiam ullam in suum privatum vel alterius usum petat, aut petendam curet sibique persuadeat, si per Superiorum suum vel cum ejus consensu quod optat non obtainuerit, ne quidem ad divinum servitium sibi convenire; et, si convenit, cum Superioris consensu, ut qui Christi Domini nostri locum erga ipsum tenet, id se consecuturum ». Nihil vero opus esse existimo, Nostros pluribus adhortari ad observationem huius Constitutionis, cum religiosae eorum virtuti abunde suffecturum sit,

quod neverint eam a sanctissimo Fundatore nostro non utique sine summa ratione nobis relictam, a Sede apostolica toties approbatam ac iterum novissime a SSmo Domino nostro pro paterno, quo Societatem nostram complectitur, amore commendatam.

XXXIII.

R. P. N. PETRI BECKX

EPISTOLA AD PROVINCIALES 1 MARTII 1861.

De suffragiis pro Nostris, qui extra Provinciam moriuntur, praestandis.

Quoniam cognovi, de suffragiis pro Nostris, qui extra Provinciam suam moriuntur, praestandis alios aliter sentire, atque propterea non eundem in omnibus Provinciis usum servari, cum Reverentia Vestra communico, quod de hac re et alias a me et dudum ab antecessoribus meis ad mentem Instituti responsum est. Pro iis igitur, qui Provinciae, in qua diem supremum obeunt, applicati erant, etiamsi ad tempus tantum, suffragia fieri debent a Sociis Provinciae, in qua moriuntur. Applicati autem Provinciae censentur ii, quibus munus ad eam Provinciam pertinens sive a Praeposito Generali, sive mutuo Provincialium consensu impositum est¹. Pro iis vero, qui Provinciae, in qua vita defunguntur, non erant applicati, sed in ea sive ad tractanda suaे Provinciae negotia, sive studiorum vel valetudinis gratia aut alia simili de causa morabantur, tria quidem consueta suffragia a Sociis Collegii vel Domus, ubi moriuntur, reliqua autem facienda sunt a Sociis Provinciae, cui adscripti erant. Hac eadem norma definitur, pro quibus defunctis ii, qui extra suam Provinciam degunt, suffragia praescripta exsolvere teneantur.

Curet Reverentia Vestra, ut hoc meum responsum Sociis omnibus notum fiat, et quo in posterum uniformiter servetur, in librum Ordinationum transcribatur.

¹ Congr. IX, decr. 33; Congr. XVIII, decr. 16.

XXXIV.

R. P. N. PETRI BECKX
EPISTOLA AD PROVINCIALES 12 MARTII 1861.

De angelica virtute in Societate servanda etc.

Neminem nostrum latere potest, quanta cura et sollicitudine providerint nostri majores, ut angelica virtus illibata semper in Societate nostra conservaretur et floreret; et nemo non videt, quanti nostra referat, in hac virtute colenda eorum monita et exempla sectari, *enitendo*, ut sanctus Pater ait, *angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia*¹. Quoniam vero praesens temporum ratio pretiosissimae huic virtuti conservandae non levia neque pauca suscitare soleat pericula, opportunum atque mei muneris officio plane consentaneum esse existimo, Reverentiae Vestræ et per eam iis, ad quos aliqua ratione pertinet, nonnulla in memoriam vocare, quae ad avertendum malum, quod præ ceteris exhorrescimus, necessaria vel opportuna esse cognoscuntur.

Imprimis in admittendis iis, qui Societatem petunt, magna circumspectione opus esse novimus. Vocationi enim nostræ idonei non sunt putandi, qui ad carnis vitia ipsa natura et indole procliviores sunt; ii vero, qui iis vitiis aliquando implicati erant, etsi habita naturalis indolis et educationis ratione spem solidæ et constantis emendationis nunc forte præbere videantur, non sunt tamen admittendi, nisi propositum vitae melioris re et opere jam probaverint ac notabili temporis spatio extra Societatem ab omni labe purgati vixerint. Qui autem jam sacerdotes huic vitio inhaerebant, etiamsi ab aliquo tempore relapsi non sint et emendati videri possint, nullo modo admitti debent.

Haec, quae de admittendis dixi, non solum iis, qui in Tirocinium recipiendi potestatem habent, sed examinatoribus quoque et præcipue confessariis nota esse debent, ut aspirantes ejusmodi suaviter inducant ad sibi alio in vitae genere consulendum. Nostri autem intelligent, se nec Deo obsequium præstituros, neque Societatis in columitati, neque ipsorum aspirantium saluti, neque propriae conscientiae consulturos esse, si vel levitate animi, vel tenero quodam commiserationis affectu iis quos dixi non dissuaserint Societatis

¹ Reg. Summarii 28.

ingressum tentare. Si cui eorum tutius credant e saeculo exire, eum ad alios Religiosorum Ordines, in quibus ab externis periculis magis remoti, vel alia, quaecumque fuerit, de causa magis tuti fore sperantur dirigant.

Invigilandum deinde quam maxime, ut Tironum nostrorum educatione sit minime mollis, sed *ad crucifigendum veterem hominem cum vitiis et concupiscentiis*¹ suis accommoda sit. Et quoniam in hunc finem praeter communes exercitationes S. Pater noster sex illa peculiaria experimenta praescripsit², curandum sane est, ut ea a Novitiis omnibus rite et serio obeantur; illis vero, quae habita locorum et personarum ratione judicio Provincialis fieri non posse videbuntur, alia ad perfectam mortificationem quam aptissima substituantur. Atque hic observare juverit, aliqua horum experimentorum ex mente S. Ignatii ideo quoque requiri, ut Tirones non solum inter domesticos muros, sed etiam foris inter saeculares sui specimen praebeant: quare S. Fundator voluit, ut de boni nominis odore, quem reliquerint, externorum testimonia afferrent³. Quod si magister in Tirone aliquo non dico hanc ipsam, de qua loquor, labem, sed vel peculiarem dispositionem ad eam talem, propter quam juxta superius dicta admitti non debuisset, post admissionem detegat, omnino curet, ut is e Tirocinio dimittatur, nec unquam vota sive devotionis, sive scholasticorum facere permittatur.

Quod aliis causis in Instituto commendatur, id etiam Provinciali ad hoc periculum vitandum cordi esse quam maxime debet, ne scilicet juniores ante tempus in Collegia ad docendum, vel quod pejus est, in Convictus ad pueris invigilandum mittantur. Nisi enim vitae spiritualis semina et tenerae adhuc virtutum plantae profundiores in animo radices egerint, hi nostri juvenes in multas occupationes distracti et rebus externis nimium dediti, facile in pericula, quibus circumdantur, incauti incurront, non suo solummodo, sed et totius Societatis damno. Considerent ergo Superiores, maxime Provinciales, se sine laesione caritatis inexpertos Scholasticos ante tempus exponere non posse, et ab ipsis rationem exacturum esse Deum, si illi periculis, quibus expositi fuerunt, succumbant.

Ob hanc causam Rectores Collegiorum et Convictuum magistros ac morum praefectos (quos invigilantes vocamus) in spiritus fer-

¹ Rom. VI, 6; Gal. V, 24.

² Exam. c. IV, n. 9-24; c. VII, n. 6.

³ Exam. c. IV, n. 19, 20, 22.

vore conservando et augendo sedulo adjuvent, eos saepe ad se vocent et paterne alloquantur, in via spirituali dirigant, occasiones animum dissipandi, si removeri nequeant, saltem minuant; ubi vero periculum aliquod jam immineat, illud prompte et, si suavi non possint, forti manu tollant; atque hanc curam ita suo officio propriam esse sciant, ut eam sine noxa negligere non possint.

Quoniam vero magistrorum et praefectorum in suis officiis fidelitas et profectus ex tota nostrorum educatione et formatione plurimum dependet, hinc eorum quoque Superiorum, qui Seminaria, in quibus Nostri educantur, regunt, paternus zelus excitandus est. Praeter ea autem, quae ad orationis et mortificationis studium et solidarum virtutum exercitationem generatim pertinent, in quibus procul dubio momentum maximum ad quaevitia extirpanda ponendum est, nonnulla tamen hic singillatim commemoranda sunt, quae nisi studiosius vitentur, juventuti nostrae non poterunt non esse exitiosa. Ad haec imprimis pertinet: a) Lectio librorum et libellorum, ne dicam minus casta, at ludicra saltem, futile et profana, de qua alias in literis ad Superiores die 5 Febr. 1860 datis locutus sum. Persuasum habeant omnes velim, quaecumque mentem dissipant, a serio labore et a consortio divino avocant, etsi per se inhonesta non fuerint, nihilominus pravam sensuum inclinationem excitare et augere aut certe vim spiritus ad eam domandam debilitare. b) Hac de causa magna etiam solertia providendum est, ne ea, quae nominatim tempore majorum vacationum ad relaxandum animum et reficiendas corporis vires conceduntur, modum et mensuram excedant. Ne igitur ludi permittantur, qui a modestia et maturitate religiosa alieni sunt, neque eorum causa frequentius a consueto ordine domestico dispensetur; cum ad animi quietem et recollectionem inter oblectamenta, prout decet, conservandum ordinis domestici custodia plurimum conferat et juvet. c) Quoniam vero accepi, nonnullis in locis hoc vacationum tempore etiam ludos quosdam scenicos institui solere, in quibus juniores nostri a veris actoribus, si vestem demas, vix differant, hos ludos non promoven-
dos, sed potius eliminandos curet Reverentia Vestra. d) Verum etiam in extraordinariis prandiis aliquis corporis refectionibus seu animi relaxationibus providendum est, ne sive cibi potusve lautitia aut abundantia, sive risu et cachinnis, sive colloquis vel cantu,

¹ Supra p. 133 sq.

plus nocumenti spiritui quam emolumenti corpori afferatur. Neque hic dissimulo, id timendum omnino esse a conviviis, quae quibusdam in locis magistris aliquoties per annum concedi solent, si eo instituantur modo, quem viri fide digni non sine gravi dolore ad me retulerunt. Videat igitur Reverentia Vestra, ut in his omnibus et ubique servemus monitum Apostoli dicentis: *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant*¹.

Quod jam ad sacerdotes, qui studia absolverunt, pertinet, imprimis Reverentia Vestra attente semper consideret, quod ministerium cui committat, atque hac in re non solum aetatis et maturitatis, sed etiam indolis et morum rationem habeat. Et generatim, ut juniores ante tempus e Seminariis non sunt educendi, sic etiam sacerdotes juvenes ad ministeria, in quibus multum est cum saecularibus et extra domum agendum, non sunt deputandi. Praecipue vero curandum, ne Nostri, maxime juniores, devotularum spirituali cura nimium occupentur. Constat enim quanta sollicitudine omni tempore providerint Praepositi Generales, ne hac occasione Societati aliquod damnum oriretur. Atque nunc magis quam alias unquam in hac re diligentiam Nostrorum excitare oportet: videmus enim ultimis temporibus quibusdam in locis varias sodalitates erigi, varia pia opera institui variasque industrias adhiberi, quibus diversae hominum, maxime autem mulierum classes facilius et efficacius ad pietatem adducerentur. Non inficiar, exinde passim magnum colligi animarum fructum; verum ne nobis inde pericula nascantur, sedulo providendum est. Et dum audio nonnullos totos sese impendere ad hujusmodi mulierum sodalitia omnisque generis pia opera promovenda, quo fit, ut cum devotis illis personis frequenter agere cogantur, et dum simul considero, majores nostros, ut ex eorum praescriptionibus et exemplis novimus, circa devotarum directionem fuisse semper cautissimos, non possum non Superiorum excitare vigiliam, ut quam diligentissime current, ne Nostris damnum inferat, quod in aliorum bonum ab eis praestatur. Unde praefatis Superioribus sollicite commendo, primo quidem, ut habita ratione eorum, quae circa visitationes mulierum legibus nostris praescripta sunt², diligenter probent, cuius spiritus sint³, qui ad hujusmodi pia instituta dirigenda destinantur, et secundo, ut si quos viderint in illa

¹ 1 Cor. XIV, 40.

² Reg. sacerdot. 18; Coadjut. tempor. 5; Praepos. Dom. prof. 72; Rect. 70.

³ Cf. 1. Joan. IV, 1.

opera nimis effundi, aut si in aliquo quempiam observaverint pruritum nova continuo opera inveniendi, ejusmodi homines fortiter cohibeant, eosque potius ad consueta et ordinaria Societatis ministeria restringant.

Sed etiam nimia et multiplex occupatio non uni Operariorum nostrorum occasio fuit spiritum, quem Probationum tempore collegerat, effundendi et dissipandi. Qui enim multiplici occupationum genere in varia ita distrahitur, ut sibi attendere et rebus spirituалиbus rite vacare non possit, is laqueos, quos inimicus in ipso sancto ministerio aut ejus occasione tendere solet, difficulter vitabit. Quare hic quoque Superiores omnes quam possum graviter commoneo, ne vel zelo inconsiderato, vel nimio amicis et fautoribus obsequendi studio, plura opera suscipiant, quam Operariorum, de quibus disponere possunt, numerus et vires permiserint. Plane enim vero compertum habeo, hanc esse unam ex praecipuis causis, cur in nonnullis Provinciis praeter alia mala hanc quoque, de qua loquor, calamitatem tristissimam experti simus. Videant, quae so, Superiores et coram Deo serio expendant, quam nedum a prudentia, sed a vera etiam caritate alienum, quin etiam quam crudele sit, opera et ministeria ad alios salvandos cum periculo Nostros perdendi multiplicare, praesertim cum talis Sociorum ruina in Societatis summum dedecus et fidelium quoque gravissimam offenditionem haud raro redundet.

Alia quoque cautela hic attingenda est: Ut Nostri, cum feminas ad confessiones audiendas vel alia de causa adeunt, socium secum retinere debent, sic regula praescribit, ut cum illae ad Nostros alloquendos veniant, non audiantur, nisi in loco patentⁱ. Quare ex Instructione tertia n. 3, nonnulla loca patentia et decentia in aliqua templi parte seu atrio ad hoc assignari consueverunt; et haec consuetudo, ubicumque fieri potest, retinenda aut introducenda est. Ubi autem loci constructio id non permittit, vel ecclesia Domui contigua non habetur, cubiculum vel atrium prope januam et extra clausuram situm ad ejusmodi collocutiones destinari potest, dummodo tale sit, ut locus patens vere dici possit atque ita sit dispositum, ut a custode januae et transeuntibus, quidquid in eo agitur, facile conspicere possit.

De visitationibus etiam externorum non multiplicandis atque

ⁱ Reg. sacerd. 17.

de Regula socii accuratius servanda hoc loco fusius loquendum mihi esset, nisi monita Congregationis generalis ultimae¹ literis iam memoratis Superioribus omnibus nuper, quantum potui, commendassem². Pratermittere autem non possum, quin in memoriam revocem, quae in Congregatione decima sexta decreto 25, *de facultate rusticandi apud externos, et excurrendi extra Domos nostras nonnisi rarissime graribusque de causis atque ad breve tempus nec unquam sine socio concedenda praescribuntur*. Ob easdem vero causas, quae ad sic de rusticatione statuendum Societatem moverunt, vitandum etiam quantum fieri potest, ne Nostri ad thermis utendum in ea loca, ubi externi confluere solent, mittantur. Et certe nisi urgeat vera necessitas, hoc remedii genere viris religiosis non una de causa abstinendum est; persuadere autem mihi non possum, veram necessitatem semper adfuisse, cum his postremis annis Nostris permetteretur. Video enim in nonnullis saltem Provinciis eum usum, qui antea in Societate erat plane rarissimus, in dies magis invalescere; atque huic quoque causae spiritualis vitae temorem et animi levitatem, quae in nonnullis dolentes experti sumus, merito adscribendum esse censeo. Quod si ex decreto supra commemorato ei, qui apud externos rusticatur socius addendus est, id multo magis servare oportet, cum quis ad thermas mittitur. Sed enitendum quoque est Superioribus, ut quoties Nostri iter faciunt, socio non destituantur.

Postremo curandum est, ut non solum Superiores, sed confessarii quoque Nostrorum tam ordinarii quam extraordinarii, quae in epistola R. P. Claudii anno 1596 data³ de iis qui in Societate fiche procedunt, continentur, probe cognita habeant atque in directione Nostrorum fideliter sequantur. Hoc autem ideo noto, quia mihi constat, multis confessariis Nostrorum, quin etiam Superioribus nonnullis illam epistolam, licet ejus exemplaria cum aliis epistolis a praedecessore meo in Provincias missa fuerint, ignotam hactenus fuisse. Commandanda etiam est praesertim Superioribus attenta lectio et consideratio cap. V Instructionis de *Spiritu ad Superiores*, P. Claudii⁴.

Atque haec sunt, reverende in Christo Pater, quae auditis Patribus Assistentibus ad conservandum in Societate nostra sanctae

¹ XXII, 21 Jun. - 31 Aug. 1853.

² Supra p. 131 sqq.

³ Supra p. 28 sqq.

⁴ Ordin. Gener., c. II, n. 3; Congr. XVIII, decr. 9.

puritatis ornamentum enixe commendanda esse putavi. Reverentia Vestra hanc meam epistolam serio consideret eamque communicet cum suis Consultoribus et praeterea cum iis Patribus, maxime Rectoribus et Superioribus, quibus ejus cognitio utilis fore videbitur.

XXXV.

R. P. N. PETRI BECKX
EPISTOLA AD PROVINCIALES 31 AUGUSTI 1866.

De clausura in Convictibus servanda.

Cum in aliquibus nostris Convictibus vix ulla reperiatur separatio Nostros inter et convictores, inde evenit, ut si quando mulieres ad visendos alumnos admittantur, per varias aedium partes, ubi Nostri permixtim cum alumnis commorantur, transire debeant, et proinde canonica clausura non servetur; tali incommodo omni possibili modo occurendum est. Videant ergo omnes, quorum interest, qua ratione stabiliri possit debita separatio in Convictibus jam exstructis, in quibus huc usque locum non habet. Ubi autem de aedibus nondum ex omni parte aedificatis agitur, res ita ordinari debent, ut Nostrorum habitationi pars aliqua reservetur, in quam mulieres nullatenus admittantur, et in qua debita clausura servetur. Hoc punctum zelo Reverentiae Vestrae valde commendo ¹.

XXXVI.

R. P. N. PETRI BECKX
EPISTOLA AD PROVINCIALES 6 JANUARII 1870.

De admittendorum delectu rectaque admissorum institutione.

Etsi nemo dubitet, Societatis nostrae perfectionem atque incrementum ex admittendorum delectu rectaque admissorum institutione maxime pendere, ad praxim tamen quod attinet, plures hac in re offendi solent difficultates, quibus superandis magno animo atque constantia Superiores adlaborent necesse est. Hinc decessorum meorum vestigiis insistens nostrique Instituti legibus admonitus, non semel Superiores adhortatus sum, praecipue vero per

¹ Cf. Congr. XIV, decr. 20; epist. R. P. N. Ludovici Martini, 10 Nov. 1903 - infra p. 167 sqq.

epistolam die 2 Februarii datam anno 1866¹, ut educationem Tironum et Scholasticorum cordi haberent atque omni, qua possunt, diligentia et caritate procurarent.

Iterata haec monita bono effectu minime sane caruerunt, licet non omnium in iis exsequendis par fuerit cura et perseverantia. Sed timendum adhuc est, ne Provinciales nimia quandoque ac importuna Rectorum instantia vinci se sinant, ac proinde, ut momentaneum aliquod commodum comparetur, gravi Societatis damno bona juniorum nostrorum informatio praepediatur. Hinc certe fit interdum, ut egregii quidam Scholastici, qui ad majora in posterum praestanta et dotibus et voluntate pollebant, idoneae institutionis defectu Societati deinceps parum utiles existant sibique ipsi oneri esse incipient.

Timendum praeterea est, ne in admittendis candidatis praestitutae a S. Patre nostro leges vel negligentur, vel privatis Nostrorum affectionibus posthabeantur. Contingit enim haud raro, ut Scholastici quidam in Provinciis reperiantur, qui sive defectu boni judicii, sive inertia quadam et remissione animi, sive impatientis naturae inquietudine, sive alio vitio ad omnia fere Societatis ministeria inepti sint.

Quapropter, ne quid Societas detimenti capiat, vel quod non rite finguntur, qui apti sunt ad nostrum Institutum, vel quod inepti admittuntur et ultra quam par est retinentur, opportunum existimo, praecipuas de admissione atque institutione Nostrorum leges et statuta in memoriam Superioribus revocare ac veluti ob oculos ponere, praesertim quod ea non semper neque ubique satis attendi et servari videantur.

Et primo enixe monitos volo eos, quibus examinandi aut admittendi candidatos cura commissa est, ut serio animadvertant, magni momenti officium sibi incumbere, ac proinde piae oculis habeant summaque fide obseruant examinandi modum, qui praescribitur in Examine ac Regulis² quique communis majorum usu atque experientia sanctius est. Nulli propterea candidati admittantur, nisi fuerint prius a quatuor perspectae prudentiae Patribus examinati. Quod praescriptum a nobis eo maxime observandum est, quia cum Pii IX motu proprio generalis aliqua norma susceptioni Novitio-

¹ Epist. Praep. General. III, 130 sqq. (praesert. 147 sqq.).

² Exam. c. 2, 3, 5-8; Regulae examinat.

rum anno 1848 praestituta fuisse, quae in Societate nostra sine gravi incommodo servari non poterat, idem Pontifex, auditio quem modum quantamque diligentiam in admissione Tironum Societas Jesu adhibere soleat, benigna dispensatione indulxit, ut eam ob causam ab observatione pontificii ejus decreti immunes essemus.

Novitii scholastici e Tirocinio educendi non sunt, nisi biennium absolverint¹. Quod mandatum quam sit necessarium experientia abunde demonstrat. Non raro enim summo cum dolore comperimus, quando de dimittendis agitur, praecipuam causam, unde ad luctuosam hanc necessitatem adigimur, ex Tirocinio vel non rite peracto vel perperam decurtato esse repetendam. Sicubi tamen ratione habita personarum, locorum ac temporum expedire vel opus esse in Domino judicabitur, poterunt Provinciales ex commissione Praepositi Generalis permittere, ut secundo Tirocinii anno aliquod tempus in studiis impendatur, maxime si haec vel in ipsa Probationis Domo vel juniores inter Scholasticos peragantur². Verum quod Novitii scholastici ad Collegia mittantur, ut alumnis advigilent vel eosdem doceant, id adeo vocationi eorum periculosem ac noxiem, adeo Societatis nostrae bono contrarium esse arbitror, ut facultatem hac in re dispensandi soli Praeposito Generali reservatam velim.

Novitii coadjutores e Tirocinio extrahendi non sunt, nisi unum saltem solidum annum in eodem exercitati ac bene probati fuerint³, nec vero, etiam cum ita educantur e Tirocinio, in publicis muneribus occupandi sunt. Quin imo, cum hoc tristissimo tempore plures quam olim insidiae struantur virtuti, et qui admissionem petunt, parum ad vitam spiritualem praeparati esse soleant, cumque non raro Superiores conquerantur, Coadjutores temporales non satis esse formatos, summopere optandum est, ut iidem toto biennio in Domo Probationis maneant ibique serio exerceantur et ad munera sui status bene praeparentur.

Sacerdotes Novitii juxta praescriptum Congregationis vigesimae⁴ unum saltem integrum annum in Tirocinio degant, sub cuius exitum in sacris ministeriis exerceri possunt, sed ad breve tempus probationis gratia, non autem tamquam Operarii, quibus ordina-

¹ Const. parte quinta c. I. C.

² Congr. XI, decr. 14.

³ Congr. VII, decr. 80, n. 15.

⁴ Decr. 12, n. 4.

rium hoc munus demandatum sit ¹. Hic tamen experientia doctus Superiorum vigilantiam maxime excitatam cupio, ut eos, qui sacerdotes Tirocinium ingrediuntur et in antecessum curam animarum habuerunt, non passim aut nimis cito, etiamsi biennium absolverint, sacris ministeriis addicant, sed potius in Collegiis occupatos diutius retineant. Secus enim tales viri antiquum suum habitum, ut experientia docet, vix unquam exuent ac tamquam peregrini in Societate a ceteris diversi et sibi et aliis molesti semper existent.

Hoc loco monendum est etiam, ut Superiores de studiis extra Societatem factis candidatos examinando current, nisi de iis aliunde constiterit; eos vero, qui philosophiae et theologiae cursum absoluerunt, de utraque facultate ante secundam Probationem, vel certe priusquam memoria partae doctrinae dilabatur, examinari faciant. His porro, si forte absoluto Tirocinio videantur magisterio destinandi, concedatur spatium ad se praeparandos requisitum, ut nostram docendi rationem discant suamque faciant. Iis autem omnibus, qui sacerdotes Tirocinium ingrediuntur, nisi forte in Collegio Societatis theologiam cum profectu audierint, tempus necessarium detur ad recolendam moralem theologiam ², quod securius deinceps ac fructuosius juxta spiritum nostrae vocationis in vinea Domini laborare valeant.

Ad haec Superiores et maxime Provinciales diligenter current, ut ii qui tempore Novitiatus requisitum virtutis gradum non attingunt vel habilitate ad ministeria nostri Ordinis carere deprehenduntur, intra biennium ipsum dimittantur. Qua in re Praepositi provinciales, posthabitatis ineptorum patronis, Magistri Novitiorum judicium magni faciant nec se in dimittendo difficiles exhibeant ³.

Contingit etiam aliquando, ut candidati bonis testimonii commendati recipiantur, qui tempore quidem Novitiatus bonam de se spem praebent, at deinde ad studia applicati exspectationi non satisfaciunt, imo vero ad Societatis officia vix aut ne vix quidem apti esse deprehenduntur. Videant Superiores, quorum sollicitudinem hac in re summam esse oportet, videant, inquam, ne privatum unius Scholastici bonum communi praeferant, ac serio reputent, utrum hi diutius tolerari possint, an potius tempestive in pace sint dimit-

¹ Reg. 36, Mag. Nov.

² Congr. XIII, decr. 16, n. 4.

³ Instr. VI, n. 1 et 2.

tendi, ne postea sibi ipsis et Societati oneri sint¹. Sin autem, omnibus attente consideratis, adhuc dubitetur, quid facto sit opus, res ad Praepositum Generalem deferatur, ut ipse statuat, utrum tales Scholastici sint porro in Societate retinendi. Evidentia non possum non improbare agendi rationem quorumdam Superiorum, qui, cum sciant Scholasticos aliquos in studiis non proficere atque in munilibus Instituti nostri propriis adhiberi non posse, vana spe decepti atque imprudenti caritate moti, eos ad moralis theologiae studium mittunt, ut brevi ejus curriculo utcumque peracto ad sacros Ordines promoveri possint. Qui tales sunt, non idcirco meliores aut aptiores fieri solent, quod sacris fuerint iniciati; quin imo saepe contingit, ut iidem sacerdotes facti, deinceps e Societate dimittendi sint non sine damno et offensa Ordinariorum, qui hujusmodi homines intra Societatem ad sacerdotium evectos fuisse stupent merito et conqueruntur. Hac in re profecto his maxime temporibus, si unquam alias, prudentes nos esse oportet, quum propter leges militares in pluribus locis receptas interdum necessarium videri possit, ut Scholastici nostri justo maturius ad sacros Ordines provehantur.

Quapropter, ne graviora oboriantur mala ex tristi hac necessitate, Superiores omnes rogo ac moneo, ut quam diligentissime advigilent, ne inepti unquam in Societatem admittantur; ii vero, qui conscriptionis militaris periculo sunt obnoxii, ne recipiantur, nisi certa spes adsit, fore ut possint in Societate sacerdotes ordinari². Ad haec constanter advigilent, ne unquam sacris Ordinibus initientur, nisi qui vere idonei sunt ad ministeria Societatis quique in virtutibus satis profecisse atque in vocatione sua stabiles fore merito censentur. Quare in Consultationibus, quae fiunt de promovendis ad sacros Ordines, diligenter observentur, quae Constitutionum parte secunda³ notantur, quaeque Ordination. Gen. c. vii, praescripta sunt.

Atque haec sunt, reverende in Christo Pater quae Superiorum caritati et sollicitudini pro Societatis prosperitate et recto gubernandi ordine commendanda esse putavi; Reverentia Vestra hanc meam epistolam serio consideret, eamque cum Rectoribus, Magistris Novitiorum aliisque Patribus, quibus ejus cognitionem necessariam aut utilem fore judicaverit, communicare velit.

¹ Const. parte secunda, c. II, n. 3 et 4, B, Exam. c. V, n. 8.

² Cf. Decr. S. Congr. de Relig., 1 Jan. 1911; Acta Ap. Sed. III, 37 sqq.

³ C. II, n. 4.

XXXVII.

R. P. N. PETRI BECKX
EPISTOLA AD PROVINCIALES 13 JUNII 1877.

De defectibus quibusdam eradicandis.

Acceptis relationibus ab unaquaque Provincia transmissis in exsecutionem literarum, quas dedimus die 28 Octobris 1876 de supplenda aliquo modo Congregatione Procuratorum, gaudeo vehementem ac laetor, Societatem universam in eo statu, infinita Dei benignitate, versari, ut gravioribus detrimentis, quae calamitosis hisce temporibus timenda maxime essent, obnoxia non videatur. Cum tamen animadverterim, non pauca a Patribus in plenaria consultatione adhibitis notata fuisse, quae, licet gravia adhuc non sint, possunt successu temporis, nisi iis opportune occurratur, in discrimen aliquod adducere domesticam disciplinam et germanam Societatis formam sensim immutare, necessarium omnino existimo proportione muneris mihi commissi haec omnia cum Praepositis provincialibus ceterisque Superioribus communicare, quo magis ac magis eorum vigilantia excitetur ad eradicandas ex ipsa stirpe malorum radices, quae ex incuria et oscitantia succrescere in dies possunt et irreparabile Societati damnum afferre.

Atque ut ab iis, quae vocationis nostrae praecipua et substantilia sunt, initium sumam, circa debitam Superioribus quibuscumque obedientiam notatur in multis quaedam remissio et difficultas tum in exequendis prompto alacrius animo mandatis tum in absoluta intellectus et voluntatis abnegatione. Quo fit, ut nonnulli, suo ferme arbitratu vivere consueti, sese difficiles, morosos ac renitentes exhibeant ad haec vel illa munia, officia et ministeria capessenda, ad haec vel illa loca, ad quae mittuntur, adeunda atque ita comparati eo usque deveniunt, ut ipsas Superiorum suorum intentiones et dispositiones palam obloquentes redarguant, aut eorum voluntatem emendicatis rationibus vel fucato praetextu insufficieniae ac valetudinis, ad propriam voluntatem summo studio et industria detorquere et adducere conentur. Quam haec agendi ratio aliena sit a germano Societatis nostrae spiritu, ex hoc intelligi potest, quod praecipuum Societatis decus fuit semper exacta et per-

fecta obedientia; idque nos docent tum paeclarata majorum exempla, tum frequentes S. P. Ignatii hortationes, qui in ea virtute exco-lenda, ut ait in aurea sua epistola, *conspicuos nos et praestantis-simos esse cupit*¹.

Jam vero hujusmodi circa obedientiam defectus, si recte inspi-ciamus, oriri videntur tum ex parte subditorum, qui non bene in animi demissione et sui abnegatione fundati, hauriunt paulatim illum libertatis spiritum, qui maxime his temporibus invalescit et spiritus est superbiae, omnis dominationis et subjectionis impatiens, tum ex parte Superiorum, qui infirmitati suorum quodammodo blandientes vel nullam habent in praecipiendo firmitatem vel, quod pejus est, ultiro se faciles et proclives gerunt in obsecundandis sub-ditorum desideriis et cupiditatibus quibuscumque. Quare laxato hac ratione domesticae disciplinae et religiosae subjectionis freno, nequeunt postea intra debitos Instituti fines homines sibi subjectos continere.

Ex eadem causa procedit relaxatio in iis, quae pertinent ad pau-pertatis votum. Non raro ad me veniunt querelae graviorum Pa-trum, quod religiosa paupertas, ut a legibus Instituti nostri pae-scribitur, non mediocre detrimentum patitur hoc tempore. Has au-tem querelas video plerumque judicio Consultorum confirmatas esse. Facile permittitur, etiam junioribus, ut hac illac excurrant et longa itinera sine ulla necessitate confiant, ut apud externos rusticatum vel ad thermas quotannis praetextu infirmae valetudinis abeant ibique diu, imo sine socio et arbitris, commoren-tur cum dispendio propriae perfectionis et alienae aedificationis; atque in his omnibus non parva impenditur pecuniae summa, quae ab indulgentia Su-periorum vel ab externis exquiritur. Quum in variis Provinciis ob rerum temporalium inopiam a Sede apostolica concessum sit accipere stipendia aut eleemosynas pro Missis et ministeriis, notatur esse nonnullos, qui haec stipendia avidius quaerant, tenacius te-neant, in censem etiam vel depositum constituant iisque plerumque utantur, non ut necessitati serviant, sed ut sibi commoda et super-flua comparent, nulla ratione dati et accepti Superioribus reddita. Alii autem, novis semper congregationibus piisque operibus insti-tuendis intenti, undique eleemosynas corrogant suoque arbitrio emunt, vendunt, administrant; quod non solum religiosae pauper-

¹ Epistola de virtute obedientiae, n. 2.

tati consentaneum non est, sed plurimum damni etiam afferre potest nostris Domibus ac Residentiis, quae, sublatis hac ratione piorum fidelium largitionibus, vix aut ne *vix* quidem sustentari possunt. Et hac de causa puto motum fuisse R. P. Joannem Paulum Olivam, ut datis literis severissime Nostris prohibuerit, ne quispiam sine expressa Praepositi Generalis facultate nova opera pia seu congregaciones institueret nec eleemosynas, nisi pro Societate, cuiquam peteret¹.

Tandem in genere videtur languescere sincerus ille paupertatis amor, quem S. Pater tantopere nobis commendat, ita ut in Domibus et Collegiis rite constitutis non raro inveniantur, qui loculos apud se retineant propriis usibus impendendos vel de propriis commodis plus aequo solliciti nunquam finem faciunt exquirendi ea, quae ad victum, vestitum et alia hujusmodi pertinent, sub honesta quidem necessitatis specie, quam inordinatus sui amor et commodioris vitae desiderium effingit. Ut querelarum occasio praecidatur, necesse utique est, ut Superiores, quod maxime commendo, paterna caritate suos subditos amplectantur iisque de rebus necessariis, quantum decet et fieri potest, ultiro provideant; sed ex altera parte debet quisque inferiorum *diligere paupertatem ut matrem, et juxta mensuram sanctae discretionis suis temporibus ejus effectus aliquos experiri sibique persuadere, quod quae vilissima erunt ex iis, quae domi sunt, ei tribuentur propter ejus majorem abnegationem et spiritualem profectum*². Revocemus in mentem prima illa Societatis tempora, cum Nostris summa rerum inopia laborabant; cum tuguriis verius quam Collegiis excipiebantur; cum pedibus vel longissima itinera suscipiebant; cum nullo viatico ad ultimas usque terrarum orbis partes navigabant; et cum nosocomia illis si patebant, laute excipi se ac splendide arbitrabantur: propositis ante oculos hujusmodi evangelicae paupertatis exemplis, pudeat nos tantorum Patrum filios esse degeneres et in professione paupertatis propria commoda et corporis delicias quaerere.

Magnam praeterea mihi pariunt sollicitudinem animadversiones factae quoad nimiam aliquorum in exteriora effusionem, qua fit, ut spiritus internae recollectionis pene extinguatur. Quidam enim seu naturae quadam propensione, seu animi levitate ad distractio-

¹ Epist. encyc. 30 Jun. 1677.

² Exam. c. IV, n. 26; Const. parte tertia, c. I, n. 25; Summ. Const. n. 25, 26.

nes proni, non solum oblatas occasiones cupide arripiunt, sed eas ipsimet ultro quaerunt, ut ait P. Claudius¹. Si quid insolens, si quid publici spectaculi aut concursus in civitate accidat, omnia volunt videre, circumspicere, rimari. Nihil est, in quo ipsi domi forisque sese ingerere non praesumant. Hinc prolixa colloquia cum saecularibus; hinc assidue accessiones ad aedes privatas; hinc frequentes etiam mulierum sive claustralium, sive non claustralium visitationes. Quare curis saecularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficiuntur, quanto ad ea, quae foris sunt, studiosiores videntur². Ex hac autem ferme continua mentis sensuumque evagatione, ac proinde ex hac negligentia aut exigua cura hominis interioris necesse est, ut suboriantur non levia pericula, quae, ut tristis experientia docet, in maximum discrimen adducunt ipsum castitatis votum. Praecidendae itaque sunt hujusmodi occasionses tum ab omnibus, tum maxime ab iis, qui in dispersione versantur et vitam ex necessitate agunt inter saeculi illecebras.

Prae oculis non solum habeant omnes, sed exacte observent Regulam 18 sacerdotum de socii praesentia, tum ex communibus Regulas 43 et 44 et praesertim Instructionem III, n. 9, in qua prohibetur, ne extra casum infirmitatis visitentur feminae domi, nisi sint personae vel conditione vel beneficiis in Societatem collatis conspicuae, quae judicio Superioris visitari debeant. Qua in re, quae tangit, ut ita dicam, pupillam Societatis, oneratur conscientia Superiorum et inferiorum.

Postremo circumspicienti mihi praesentem Societatis statum occurrit gravissimum aliud malum, quod licet commune sit ferme omnibus Provinciis, tamen a Consultoribus obiter tantum notatum invenio. Prima fronte laetandum nobis esse videtur, quod in hac temporum acerbitate numerus Sociorum quotannis augeatur; sed si res intimius consideretur, timeo, ne a nobis etiam dici aliquo modo possit: *Multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam*³. Quid enim proderit, plures quotannis in Tirocinium admitti, si in ipsa admissione non observatur delectus ille, qui sit juxta majorum nostrorum ordinationes, et si, postquam admissi fuerint etiam bonae indolis et optimae spei adolescentes, non rite instituuntur et formandatur in iis, quae ad religiosam perfectionem et non vulgarem lite-

¹ Inst. de formandis Superioribus c. I, n. 4.

² Cf. S. Greg. M., Super Cantica (I, 6), c. I, n. 27; M. P. I. LXXIX, 490.

³ Is. IX, 3.

rarum scientiam et doctrinam spectant? Scio utique, Superiores saepissime in angustias conjici; qui cum multa habeant Collegia, quibus providere necesse sit, coguntur ante tempus e Tirocinio vel a studiis Scholasticos nostros abducere, eosque ad literariam vel moralem adolescentium exterorum institutionem per plures annos destinare; sed necessitas haec, praeterquam quod voluntaria est, quia supra vires onera suscipiuntur, gravissimum detrimentum affert singulis Provinciis et universae Societati. In tanto enim Sociorum numero minuuntur in dies ac desunt boni concionatores, desunt apti lectores philosophiae et theologiae, desunt exculti politiorum literarum magistri; atque eo jam adducti sumus, ut si quis morte intercepimus locum in his ministeriis vacuum relinquat, vix ullum praeterea habeamus substituendum. Quantum vero haec summa idoneorum Operariorum egestas detrahatur bono nomini et existimationi Societatis, facile quisque per se potest cognoscere.

Certe ego, dum praesentem Provinciarum statum tacitus mecum ipse considero, non mediocri animi aegritudine video, non parum variis in locis (quotidie magis) negligi ac praetermitti hanc praecipuam curam de accurata nostrorum juvenum formatione. Audio, non paucos ad philosophiae et theologiae studia inchoanda transmitti jam ferme aetate proiectos et a susceptis laboribus jam mente et corpore defatigatos; audio, ad ministeria etiam ardua destinari, licet exigua tum spiritus tum literarum cultura excultos atque probatos; audio, quotannis in aliquibus Provinciis, nulla habita ratione ingenii et habilitatis, perpetuas fieri mutationes personarum et officiorum, ita ut nostri juvenes, diversis ac dissimilibus semperque novis ministeriis addicti, in nullo diligentiam habeant nec se in ullo rite perficiendos serio incumbant. Ex hac autem agendi ratione sperare non possumus, fore ut Societas, licet Sociorum numero in dies augeatur, tamen progressu temporis etiam plures homines nanciscatur, qui juxta Instituti nostri finem virtute, doctrina et prudenter majorem Dei gloriam et aeternam proximorum salutem propensius ac validius promovere possint. Considererent ergo Superiori, qua gravi obligatione coram Deo et Societate teneantur circa rectam suorum subditorum institutionem; considererent, hoc esse primum et peculiare eorum munus, quod ceteris officiis et ministeriis in utilitatem proximorum est praferendum; considererent denique et videant diligenter, qua ratione huic malo subveniendum sit, et efficaciter sine ulla cunctatione manum admoveant.

Verum ut huic et aliis, quae superius retulimus, malis occurramus, necesse non est novas leges condere, sed sufficit, ut exacte observentur ea quae jam constituta sunt. Si ante oculos habeantur et exsecutioni mandentur, quae de perfectione obedientiae, paupertatis et castitatis, de studio orationis et unionis cum Deo, de vitandis saecularium et praesertim feminarum colloquiis et visitationibus praescripta sunt in Constitutionibus, in decretis Congregationum, in Ordinationibus Praepositorum Generalium, facile praedicti omnes defectus emendabuntur. Non omisimus haec omnia, data occasione, in mentem revocare et Superiorum vigilantiam, quantum in nobis erat, excitare. In literis die 5 Februarii 1860 datis¹ egimus ex mandato ultimae Congregationis generalis de assidua cum Deo coniunctione procuranda, de regulari disciplina et modestia servanda, de frequentia visitationum et colloquiorum cum externis fugienda, de cautela in lectione et scriptione adhibenda, de paupertate in vita communi et de recta formatione Nostrorum. In aliis literis 12 Martii 1861² et 6 Januarii 1870³ non pauca ordinavimus pro custodia castitatis, tum pro admittendorum delectu et admissorum institutione; denique in ultimis literis⁴ ad universam Societatem fusius actum est de zelo animarum excitando, de ratione eas juvandi et de ministeriis, quae vel consona vel aliena sunt a spiritu Societatis.

Unde ergo fit, ut post iteratas monitiones iidem prorsus defectus existant ac perseverent? Discutiat quisque conscientiam suam et inveniet responsionem ad has et similes quaestiones; generatim vero dicam, causam ut plurimum repetendam esse ex omissione exsecutionis. Haec autem omissio provenire potest ex eo, vel quod non omnes habeant praesentes apud se singulas Ordinationes, vel quod Superiori, praesertim immediati, aliis atque aliis curis et ministeriis intenti nec tempus nec modum habeant curandi ea, quae ad officium pertinent. Certe si praescriptam considerationis horam quisque attente et diligenter obiret et, propositis sibi ante oculos Constitutionum et Ordinationum etiam recentiorum potioribus articulis, inspiceret, an in sua communitate recte omnia ad earum normam exigantur, multa deprehenderet corrigenda et emendanda, impositis

¹ Cf. supra pag. 131 sqq.

² Supra p. 142 sqq.

³ Supra p. 148 sqq.

⁴ 10 Decembris 1875; Epist. Praep. Gener. III, 238 sqq.

etiam publicis poenis et poenitentiis in transgressores, ubi privatae et paternae monitiones non sufficerent.

Quoniam igitur omnis mali origo pendet ex omissione executionis, in hanc Superiores sedulo incumbant: et quo facilius id exequi possint, proponam aliqua media, quae mihi valde utilia esse videntur.

Quotidie, aut saltem alternis diebus tempus sibi constituant, quo ab alia quacumque occupatione liberi praescriptam considerationem diligenter peragant, percurrendo articulos, quos P. Claudius sapienter exposuit in *Instructione de instituendis formandisque Superioribus et de Executione* et elenchum R. P. Fortis una cum recentioribus Ordinationibus.

Curent investigare et probe cognoscere indolem, propensiones et defectus suorum subditorum; eosque opportune moneant, dirigant et corrigant.

Non praetermittantur ordinariae consultationes; et in iis, expposito statu spirituali et temporali Collegii vel Domus, quaerant a Consultoribus, si quid animadverterint notatu dignum, praesertim relate ad exsecutionem, et qua ratione in integrum restitui ac conservari possit animorum unio, domestica disciplina, ardor et progressus studiorum.

Promoveant in omnibus exactam Instituti legumque nostrarum cognitionem currentque, ut praesertim Magistri Novitiorum et Instructores tertiae Probationis hac in re peritissimi proponantur et habeantur.

Domesticae exhortationes non sint speculativae et vagae, sed practicæ et occurrenti necessitatì accommodatae. Agatur in his de rebus proprie nostris: de spiritu vocationis, de observatione Regularum, de cura rerum spiritualium et generatim de mediis aptis ad propriam et alienam perfectionem et salutem omni studio et industria procurandam juxta modum Societatis et exempla majorum. Plurimum autem subsidii praesto erit rerum spiritualium Praefectis, si præ manibus habeant Commentarios in Summarium et in Regulas communes P. Nicolai Orlandini, quos nuperrime ad hunc finem typis Provinciae Angliae edendos curavimus.

Denique in lectione spirituali et supra mensam non alienis et curiosis libris uti permittant, sed potissimum opere de religiosa perfectione P. Rodriguez, tum historiis Societatis et majorum nostrorum vitis, qui doctrina, sanctitate et animarum zelo florue-

runt. Magnam vim habent omnium sanctorum virorum exempla, sed praefera sunt ea, quae a majoribus nostris profecta sunt, ne alienus, licet per se bonus, et non conveniens, ut ajebat S. P. Ignatius, spiritus in Societatem introducatur¹. Inspiciamus itaque exemplaria nostra; et ex his facile erit cognoscere, quid practice nobis agendum, quid vitandum sit, ut veri Societatis filii et fratum nostrorum socii non degeneres simus. Quare hanc lectionem de rebus nostris magnopere commendo, utpote utilissimam ad excitandam vocationis gratiam eamque in dies virtutum omnium exercitatione augendam.

Atque haec sunt, quae omnibus in commune Provinciis etiam de Patrum Assistentium consilio proponenda habui. Restat, ut Praepositi provinciales ceterique Superiores suis partibus non deficiant et pro eo amore, quo diligunt Societatem, admittantur, ut integre exacteque serventur.

Praesentes literas communicet Reverentia Vestra cum suis Consultoribus transmissoque earum exemplo omnibus suaे Provinciae Superioribus curet, ut publice in quavis Domo perlegantur, et cum statis temporibus Consultores ad me literas dabunt de statu Provinciae et Domorum, moneant, praeter alia, de horum omnium executione.

XXXVIII.

R. P. N. ANTONII MARIAE ANDERLEDY

VICARII GENERALIS

EPISTOLA AD PROVINCIALES 16 MAJI 1884.

De facultate confessariorum Nostrorum absolvendi a casibus reservatis.

Actio 34 ultimae Congregationis generalis postulatum exhibit, secundo loco positum², de absolutione a reservatis tempore renovationis votorum et sanctorum Exercitorum, quod ita legitur:

Postulatum propositum est, quo petitur, ut Congregatio suo decreto ad universam Societatem extendat consuetudinem, quae in aliis viget Provinciis, ut, quo tempore sive votorum renovatio fit,

¹ Cf. Petri Ribadeneira, De actis Patris nostri Ignatii, n. 58; *Monumenta Ignatiana*, ser. IV, t. I (Matriti 1904), 365.

² Congr. XXIII act. 34 non habetur nisi in manuser.

sive Exercitia spiritualia peraguntur, confessariis Nostrorum, tum ordinariis, tum extraordinariis facultas communicetur absolventi a casibus reservatis, idque in mensa annuntietur.

Patres deputati consilium approbantes, ita tamen, ut potius Patri Nostro commendetur, quam per decretum typis edendum statuatur, triplicem quaestionem distinxerunt, in quam Pater Vicarius singillatim suffragationem instituit:

1. An consuetudo, quae in postulato memoratur, quoad tempus utramque votorum renovationem antecedens, ad omnes Provincias dilatanda sit?

2. Utrum statui debeat, ut eum, qui spiritualia Exercitia peragit, quandocumque id praestet, absolvere possit a reservatis, sive quilibet e confessariis ordinariis, sive ille, quem cum venia Superiorum elegerit?

3. An praestet de his decretum condere, an vero Patrem Nostrum rogare, ut haec approbans Provinciis communicet?

Congregatio unanimis primum et alterum approbarit, tertium Patri Nostro committendum censuit eumque insuper rogandum, ut singulis annis haec suis temporibus ad mensam annuntiari curet, etiam in illis Domibus, ubi forte nemo sit vota renoraturus.

Quare voluntati obtemperans Congregationis generalis, quae Partibus congregatis probata sunt, cum Reverentia Vestra comunico eamque rogo, ut quotannis die a Reverentia Vestra statuendo in triclinio promulgari curet, tribui eam, quae in postulato enuntiata est, confessariis facultatem. Quod prudens providumque Congregationis consilium, ex caritatis studio profectum, ad mutuam animorum conjunctionem et Societatis, matris benignae, amorem conferre eoque paci animi et tranquillitati consultum esse eorum, qui, rerum suarum trepidi ultra modum fortasse religione tanguntur, mihi in Domino persuadeo¹.

¹ Cf. Comp. privileg., Instit. I (Florent. 1892), 519, n. 16.

XXXIX.

R. P. N. ANTONII MARIAE ANDERLEDY

VICARII GENERALIS

EPISTOLA AD PROVINCIALES 27 APRILIS 1886.

De praerogativa antiquitatis ad Professionem.

Ut postremae Congregationis generalis decreto 47, quo mihi praeter alia negotium de praerogativa antiquitatis ad professionem magis definienda demandatur, tutius certiusque satisfaccerem, postulatum ipsum, quale fuerat congregatis Patribus ea de re propositum, ad Patres Assistentes serio examinandum detuli, quibus a me diligenter auditis, id demum respondere decrevi, quod nobis visum est ad Instituti nostri normam exactius. Postulabatur nimirum his verbis:

Quum decretum 19 Congregationis XIV statuat, ex iis, qui eodem die professi sunt, praerogativam ordinis referendam esse illi, qui prius aliis assecutus est omnia ex parte sui ad Professionem requisita; hoc autem decretum non definiat, quaenam sint illa requisita, et in primis an Tertiatus sit numerandus inter requisita; quum praeterea non statuat, cui ex illis, qui eodem die assecuti sunt ultimum requisitum, praerogativa debeatur: Congregatio generalis rogatur, an Tertiatus numerandus sit inter illa requisita; et praeterea, cui ordinis praerogativa deferenda sit ex illis, qui eodem die requisitum ultimum attigerunt.

I. Ad primum igitur quod attinet, requisita ad professionem quatuor votorum haec sunt habenda:

1. Biennium integrum Probationis. Cf. Exam. gen. c. I, n. 12; c. IV, n. 16.

2. Tertius annus Probationis. Cf. Bulla Gregor. XIII Ascendente Domino. - Exam. gen. c. IV, n. 16; c. I. n. 12 - Const. p. quinta c. I, n. 3; c. II, n. 1. - Congr. XVI decr. 34. - Congr. XVIII decr. 22, n. 5. - Congr. XX decr. 12, n. 5. - Congr. XXII decr. 44, n. 1. - Reg. 68 Prov.

N. B. Qui Societatem sive absolutis studiis, sive sacerdotes ingrediuntur, omnes quidem ad duos annos Probationis tenentur; ad tertium vero Probationis annum ii solummodo, qui unum saltem an-

num Novitiatus non peregissent. Cf. Congr. VII, decr. 9. - Congr. XX, decr. 8.

3. Sacerdotium. Cf. Exam. gen. c. I, n. 8.
4. Virtutis praestantia, qualem statuit Congr. IX decr. 6.
5. Doctrinae praestantia in variis Instituti locis praescripta.
6. Aetatis annus trigesimus tertius expletus. Cf. Congr. VIII, decr. 17.
7. Annus ab inita Societate decimus septimus pro iis, qui omnia philosophiae ac theologiae studia in Societate percurrerunt; decimus vero annus pro iis, qui haec studia omnia ante suum in Societatem ingressum cum rite absolvissent, ea iterum in Societate non confecerunt; item undecimus, duodecimus, etc. pro iis, qui antequam Societatem adirent, vel sexennio, quinquennio etc. philosophiae ac theologiae studuisserent, vel haec studia, septennio ante absoluta, uno deinde pluribusve annis in Societate recoluisserent. Cf. Congr. IX, decr. 42; Can. 20.

N. B. Annus decimus septimus, vel decimus, undecimus, duodecimus etc. intelligitur in Societate *expletus*; licet ipso decurrente anno decimo septimo, vel decimo, undecimo, duodecimo etc. omnes sub id temporis ad Professionem promovendos Patri Nostro propone rebeat Provinciae Praepositus.

II. Ad alteram vero quaestionem, cui, videlicet, *ordinis praerogativa deferenda sit ex illis, qui eodem die requisitum ultimum attigerunt*, responsio ex regula patet, quae a Congr. XIII statuitur. Hujus etenim regulae primum tantummodo membrum fuit a Congr. XIV decr. 19 leviter immutatum; cetera vero membra integra persistere. Hinc respondendum est: Si ambo annos Religionis (ad Professionem quatuor votorum requisitos) expleverint eodem die, praefferatur ille, qui diutius in Societate vixit. Si ambo ad Societatem seu Tirocinium venerint eodem die, praefferatur major natu. Si demum, quod vix contingat, ambo etiam sint nati eodem die, sorti res committatur a Provinciali ejusque Consultoribus.

XL.

R. P. N. ANTONII MARIAE ANDERLEDY
EPISTOLA AD PROVINCIALES 8 MAJI 1889.

De reddenda conscientiae ratione.

Quum de reddenda conscientiae ratione ultimae Congregationi generali dubia essent proposita, sancitum est decreto 47, quod postulabatur, curae A. R. P. N. esse committendum. Hoc munus ita statueram exsequi, ut quum se daret occasio, satisfacerem dubitantibus, qui declarationem peterent. Nunc autem a pluribus rogatus, ut de re adeo gravi aliquid darem literarum ad Superiores, ad Instructores Patrum tertiae Probationis et Tironum Magistros, obtemperandum censui desiderio et respondendum postulato, quod oblatum est comitiis generalibus.

I. Cujus postulati haec prima fuit quaestio, num Professi et Coadiutores formati, qui Praeposito Provinciae rationem conscientiae reddiderunt, eam ex Regula¹ eodem anno reddere teneantur etiam Superiori Domus.

Responderunt ad hanc quaestionem in Congregatione XXII. Patres deputati ad Constitutiones interpretandas: Eos nimirum ex Regula teneri, si vocentur, non teneri, si non vocentur. Cui judicio, uti Acta referunt, longe major Congregationis pars assensit.

Valde laudabilis autem mos est permultorum, qui, conscientiae ratione Provinciali redditâ, ad sensum Regulæ etiam non vocati adeunt Domus Superiorum, ut aperiant animum sive Exercitiorum sive alio tempore opportuno.

II. Alterum quaerebatur, num Superiori iis, quae ex conscientiae ratione in confessione sacramentali redditâ cognoverit, extra confessionem uti liceat ad gubernandos, qui sibi sunt subjecti.

Quamvis olim non pauci, iique viri gravissimi hujus notitiae usum licitum esse existimaverint, tamen jam P. Paulus Oliva per Ordinationem *De secreti fide servanda* istam sententiam prohibuisse videtur: *Quando, ait, subditi Superioribus animum suum aper-*

¹ Summ. Const., n. 40; Regulae Praepos. Dom. prof., n. 23; Rectoris, n. 22. Cf. Exam., IV, n. 40; Const. p. sexta, c. I. n. 2.

riunt, prout illis liberum relinquit S. P. N. Ignatius, sub sigillo confessionis, tunc perinde ac ex alia qualibet confessione sacramentali, nullus acceptarum notitiarum usus esse potest, nisi quem sponte ac diserte permiserint iidem, qui illas attulerint ¹.

Quam ego quoque tueor sententiam, eamque ab omnibus retinendam esse declaro. Congruit enim cum solida doctrina et recentioribus decretis, quae de sacro confessionis sigillo novimus esse statuta.

III. Tertia interrogatio fuit, num Superiori iis, quae ex conscientiae ratione extra confessionem cognovit, uti liceat, si, qui animum ei aperuit, expresse non consenserit vel consentire recusaverit.

Huic quaestioni responsurus, neminem non compertum habere pono, propterea conscientiae rationem a S. P. Ignatio esse praescriptam, ut hoc subsidio et filii Societatis melius ac securius in via salutis perfectionisque dirigi, et bonum commune Societatis conservari ac promoveri possit. Omnes pariter norunt, quam sancte secretum rationis conscientiae, etiam extra confessionem editae, a Superiori servari debeat. Declaravit enim Congr. XII decr. 15 illud *adeo religiose servandum esse, ut non liceat Superiori, cui reddita ratio conscientiae fuerit, quidquam eorum, quae illi de seipso quis manifestat, ulli omnino, nec Generali, nec Provinciali unquam revealare vel etiam innuere; nisi forte illo eodem, qui conscientiam suam manifestavit, expresse consentiente.*

Quare si de usu notitiae quaeritur, quae ex conscientiae ratione extra confessionem est accepta, nonnisi usus ille intelligitur, qui, servato secreto, a solo fiat Superiori, qui exceptit conscientiae rationem, et tantum ad eum finem, quem spectabat S. P. Ignatius.

Ex his responsu ad utramque quaestionis partem efficitur:

1. Potest Superior, audita conscientiae ratione, cum eo, qui illum reddidit, de rebus ita sibi commissis loqui; potest v. g. eum monere et excitare, ut fragilitatis sua memor sibi caveat, occasiones vitet, occupationes noxias ne appetat, ut orationem et conjunctionem cum Deo foveat et augeat.

2. Licet etiam Superiori per se, si expressus consensus neque datus neque negatus sit, cum eo, qui aperuit animum, eum providentiae modum tenere, qui sive saluti et perfectioni ejus sive bono communi Societatis vel necessarius vel utilior fuerit, veluti desti-

¹ Vide supra p. 109 sqq.

nare illi hunc potius quam illum laborem, hunc potius quam illum locum.

Dixi, hunc usum *per se* esse licitum. Curandum enim est, ut salvum et incolume semper sit secretum, salvus honor et fama illius, qui patefecit conscientiam, et ut quieti animi et paci illius consultatur. Quod si fiat, offensioni locus esse non poterit. Quum enim non ignoret, S. P. Ignatium conscientiae rationem praescribendo hunc ejusdem usum spectasse, consensum, licet taceat, satis praestare censemur.

Quamvis autem hic usus *per se* sit licitus, tamen, ubi a ratione et doctrina ad vitam ipsam et ad res gerendas transitur, nonnumquam prudentia suadecit, ut Superior aperte consensum petat. Ita enim suavius et efficacius, quod opus est, Superior consequitur.

3. Si autem negatur consensus, - quidquid sit de quaestione, sitne per se licitus ille usus, necne, - Superior ab ejusmodi usu se abstineat, si tantum major subjecti vel Societatis utilitas agitur; *in his rebus* (ait Suaresius de Rel. Soc. J. l. 10, c. 6, n. 12) *raro est utilius, quod est involuntarium.*

Quum vero non major utilitas, sed necessitas agitur, velut proxima occasio gravis peccati removenda vel grave scandalum tollendum, tum agendi normam satis edocent theologiae moralis principia.

Atque haec, de Patrum Assistentium aliorumque juris nostri et rei theologicae peritorum sententia, breviter perstrinxisse sufficiat, ut Nostrorum desiderio, quod capita dubitandi attinet, fieri sat possit. Reliquum est, ut conscientiae rationem omnes summo in pretio habeant eamque familiari usu magis in dies teneant. Subsidium enim agitur, quod S. P. Ignatius omnibus filiis suis summpere commendavit¹ quod Societas tanti fecit, ut illud ad Instituti substantiam pertinere declaraverit,² sine quo idem aut nullo modo, aut vix constare possit. Hoc subsidio benignissimus Deus filiorum Societatis singulorum curam gerit ac providentiam plane singularem; hoc eodem omnium perfectio, Societatis incolumentas, major Dei gloria efficacissime promovetur.

¹ Cf. Exam. c. IV, n. 34-36; Const. p. tertia, c. I, n. 12; p. quarta, c. X, n. 5; Instr. ad redd. consc. rat., prooem.

² Congr. V. decr. 44, 45; can. 17. Formul. Congr. gener., n. 68; Formul. Congr. prov., n. 45.

XLI.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN
EPISTOLA AD PROVINCIALES 10 NOVEMBRIS 1893.

De clausura canonica exacte observanda in Domibus nostris.

Inter alia religiosae disciplinae praesidia, mandato postremae Congregationis a me maxime tuenda ac firmando, illud recensetur quod Domorum nostrarum clausuram spectat. Quae sane quanti sit momenti, nemo non videt, qui gravissima sanctae Sedis decreta, qui Societatis nostrae leges sanctissimas, qui ipsum religiosae vitae institutum penitus perspexerit. Hinc profecto subortae in multis e Nostris tot tamque graves animi sollicitudines, quibus ut pro viribus satisficeret, Congregatio tantopere adlaboravit; utque iniquae temporum conditioni fortiter obsisteret, illud clausurae genus mihi commisit urgendum, quod communi Ecclesiae lege sancitur. Hoc videlicet sibi proposuit Congregatio; hoc publice edixit; hoc demum inviolate custodiendum praecepit his verbis:

Quum tanta sit miserrimorum, in quae incidimus, temporum iniquitas, Congregatio, apostolicas Constitutiones p[re] oculis habens, tum etiam Societatis nostrae vestigiis ac Praepositorum Generalium responsis insistens in eorumque sensu plenissime abundans, A. R. Patri Nostro enixe commendandum censuit, ut clausuram canonicanam exacte observari curet in Domibus nostris. Quod si quae fuerint, in quibus sive ob insitam iisdem conditionem, sive ob temporum et locorum adjuncta plene observari nequeat, servetur, quantum fieri possit, ad normam quam A. R. P. Beckx pro Convictibus statuit die 31 Augusti anni 1866¹.

In quibus duo haec plane decernuntur, nimirum: Clausuram canonicanam in Domibus nostris, ubi plene servari possit, plene servandam esse: ubi vero plene servari nequeat, servandam eam esse ad normam a R. P. Beckx traditam pro Convictibus.

Haec autem norma praescribit: Clausuram canonicanam, cum in tota Domo plene servari non potest, in illa saltem Domus parte, in qua Nostrи fere habitant, eo modo servandam esse, quo servari po-

¹ Congr. XXIV, decr. 20, n. 3; cf. supra p. 148

test ac debet, id est, eam Domus partem a reliqua Domo ita esse separandam ac Nostris reservandam, ut omnis in eandem aditus feminis prohibeatur.

En ipsa A. R. Patris verba: *Cum in aliquibus nostris Convictibus vix ulla reperiatur separatio Nostros inter et convictores, inde evenit, ut si quando mulieres ad visendos alumnos admittantur, per varias aedium partes, ubi Nostri permixtum cum alumnis commorantur, transire debeant et proinde canonica clausura non servetur. Talù incommodo omni possibili modo occurrentum est. Videant ergo omnes, quorum interest, qua ratione stabiliri possit debita separatio in Convictibus jam exstructis, in quibus huc usque locum non habet. Ubi autem de aedibus nondum ex omni parte aedicatis agitur, res ita ordinari debent, ut Nostrorum habitationi pars aliqua reservetur, in quam mulieres nullatenus admittantur, et in qua debita clausura servetur*¹.

Quapropter ego enixis Patrum congregatorum votis fideliter obsecuturus, omnibus Provinciarum Praepositis ac Missionum Superioribus pro summa rei gravitate injungendum duxi, ut cum primum Provinciam vel Missionem lustrabunt, accurate inquirant, quemadmodum singulis in Domibus nostris clausura canonica servetur.

Et primo quidem in Domibus probandorum, in Collegiis Nostrorum, in majoribus Operariorum Residentiis ad religiosam formam exactis videant diligenter, utrumne tota Domus ita claudatur, ut in nullam ejusdem partem, quam jus non excipit, aliqua unquam femina ingredi valeat.

Deinde vero in Convictibus alumnorum, in minoribus Operario- rum Residentiis aliisque id genus Domibus, quae ad religiosam formam omnino exigi vix possunt, sedulo inspiciant, num illa Domus pars, ubi Nostri fere habitant, ita intercludatur ac facile a quo-vis discernatur, ut in eam nullo unquam tempore feminae ingredi possint. In ceteras autem Domus partes, quae clausura canonica sepius nequeunt, si qua rationabili de causa aditus feminis alio quando permittetur, caveant summopere, ne unquam id fiat, nisi comitante aliquo e Nostris aetate ac virtute maturo.

Tum demum non minori cura ac diligentia videant, utrum in omnibus Domibus, quas Nostri incolunt, habeatur certus aliquis lo-

¹ Vide supra p. 148.

cus excipiendis audiendisque feminis, quae Nostros conveniant, deputatus, januae proximus ac janitori patens.

Quae tria postquam plane perspexerint idque omne singulis in Domibus providerint, quod Patres congregati Decreto 20, n. 3 mihi tam enixe commendatum voluerunt, post cujusque Domus visitationem ad me opportune referant, tum de clausura rite constituta atque observata, tum etiam, si quid forte dubium vel difficile videatur, de eadem rite constituenda atque observanda pro varia Domorum conditione.

Postremo hanc epistolam communicandam curet Reverentia Vestrâ cum omnibus Domorum Superioribus, quorum omnium opera atque industria ubivis factum iri spero, ut postremae Congregatio- nis mandata rite peragamus et ad sanctae Sedis mentem magis ma- gisque accedamus.

XLII.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN

EPISTOLA AD PROVINCIALES 12 DECEMBRIS 1894.

De dispositionibus Decreti “Auctis admodum”, in Societate observandis.

Postquam Summus Pontifex die 19 Apr. 1893 nobis concedere dignatus est, ut non obstante Decreto *Auctis admodum* a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium die 4 Nov. 1892 edito¹ in Nostris, etiam Professis, e Societate dimittendis eodem quo ante modo procedere possimus, illud nonnullis dubium videri coepit, utrum scilicet Nostri ad sacros Ordines promoti votisque religiosis obstricti, si e Societate dimittuntur, dispositionibus sub numeris quarto et quinto ejusdem Decreti comprehendantur atque obligen- tur, necne. Qua de re Emissus Cardinalis eidem sacrae Congregationi praepositus, quum die 10 Sept. 1894 ad sanctissimum Dominum re- tulisset, me postridie certiore fecit, Suam Sanctitatem supremo suo judicio asseruisse mihique per literas denuntiari jussisse: *Dispositiones Decreti diei 4 Nov. 1892 « Auctis admodum » sub n. quar- to et quinto comprehendere et obligare etiam alumnos Societatis Jesu.*

¹ Acta S. Sedis XXV, 312 sqq.

Ut igitur ex apostolico privilegio certissime constat, in Nostris, etiam Professis, e Societate dimittendis retinere nos posse normam ab Instituto nostro praescriptam, quemadmodum meis literis die 11 Maji 1893 ad Provincias datis significatur, sic etiam ex posteriori hac pontificalia declaratione pro certo habendum est, Nostros in sacris Ordinibus constitutos votisque religiosis obstrictos, si e Societate dimittuntur, praedicti Decreti dispositionibus sub n. quarto et quinto editis comprehendendi atque obligari; siquidem apostolicum privilegium in Societatis favorem, minime vero in favorem eorum, qui dimittuntur, concessum est.

Utrum vero is, qui ita dimittitur, teneatur dispositionibus, quae habentur sub n. quarto, an potius iis, quae habentur sub n. quinto, ejus rei judicium ex causis pendebit, propter quas e Societate quis dimittitur. De quibus, ut Praepositus Generalis non solum verissime judicare, sed etiam poscenti sanctae Sedi rationem reddere possit, Praepositi Provinciales in illud diligentissime incumbant, ut, quae de ratione tenenda cum iis, quos e Societate dimitti oportere judicaverint, Ord. Gen. cap. XII praescribuntur, tum praesertim accuratissime serventur, cum agitur de dimittendis iis, qui ad sacros Ordines promoti votisque religiosis ligati sunt.

Curent etiam Provinciarum Praepositi, ut quoties de aliquo ejusmodi e Nostris rite dimisso patentes literas dabunt, si is quidem comprehenditur dispositionibus sub n. quarto editis, tunc verba illa: *liber ab ea per nos dimissus est hunc in modum mutentur: liber quidem a votorum obligatione per nos dimissus est; subjacet tamen dispositionibus Decreti « Auctis admodum » S. Congregationis EE. et RR. die 4 Nov. 1892 editi.* Pro ceteris autem e Societate dimittendis, qui votis religiosis obstricti, nullis sacris Ordinibus iniciati sint, vel qui in sacris Ordinibus constituti, postquam Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, a votis religiosis legitime soluti fuerint, eadem adhibeatur patentium literarum formula, qua adhuc usi sumus.

Denique, cum de Nostris ad sacros Ordines promovendis ageatur, severissime exsequenda sunt, quae Ord. Gen. cap. VII statuuntur, neque ullus promoveri debet, nisi de ejus constantia in vocatione spes certa habeatur. Praeterea, ut non modo justa quaevis conquerendi causa, sed omnis etiam occasio praecidatur, Nostri, quorum vocatio in discrimen adduci videtur, vitiorum atque erra-

torum suorum apertis ac disertis verbis, imo etiam de scripto, si opus est, tempestive admoneantur, ne merito praetexere unquam possint, se a Superioribus nequaquam commonefactos fuisse.

XLIII.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN

EPISTOLA AD PROVINCIALES 12 JUNII 1896.

De informationibus circa statum Missionum ad opus apostolicum
“La propagation de la foi,” mittendis.

Egregiis viris, qui eleemosynas quotannis colligunt, quas apostolico operi *la propagation de la foi* impendant, non solum gratias agere debemus, quod nostras Missiones annuis subsidiis juvant, sed etiam opem ferre, qua parte possumus, ut facilius munus suum exequi valeant. Cum vero munus illorum sit, oblatas a fidelibus eleemosynas Missionibus ex aequo distribuere, indigent accurata informatione, ex qua videant, quantum cuique Missioni attribuere debeant. Quam informationem sic exigunt, ut eos, qui non fecerint, praetermittere possint in subsidiorum distributione. Informationem vero fieri oportet non vagam, sed definitam et distinctam, qua vide licet dilucide referatur: Quo statu sit Missio; quos proventus habeat; quem scopum intendat; quos labores suscepit; quibus difficultatibus prematur.

Est vero dolendum, quod nostrae Missiones annuo hoc subsidio aliquando privatae sint ob eam solum causam, quod requisitam informationem aut facere neglexerunt, aut perperam fecerunt, aut non opportune miserunt. Quare Superiores Missionum monitos volui, ut in sua quisque ditione hanc, quam dixi, informationem diligenter faciendam current atque ad me opportune mittendam; nisi forte alicubi ad Episcopum hoc spectare videatur.

Norma autem faciendae et mittendae informationis continetur his capitibus:

1. Informatio conficiatur secundum formulam propositam a Consiliis Propagandae Fidei, quam his literis inclusi ¹.

¹ Formula haec longior hic minime additur, praesertim quia decursu annorum variis mutationibus subjecta est.

2. Sic mature mittatur, ut ego eam accipere possim ante diem 10 Octobris.

3. Informatio sit vera neque adeo jejune exposita, ut non afferrat plenam et perspicuam rei notitiam.

4. Informatio non multiplicetur secundum numerum Missiōnum, quae sunt in nostris catalogis, sed secundum earum numerum, quae a *Propagatione Fidei* subsidia obtinent. Verbi gratia: Pro Missionē canadensi sit una informatio; pro Tine et Syria altera.

5. Informatio subscribatur a Vicario vel Praefecto apostolico, si fuerit in Missionē; si non fuerit, a Superiore; quodsi ii plures fuerint, singuli singulas informationes subscriptant.

Atque haec scribere habui, ut et nostris Missionibus ex hac etiam parte providerem et Rectoribus Apostolici operis satisfacerem, qui informationes nostrarum Missionum rite factas desiderabant. At si qui etiam nunc mittere accuratas negligent, non poterunt conqueri in posterum, si annuo subsidio priventur.

XLIV.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN
EPISTOLA AD PROVINCIALES 24 APRILIS 1904.

**De promotione Nostrorum ad sacros Ordines maturo consilio
et diligentissime servatis juris sanctionibus facienda.**

Post Decretum *Auctis admodum*, a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 4 Nov. 1892 editum¹, literis a me datis die 12 Dec. 1894, Praesides omnes Provinciarum commonui, ut cum de Nostris ad sacros Ordines promovendis agatur, severissime exseccutioni mandentur, quae Ord. Gen. cap. VII statuuntur; neque ullus promoveatur, nisi de ejus constantia in vocatione spes certa habeatur.

Cum tamen negotium hoc sit momenti maximi, et ex ejus neglectu molestiae non leves ac damna Societati obvenire queant, de Patrum Assistentium consilio visum est iterum id ipsum atque impensius Praepositorum Provinciarum sedulitati commendandum. Quamvis enim, ex privilegio nobis benigne concesso a summo Pon-

¹ Acta S. Sedis XXV, 312 sqq.; cf. supra p. 169 sqq.

tifice Leone XIII, possit adhuc Societas in expellendis seu dimittendis propriis alumnis procedere juxta methodum statutam in propriis Constitutionibus¹; negari tamen nequit, post dictum Decretum difficultiorem factam esse dimissionem eorum, qui jam Sacris sunt iniciati. Oportet enim nos paratos esse Societatis causam sustinere coram S. Congregatione; quae res difficultate non caret. Obstant enim rationum momenta, quae causa fuerunt, cur illud Decretum condenseretur. Neque diffitendum est mirum videri, praesertim judicibus externis, hominem, qui per sat multos annos in Societate fuerit versatus atque adeo dignus habitus sit, ut ad maiores Ordines provehheretur, non multo post initum sacerdotium indignum existimari, qui in Religione retineatur.

Itaque, ut malo remedium radicitus afferatur, atque incommodorum, quae inde sequi possunt, occasio omnis praecidatur, curet omni studio Reverentia Vestra, ut Nostrorum ad sacros Ordines promotio nunquam fiat, nisi cum maturo admodum consilio et iis omnibus diligentissime servatis, quae in Ordinatione de promovendis ad Ordines sacros, tum etiam in Instructione I *Ad Renovationem Spiritus* n. 1 praestituta sunt. Prae oculis quoque habeat et bene perpendat duas epistolas, hac eadem super re missas ad Provinciales a P. Thyrso Gonzalez².

Curandum igitur omnino est, ut in dicta Instructione I, l. c. inculcatur, ne deinceps ad sacros Ordines promoteantur, qui in spiritu et religiosis virtutibus non bene profecerent aut in vocatione stabiles et firmi non sunt. Porro stabiles et firmi in vocatione minime censendi sunt, non solum ii, de quibus timeri potest, ne postea sua sponte ab ea desciscant, sed illi quoque, qui etsi vocationi suae addictos sese profiteantur, ejusmodi tamen animi defectus produnt, ut merito conjici possit, fore ut aliquando eos quantumvis invitos Societas a se repellere cogatur. Tales sunt homines difficulti ingenio, adeo ut ad vitam nostram se rite componere non possint, *Const. parte prima c. II, n. 4; parte secunda c. II, n. 4*; vel qui notabilem in proprio sensu obdurationem ostendunt, *parte prima c. III, n. 14*; qui passiones vel affectus habent, qui domari non posse videantur, *ibid. n. 9*; qui inquietos sese exhibent et verbis aut actibus offendiculum aliis praebent, *parte secunda c. II, n. 8*; praecipue vero qui

¹ Exam. c. IV, B; c. VI, n. 8, A; c. VII, n. 1; *Const. p. secunda, c. I-IV; p. quarta, c. VI, N; p. octava, c. I, n. 5, F; p. decima, n. 7.*

² Vide supra p. 122 sq.

perturbatores sunt pacis domesticae et discordiarum seminatores¹; uno verbo, quicumque iis defectibus obnoxii deprehenduntur, qui in Constitutionibus indicantur, tamquam impedimenta ad admissionem, vel tamquam ratio sufficiens ad dimissionem; quamvis forte nondum in eo gradu, qui eorundem a Societate exclusionem prorsus exigeret. Qui hujusmodi sunt, nec admittendi fuissent in Societatem. At si quando admissi fuerint, eo quod non satis perspecta esset eorum indeoles et perversa animi habitudo, nunquam profecto permittendum est, ut ad sacros Ordines evehantur, nisi prius ita corrigantur, ut de eorum perseverantia in statu religioso *spes certa* habeatur. Spes certa autem non erit, nisi quae solido nitatur fundamento; neque fundamentum solidum aliud esse potest, nisi emendatio, facto ipso et satis longi temporis experimento probata. Quare cavendum est, ut notatur in Instructione III, n. 1, ne spe futurae emendationis adhibeatur hoc medium promotionis ad sacros Ordines ad illos in spiritu juvandos, quorum emendatio desideratur. Sane perperam omnino adhiberentur sacri Ordines ut medium ad emendationem obtainendam; sed contra emendatio ipsa debet praerequiri tamquam dispositio necessaria ad sacros Ordines. Illi ergo, de quorum emendatione nondum plane constat, nequaquam ad sacros Ordines promovendi sunt; sed differantur moneanturque de defectibus, propter quos ab eo gradu suscipiendo prohibeantur. Quod si post iteratas hujusmodi monitiones adhuc inemendati persistant, jam non de admissione ad sacros Ordines, sed de tempestiva eorum dimissione e Societate agendum erit.

Haec si fiant, multo certe rariores erunt dimissiones eorum, qui jam Sacris initiati sunt; et ideo, quantum per nos licet, praecavebuntur incommoda, quae contra Societatis pacem et incolumitatem ex hujusmodi dimissionibus timeri possunt.

Quae igitur hisce meis literis Praepositis omnibus Provinciarum ad normam nostri Instituti peculiari modo commendata volui, Reverentia Vestra pro sua virili parte, cordi habeat quam maxime; eademque, qua maiore poterit fidelitate et constantia, opere implere ne praetermittat.

Ne autem unquam contingat, ut praesentes literae ex oblivione negligantur, quotiescumque deinceps in consultationibus de promovendis ad sacros Ordines agendum erit, haec ipsa mea epistola

¹ Cf. Congr. V, decr. 54.

praelegatur; neque aliter de singulorum promotione judicium feratur, nisi iis omnibus servatis praescriptionibus et cautionibus, quae in ea traduntur.

XLV.

R. P. N. FRANCISCI XAVERII WERNZ
EPISTOLA AD PROVINCIALES 19 JANUARII 1908.

**De libris a Nostris editis sufficienti exemplarium numero
et tempestive Romam mittendis.**

Bonorum librorum scriptio[n]em S. P. Ignatius enumerat inter media nostrae Societatis propria ad commune bonum promovendum. Cum autem librorum per typographiam evulgatio¹ in utramque partem, sive *ad aedificationem*², sive *ad destructionem*³, tantam vim et efficacitatem habeat, provide S. Pater constituit, ne scripta in lucem edantur nisi *Praepositus Generalis ea videat et legi ac examinari faciat, ut, si ad aedificationem fore videbuntur, et non aliter, in publicum prodeant*. Const. parte septima, cap. IV, n. 11.

Hujusmodi examinis instituendi et judicii ferendi cura, propter librorum multitudinem, jam plerumque singularum Provinciarum Moderatoribus relinquitur, exceptis quibusdam operibus de quibus aliter statutum est. Verumtamen librorum multitudo impedire non debet, quominus de omnibus, quae in lucem eduntur. Praepositus Generalis certior fiat, opportune ad eum missis exemplaribus. Etenim, si ad bonam Societatis gubernationem imprimis juvat, prout in Constitutionibus praescribitur, parte nona cap. VI, n. 3, quod *Praepositus Generalis omnia perspecta habeat, ut in omnibus melius possit, quae ad divinam gloriam spectant, providere; utilissimum profecto, ne dicam necessarium erit, ut bene et opportuno tempore cognoscere possit, quomodo in Societate procedat hoc efficacissimum et tanti momenti ministerium, quod scribendis et edendis libris exercetur.*

Propterea praedecessor meus b. m., P. Beckx, in sua Ordinatione de evulgandis Nostrorum libris, n. 20 praecepit, ut omnium li-

¹ Const. parte sexta, c. II, C; parte septima, c. IV, n. 11.

² Rom. XV, 2; 1. Cor. XIV, 3, 12, 26.

³ 2. Cor. X, 8; XIII, 10.

brorum seu operum editorum, quae alicujus momenti sunt, tria exemplaria, vel saltem duo, Romam tempestive mittantur. Ut vero tempestivam eorum cognitionem Praepositus Generalis acquirere possit, non exspectandus est, prout aliquando fit, triennalis Patrum Procuratorum adventus; nam saepius, ad intentum finem, nimis sera et parum utilis haec notitia foret; et aliunde non decet ut Praepositus Generalis per saeculares aut per publicas ephemerides intelligat, quid a Societatis hominibus scribatur.

His igitur perpensis, quae breviter in memoriam revocanda censui, sequentia ad proxim statuantur:

1. Cujuscumque libri, quem nostri scriptores ediderint a se confectum vel in aliam lingua translatum, sive prima editione sive subsequentibus in lucem prodeat, duo saltem exemplaria statim, postquam typis excusus fuerit, ad Praepositum Generalem mittantur; tria vero, si agit de rebus nostris historicis.

2. Mittetur eadem ratione duplex exemplar ephemeridum et foliorum seu libellorum periodicorum, quae sub Nostrorum quacunque directione in publicum eduntur.

Ordinatio haec in omnibus nostris Domibus ad mensam publice legatur, et in libro Ordinationum Generalium inscribatur.

XLVI.

R. P. N. FRANCISCI XAVERII WERNZ EPISTOLA AD PROVINCIALES 15 JULII 1909.

De Regula tactus religiose observanda.

Regulam, in Societate nostra sanctissimam. qua prohibemur, ne alios etiam per jocum tangamus¹, audio non sine stupore dictitatum ab aliquibus fuisse, ob mutatos a pristina severitate civiles mores, jam fere in desuetudinem abiisse vel saltem non adeo rigide interpretandam esse, ut quosdam ludos prohibeat, quibus alicubi utuntur Scholastici nostri.

Verum quam perperam haec dicantur, ex eo facile patet, quod in Societate nostra contra Regulas nulla admittitur consuetudo;

¹ Reg. commun. 34.

Regularum vero legitima interpretatio ad Congregationem generali et Societatis Praepositorum pertinet.

Ne itaque in re gravissima aut falsi quidpiam serpat, aut perniciosus aliquis abusus inducatur, operae pretium duxi, Praepositos provinciales hisce literis commonefacere, ut in consueta Domorum visitatione de hujus Regulae custodia peculiarem curam habeant Nostrosque omnes valde sollicitos reddant.

Quid porro Regula 34 ex communibus cautum velit et qua de causa, quid vero excipiat, verba ipsa satis indicant: *Ut ea, quae religiosos decet, gravitas et modestia retineatur, nemo alium, etiam joco, tangat; praeterquam in signum caritatis amplexando, cum quis aut abit aut redit peregre.* Prohibemur nimirum, ne alios quosvis e Nostris, ne quidem per jocum, tangamus, aut ab iisdem nos tangi patiamur; utcumque enim id fiat, nisi urgeat necessitas, non parum abhorret ab eximio illo religiosae gravitatis ac modestiae studio Regulis nostris praecripto; maxime vero alienum est a mutua illa veneratione ac reverentia, qua Constitutio 29 in Summario Nostros secum invicem agere jubet; adeo ut alii alios considerantes, crescant in devotione, Deumque Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoscere² debet.

Unum tantummodo excipit Regula, fraternum nempe amplexum, quo in mutuam caritatis ac benevolentiae significationem consalutamus Nostros peregre abeuntes vel redeuntes. Hanc autem fraterni amoris significationem, sive fiat peregrinos Nostros amplexando, uti communior mos fert, sive dextras cum eis conserendo more Anglorum vel Germanorum, legitimam prorsus censuerunt B. P. N. Ignatius ceterique Praepositi Generales, veri Regularum nostrarum interpretes.

Quod si praeterea quisquam putaret ab hac Regula excipiendos esse certos quosdam ludos, in quibus ludentes vicissim se tangunt, eosque ludos, salva Regula, Scholasticis nostris permitti posse existimaret, is profecto vehementer erraret, ejusque opinio non solum esset penitus convellenda, sed etiam id ludorum genus e Societate nostra omnino exterminandum.

Et haec quidem de Nostris non tangendis. Utrum vero Regula insuper prohibeat, ne externos quosvis, neque per jocum, tangamus; respondeo primum cum B. Francisco Borgia ad Provinciam

¹ Cf. Const. p. tertia, c. I, n. 4.

lusitanam: *Majori ratione prohibemur tangere externos.* Deinde cum P. Claudio Aquaviva ad Provinciam mediolanensem: *Extran eos tangere, et pueros praesertim, nemini Nostrorum licere.* Ex quibus merito concluditur: Utrumque sane eadem Regula prohiberi, idque, si de externis sermo est, potiori quidem jure. Etenim, ut alias rationes cuilibet obvias omittamus, si religiosa gravitas ac modestia laeditur fratres nostros, ejusdem societatis ac familiae filios, etiam per jocum tangendo, quanto magis, si externos quovis modo tangamus, quibuscum multo minor intercedit necessitudo, quae ejusmodi familiaritatem patiatur.

Neque aliud pariter, nisi urgeat necessitas, ab ea Regula excipiendo duxerunt Societatis nostrae Praepositi, quam comem illam atque urbanam salutationem, apud Religiosos et sacerdotes cujusque gentis in more positam, qua dextras cum quibusdam externis conserimus, aut manum deosculandam porrigitur in signum reverentiae sacerdotibus debitae.

Caveant igitur diligentissime Nostri omnes, qui cum externis, praesertim adolescentibus, agere debent, ne quid unquam contra sanctissimam hanc Regulam peccetur. Caveant nominatim magistri ac praefecti, ne sibi persuadeant, in Collegiis et Convictibus nostris, ut inter alumnos eorumque institutores *spiritus*, quem vocant, *familiae* melius foveatur, hac in re largiori ac liberaliori interpretatione opus esse; nisi enim Regula religiose servetur, valde timendum est, ne *spiritus* ille *familiae* sensim sine sensu desinat in familiaritates a christiana juventutis institutione plane alienas. Adsuescant potius magistri ac praefecti nostri Christum ipsum in alumnis revereri, Angelos eorum tutelares perpetuo adstantes intueri, aeternamque eorum salutem unice quaerere; semetipsos vero tamquam Christi Angelorumque administros ubique spectent, totosque divinae gloriae promovendae devotos. Quo fiet, ut non minorem alumnorum amorem quam reverentiam ac venerationem sibi concilient.

Reliquum est, ut Superiores omnes, spiritus Praefectos ac Novitiorum Magistros etiam atque etiam obtester, ne quid diligentiae ac vigilantiae praetermittant in curanda ac tuenda perfecta hujus Regulæ custodia, tum quod ad Nostros, tum quod ad externos spectat. Ejus rei exemplo ac praesidio sunt tam multi Societatis nostrae viri praeclarissimi, qui omnium virtutum laude maxime flouruerunt; atque in primis beatissimi juvenes nostri, Stanislaus Kost-

ka, Aloysius Gonzaga et Joannes Berchmans. Omnibus denique et singulis Societatis nostrae filiis mihi carissimis saepe dictum velim, ac si eos praesentes viderem, salutare illud Apostoli verbum ad Timotheum: *Insta in illis. Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt*¹.

Curet Reverentia Vestra, ut haec epistola ad omnes Provinciae suae Domos mittatur, semel ad mensam publice legatur, et Fratribus Coadjutoribus explicetur.

XLVII.

R. P. N. FRANCISCI XAVERII WERNZ
EPISTOLA AD PROVINCIALES 2 FEBRUARII 1910.

De tertia Probatione.

Quantopere intersit, ut quicumque pro institutis nostris in tertia Probatione versantur, eandem studeant bene diligenterque peragere, omnino persuadent hinc quidem momentum, quod huic probationi nullo non tempore majores nostri attributum voluerunt, inde vero gravissima ejusdem perficienda obligatio imposita ac saepe saepius inculcata; idemque manifesto adstruunt tum prudentissimae Congregationum ac Praepositorum Generalium Ordinationes, tum subsidia praescripta ad finem consequendum multa eaque praestantisima. Nimirum decebat, ut hac tanta cura et studio intenderet Societas in supremam Nostrorum scholam et palaestram, unde Operarii nostri, ex mente S. Fundatoris, evadant oportet non solum magno propriae perfectionis desiderio et animarum zelo incensi, sed etiam solidis virtutibus instructi et religiosae disciplinae studiosissimi.

Quod quidem momentum atque necessitas, nedum hac nostra aetate decreverint, quin imo multum succrevisse dicenda sunt ob peculiares difficultates, quae ex temporum nequitia hominibus in bonum animarum operantibus ubilibet imminere videmus. Quapropter libenti animo occasionem amplector, quam mihi praebuerunt Patrum Instructorum literae ad me perlatae, quibus consilium et norma in quibusdam occurrentibus difficultatibus petebatur. His igitur

¹ 1. Tim. IV, 16.

morem gerens, pauca quaedam in mentem, et quatenus opus fuerit, in usum quoque revocanda esse censeo, quae ad tertiam Probationem utiliter peragendam magnopere juvabunt, quaeque uniformitatis causa ubique in Domibus tertiae Probationis, quantum fieri potest, diligenter custodiri peropto.

Primum omnium, ii qui a Superioribus, quantocius fieri possit post studia absoluta¹, ad tertiam Probationem, vi Bullarum pontificiarum, Constitutionum S. P. Ignatii, decretorum Congregationum ex stricta obligatione subeundam, mittuntur, probe intelligent ac firmiter sibi persuadeant, permagnum sibi a Deo beneficium offerri, quo forte nullum in tota religiosa vita praestantius. Sit itaque haec suprema *schola affectus*² et solidarum virtutum in eorum omnium votis; eam aggrediantur corde magno serioque proposito, sese in vita spirituali solide *confirmandi* atque multum *promovendi* et *perficiendi*; in ea denique assidua cum alacritate usque ad finem perseverent, semper prae oculis habentes, hujus tertiae Probationis finem esse in plena et absoluta sui ipsius abnegatione ita se cum divina gratia exercere, et cum eadem ad virtutes religioso viro dignas incumbere, ut eorum unusquisque homo fiat in vita spirituali perfectus, idoneumque Societatis instrumentum ad animas Christo lucrificiendas evadat³. Quamobrem divinae Bonitati ingratum se existimet, si quis ad illam Probationem, cum adhuc remota est, non nisi aegro animo respiceret; si ad eam, cum tempus adeundi affuerit, veluti coacte se conferret; si denique in ea versaretur tamquam sub jugo constitutus, a quo tandem aliquando gaudeat se liberatum iri. Haec animi sensa sive dictis sive factis utcumque ostendere, reputet Societatis filio maxime indignum, sibique et aliis perniciosissimum.

Verum, simul atque haec sensa longe absint, et prior illa animi dispositio non desit, vel saltem ad eam comparandam studium adhibetur, nullum dubium, quin omnia, quae hujus Probationis sunt propria, non oneri sed potius solatio sint futura; praesertim vero si Patres ad tertiam Probationem accedant valetudine bona bonisque viribus alacres, non autem studiis aliisve laboribus defatigati.

Inter haec autem primum tenet locum, tamquam individua cuiuslibet Probationis conditio, secessus, quem vocamus, seu remo-

¹ Cf. Ord. Gen. cap. III, tit. 1, n. 1; supra p. 162 sq.

² Const. parte quinta, c. II, n. 1.

³ Cf. Ord. Gen. cap. III, tit. 3, n. 2.

tio a quibusvis negotiis et occupationibus, maxime externis, quantumvis piis ac religiosis, quae non faciunt ad finem prosequendum, propter quem tertia Probatio instituta est. Omnes enim qui tertiae Probationi dant operam, in id maxime intendere debent, ut in vita interiore sese promoveant et intimam cum Deo familiaritatem in spiritualibus devotionis exercitiis acquirant. Praecipuum autem ad haec medium et instrumentum censeant Exercitia spiritualia S. P. Ignatii per integrum mensem peragenda; ad quae proinde magna cum animi praeparatione accedendum, in eadem summo cum fervore incumbendum est; neque putent quintum exercitium nocturnum aetate hac nostra esse facile omittendum. Reliquum vero probationis tempus ita componendum et transigendum est, ut spiritus fervoris in Exercitiis conceptus jugiter foveatur et solidetur. Porro haec omnia, juxta magistros vitae spiritualis, atque imprimis juxta S. P. Ignatium, requirunt diligentem separationem externalm et internalm ab omnibus alienis occupationibus, adeo ut Domus tertiae Probationis vere domus orationis dici possit.

Jamvero huic externae et internae animi recollectioni non leviter obest in primis frequens epistolarum commercium ultro citroque missarum; multo vero magis obesse dicenda est lectio diariorum seu ephemeridum, vel etiam libellorum periodicorum, nisi forte excipiatur aliqua religiosa sive ecclesiastica publicatio periodica a rebus profanis ac politicis partibus prorsus aliena; item obest effusio ad exteriora, superflua aut non necessaria cum externis converratio¹.

Est et alter distractionum fons, quem jampridem occludere curaverat P. Ludovicus Martin b. m., cum admonuit, ne Patres tertiam Probationem peracturi in eas Provincias in easque Domos a Provincialibus mitterentur, quarum usitatam linguam non satis callerent. Quod quidem consilium prudentissimum duco, atque ut ubique diligenter custodiatur vehementer opto. Quare Praepositus provincialibus enixe commendo, ne Patres in alias Provincias ad tertiam Probationem peragendam mittant, nisi in lingua illius regionis tantum profecerint, ut statim *ab initio tertii anni* omnia quae dicuntur, facile intelligere possint. Etenim tertia Probatio non est instituta ad linguas paulatim discendas, quas quis ignorat. Hujusmodi vero vulgatae linguae imperitia non solum difficultia reddit

¹ Cf. Ord. Gen. cap. III, tit. 2, n. 11.

experimenta doctrinae christianaee, Missionum aliorumque ministeriorum, sed etiam graviter impedit experimentum Exercitiorum spiritualium atque Instituti explanationem, ubicumque ad utramque rem pro latina lingua vulgaris sermo adhibetur, ut plerumque usuvenit. Accedit, quod Patres in longinquis regionibus tertiam Probationem subituri saepe saepius inutilibus distinentur itineribus, atque etiam nimis benigno ac blando modo, magis ad instar hospitum, quam discipulorum more, in schola affectus et mortificationis tractantur.

Etiam occasione peragendorum ministeriorum, quae unum constituant ex consuetis tertiae Probationis experimentis, audio praestituae animi recollectioni nonnullum detrimentum accidere. Alicubi enim, quo tempore ministeriis incumbitur, Probationis exercitia penitus intermittuntur; Patres in suas quisque Provincias a Praepositis provincialibus revocantur ad munia Operariorum exercenda sive in Residentiis, sive etiam in Collegiis aut Convictibus; quandoque etiam ad conciones per integrum Quadragesimam statis diebus in templis magni concursus habendas. Quae quidem Patrum tertianorum absentia a Probationis Domo atque ipsius Probationis interruptio ad duos fere menses protrahi dicitur, quibus praeterea praemittendus fuit vel integer mensis concionibus praeparandis assignatus. Post haec nil mirum, si reduces Patres, defatigatione gravati, non nisi aegre arduum Probationis laborem iterum aggrediantur.

Oportet igitur, ut in re tanti momenti uniformitas, quantum fieri potest, servetur ubique in Societate, eaque ex conformitate ad praescripta Instituti hauriatur. Quamobrem in primis animadverendum est, non quodlibet genus spiritualium ministeriorum convenire iis, qui tertiam probationem peragunt. In Ord. Gen., cap. III, tit. 2, n. 7, praecipue sermo est de Missionibus unius vel alterius mensis per villas et pagos habendis deque doctrina christiana tradenda et confessionibus audiendis. Ac re quidem vera Missiones illae modestae aptius sunt tertiae Probationis experimentum, sine ipsius Probationis detimento, imo cum ipsius profectu conjunctum. Namque ad hujusmodi breves modestasque Missiones non requiritur adeo diuturna praeparatio, sicuti ad conciones in majoribus ecclesiis et ad Missiones in magnis urbibus; magis ex iis excitatur animarum studium; longe major habetur virtutum, praesertim caritatis, sui abnegationis humilitatis et patientiae exercitatio; cum praeterea

a binis simul Patribus plerumque agantur, minora sunt pericula, et certius est factorum testimonium, quod in hujusmodi experimentis ab Instituto requiritur.

Porro ministeriorum experimentum ex Ord. Gen. cap. III, tit. 2, n. 7, unius vel alterius mensis spatio omnino contineri debet, neque unquam permittendum, ut ultra duos menses, maxime continuos, sese porrigat. Poterunt autem hujusmodi experimenta dupli ratione disponi: Uno quidem modo, pro more in aliquibus Provinciis recepto, experimenta illa distribui possunt pro diversis in diversas tertii anni partes, ita ut modo hic, modo ille ad aliquod ministerium apostolicum mittatur, ceteris domi remanentibus in consueto Probationis ordine; atque hic modus utiliter sane adhiberi potest, dummodo illae Missiones vel excursions apostolicae raro tantum fiant, v. gr. ter vel quater in anno, et per breve tempus, neque unquam ipso Exercitiorum tempore, aut immediate antea, vel continuo post Exercitia peracta. Alter modus in eo est, ut tertiani Patres sub idem tempus, v. gr. in Quadragesima, in suam quisque vicem, quoties mittendi sunt, ad ministeria apostolica egrediantur, reliquo vero tertiae Probationis tempore ad nulla alia ministeria applicentur, praesertim diuturna et difficilia. Qui quidem modus, ut manifeste apparet, ad Probationis ordinem, quietem et sincerum orationis studium plurimum confert; si nonnulli Patres cogantur manere domi, continentur pro iis, quantum fieri possit, consueta tertiae Probationis exercititia. Nullo vero modo tolerari potest illa praxis, qua Patres non solum per totam Quadragesimam a domo tertiae Probationis absunt, sed aliis quoque temporibus, aliquoties per unam alteramve hebdomadam, vel frequenter per tres quatuorve dies. Neque unquam adhiberi debent ad quaevis ministeria in Residentiis ob-eunda, perinde ac si essent ordinarii Operarii, qui forte nimis etiam laboribus obruantur. Nec nisi raro et speciales ob causas in suas Provincias revocandi, ut ministeriis vacent.

Denique quod attinet ipsorum ministeriorum in singulos Patres *assignationem aptamque distributionem*, quamvis audiendi sint Praepositi provinciales locorum, in quibus ministeria haberi debent, praecipuae tamen partes hac in re Patribus Instructoribus sunt deferendae; ii enim probe sciunt, quid unicuique conveniat, quid prodesse quidve obesse forte possit¹. Praeparatio quoque ad illas

¹ Cf. Reg. 17 Instr.

Missiones vel ad alia ejusmodi ministeria, ut experimentum debet considerari, nec tantum illi temporis tribui, ut praecipua exercitia tertiae Probationis detrimentum patiantur, et quasi tota attentio tertianorum illa praeparatione absorbeatur.

Hisce porro cautionibus diligenter adhibitis, non mcdo nil detrimenti ex hujusmodi experimento imminebit, verum etiam fructus inde accedent ad spiritus fervorem fovendum firmandumque praestantissimi.

Remotis itaque, per sedulam secessus custodiam, externis omnibus impedimentis, totis viribus poterunt Patres tertiae Probationis ad interna se conferre atque ad vitae spiritualis curam habendam. Atque hic praecipuus finis est, ad quem spectat Societas, cum plerumque non sine proprio incommodo per unum adhuc annum in Probatione detinet homines, doctrinae supellectili jam instructos atque ad laborandum in vinea Domini ceteroquin bene comparatos. Ut igitur tam providae matris votis et institutis respondeant, meminerint qui in hac probatione versantur, nullum ipsis sanctius opus incumbere, quam ut fiant viri *orationis*, atque *intimam illam familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis acquirant, quam Societatis Operariis necessarium Constitutiones docent*¹; nam solus vir orationi deditus est vir perfectus, teste vulgata illa sententia, quae S. Augustino attribui solebat: *Novit recte vivere, qui recte novit orare*². Firmiter sibi persuadeant, se nullum praestantiorem thesaurum ex tertia Probatione esse educturos, quam si spiritu orationis penitus se imbuerint, super quo tamquam super solido fundamento subsistant, ex quo necessaria subsidia petant in omnes futuros eventus, in quo unicam spem felicis successus in operibus apostolicis constituant.

Quare non solum ab initio et in fine tertii anni Exercitia spiritualia S. P. Ignatii summo cum fervore peragant, sed praeterea toto anni decursu solida et ordinaria pietatis exercitia, velut orationem mentalem et utrumque examen, celebrationem Missae, recitationem Officii divini, confessionem sacramentalem, lectionem spiritualiēm; visitationem SS. Sacramenti, devotiones in SS. Cor Jesu, in B. Virginem Mariam, in S. Joseph, in sanctos Angelos et Beatos coelestes singulari cura et diligentia prosequi studeant at-

¹ Parte decima, n. 2.

² Cf. Serm. LV, ex supposit., n. 1; M. P. I. XXXIX, 1849.

que iisdem bene constanterque peragendis assuescant. Imo ex mente Instituti, praeter consuetum tempus orationi communiter assignatum, poterunt etiam tempus a communibus occupationibus vacuum, pro sua quisque devotione et re cum P. Instructore communicata, orationi rebusque spiritualibus impendere. Quas inter res spirituales certe non ultimum locum occupet lectio spiritualis nostrorum praeclarissimorum scriptorum de re ascetica, qui Patribus tertiae Probationis debent esse *lux in Domino*¹, non vero *thesaurus absconditus*², et inaccessus. Huic autem orationis studio accedat necesse est assiduus labor mortificationis tum internae, tum etiam externae aliarumque virtutum exercitium, ita ut Patres tertiae Probationis sese cum divina gratia exerceant in plena et absoluta sui ipsius abnegatione, vires spirituales instaurent, ad virtutes solidas religioso Societatis dignas incumbant³, et subsidiis vitae spiritualibus sese communiant ad opera Societatis apostolica cum fructu obeunda. Quae media si serio costanterque adhibeantur, certe non fiet, ut Patres a tertia Probatione egrediantur levitantum pietate tincti, sine notabili profectu in vita spirituali, et iidem fere appareant atque ante ingressum in tertiam Probationem. Hinc mirum non est, genus vitae Patribus tertiae Probationis praestitutum parum ab eo distare, quod Novitiorum proprium est, sive in iis, quae spectant orationis studium, perfectam observantiam in ordinariis nostris actionibus, curam rerum minimarum, sive etiam, debita cum proportione, in iis, quae spectant opera manualia, quae potissimum assumenda sunt ad humilitatem profitendam et obedientiam excolendam.

His accedat necesse est diligens atque exacta vitae communis custodia, ad quam pertinet etiam, ut ab omnibus propriae cuiusque Domus consuetudines observentur. Patet enim, aequius esse ut singuli, undecumque proveniant, consuetudinibus ipsius Domus assuescant, quam ut eadem Domus singulorum usibus impleatur. In his si quod incommodum superandum occurrat, considerandum est, quantopere expedit ad mutuam caritatem foven-
dam, ut Nostri exterarum quoque regionum consuetudinibus facile sese accommodent. Praeterea, si S. Joannes Berchmans dixit: *Mea maxima poenitentia vita communis*, id profecto verissimum est, si

¹ Eph. V, 8.

² Is. XLV, 3; Matth. XIII, 44; cf. Eccli. XX, 32.

³ Cf. Const. p. decima, n. 2.

quis in aliena Provincia versetur. Quare Patribus tertiae Probationis simplicissimum perinde atque maxime practicum adest exercitium mortificationis, si praesertim in aliena Provincia versantibus ratum fixumque sit principium et studium sese perfecte accommodandi vitae communi.

Porro cum iis, quae hactenus commemorata sunt, conjungi debet diligens solidumque *studium Instituti*, quod hujus Probationis temporis maxime deputatur. Debet autem unusquisque studium hoc non modo ad notitiam hauriendam dirigere, sed etiam ad excitandum affectum, ita ut quae cognoverit ad Instituti normas esse praestanta, eadem totis viribus amplectatur, firmiterque in usum quotidianaे vitae ducat. Principii siquidem et fundamenti loco illud retinendum est: Adlectos in Societatem vi vocationis non ad quaecumque aggredienda, quae bona videri possint, vocatos esse, sed ad ea prosequenda, quae Instituto nostro continentur, aut iisdem conformia esse deprehenduntur; atque ad haec ipsa exercenda non pro uniuscujusque arbitrio, sed pro norma, quae in ipso Instituto reperitur. Absit autem, ut quis in ea opinione detineatur, perinde ac si, mutata temporum conditione, in Instituto nostro abunde arma non suppeterent, eaque validissima, ad quoslibet etiam hodiernos aeternae salutis hostes profligandos; quippe indubium est, Institutum nostrum quovis tempore nobis, Societatis filiis, optimam esse viam ad veraces fructus in vinea Domini ferendos.

Jamvero res ipsa postulat, ut cum studio Instituti pari gressu procedat eique intime conjungatur assidua lectio et consideratio libri Exercitiorum S. P. Ignatii, in quo, tamquam in speculo, totius Instituti nostri forma relucet. Atque ita quidem procuranda est hujus aurei libelli cognitio, ut non qualiscumque, sed perfecta ejusdem acquiratur peritia¹.

Ut autem duplex iste finis obtineatur, ipse Instructor Patres tertiae Probationis per solidas instructiones introducat in plenam intelligentiam libri Exercitiorum atque universae asceseos Ignatianae; Institutum vero explanare studeat non leviter, sed solide, ordinate, integre, practice, super inconcussis fundamentis philosophiae et theologiae scholasticae et sanis principiis juris communis Regularium; innitatur optimis commentatoribus Instituti, v. gr. Suaresio, Ribadeneira, Gagliardio; neque omittat historicam erudi-

¹ Cf. epist. R. P. N. Martin 1 Martii 1900, infra p. 201 sqq.

tionem et juris nostri ad casus particulares applicationem. Patribus namque Instructoribus tertiae Probationis Congregatio vigesima decr. 15 maximopere commendat: *Ut studium Instituti summa cura promovereant, rationem de hoc studio ab iis, qui probantur, sibi reddi current, ipsos examinent et de uniuscujusque profectu in intelligentia Instituti frequenter Provincialem certiore faciant.* Ubi profecto non agitur de examine scholastico, sed de debita cura explorandi, quantum quisque proficiat in ejusmodi studio: sive id fiat per conferentias casuum singulis hebdomadis, aptasque quaestiones propositas et discussas, sive per menstruas repetitiones, sive per reassumptiones generales in fine anni, sive demum alio quovis convenienti modo.

Denique in omnibus, quae ad internam externamque directiōnem spectant, fideliter sequantur Patres tertiani ductum P. Instructoris, quem propterea semel v. gr. singulis hebdomadis vel saltē frequenter adire curabunt, et unoquoque mense post statam recollectionem menstruam; eumque magna animi simplicitate et sinceritate alloquantur¹. Ex hac mutua communicatione totius Probationis fructus maxime pendet; exinde enim non solum optima adest occasio Patribus probandis sese exercendi in actibus humilitatis aliarumque virtutum, sed ipsi quoque P. Instructori commoda suppetet opportunitas eosdem pro uniuscujusque dispositione cognoscendi, eorum difficultatibus occurrenti, aegros solandi, tardiores excitandi, fervidiores confirmandi, singulos pro singulorum necessitatibus juvandi.

Antequam finem faciam, haud inutile esse censeo in memoriam revocare, tertiae Probationis annum ad instar legitimi anni scholasticos integros decem menses per se complecti debere. Quoniam vero interdum accidit, ut Praepositi provinciales varias ob causas moveantur ad aliquem educendum, Probatione nondum expleta, hinc haud abs re esse judico ob oculos ponere, quanta sit hujus Probationis obligatio, quam manifeste prae se ferunt et Literae apostolicae et Constitutiones S. P. Ignatii et Congregationum decreta, quibus etiam magnopere urgetur, ut ea integre assidueque peragatur. Ita v. gr. Congregatio generalis decima sexta decreto 34 declaravit, Provinciarum Praepositos tertio Probationis anno nihil subtrahere posse; quin etiam sperare se dixit, fore ut Praepositus Generalis ne-

¹ Cf. Reg. 18 Instr.

minem, nisi ob rationes gravissimas et vere urgentem necessitatem boni communis, non commodi mere privati, aliqua illius parte eximeret. Quam quidem tam justam Societatis spem, absit a me, ut irritam faciam. Quod si quis nihilominus, urgente necessitate, ante finem revocandus omnino videretur, id prius ne proponatur Praeposito Generali, quam et justissimas adesse causas Provinciae Consultores agnoverint, atque ipsem et tertiae Probationis Instructor, datis literis, causas easdem comprobaverit¹. Tum vero qui e tertiae Probationis anno ante tempus educitur: 1. non ad alia officia applicetur praeter illa, ob quorum strictam necessitatem fuit evocatus, ita ut reliquum tempus exercitiis pietatis et studio Instituti impendere possit; 2. deinceps tempore vacationum autumnalium liberum ipsi tempus ab aliis occupationibus omnino relinquatur, quo privatim prosequi et supplere possit, quod ei supererat perficiendum, cum eductus fuit.

Praeterea, quoniam plena tertiae Probationis integritas, sin minus temporis, saltem exercitationum, plerumque desideratur in iis Patribus, qui tertiae Probationi vacare censemur, dum Socii Magistri Novitiorum munere funguntur; tametsi ex Patrum Generalium responsis id fieri quandoque potest, tamen magnopere optandum est, ut, nisi adsit valde gravis necessitas, nunquam ita fiat. Ex quo non pauca nec parvi momenti commoda consequuntur, si Socii Magistri Novitiorum sunt magis stabiliores; adeo ut quotannis mutari non debeant.


Atque haec sunt, quae de tertia Probatione ad normam Constitutionum et Ordinationum Generalium fideliter peragenda, de consilio Patrum Assistentium in memoriam revocanda et enixe commendanda esse putavi. Jam restat, ut omnes et singuli, ad quos pertinet, pro sua quisque parte ad ea quae dicta sunt diligenter implenda animum adjiciant; meminerintque tanto praeclariores et ubiores ex postrema hac Probatione fructus exstituros ad bonum Societatis universae, quanto studiosius ac penitus ad simplicem Institutum normam eadem exigatur.

Hanc epistolam Reverentia Vestra serio consideret eamque in primis communicet cum suis Consultoribus et praeterea cum Patribus Rectoribus et Instructoribus tertiae Probationis, quibus rerum

¹ Cf. epist. R. P. N. Anderledy ad Patres Provinciales die 8 Dec. 1890 datam.

exsecutio potissimum demandanda est. Juverit etiam, ut ejusdem notitiam accipient tum Patres, qui proxime tertiam Probationem peracturi sunt, tum reliqui Scholastici, qui ad eam aliquando mittendi erunt; quod quidem fiet, si semel in omnibus Domibus, in Collegiis vero maximis et in Domibus tertiae Probationis initio cujusque anni, haec epistola in publica mensa legatur.

Infra in parte tertia p. 266 sqq. habetur epistola R. P. N. Francisci X. Wernz de tribus Decretis S. Congr. de Religiosis, in qua primo loco agitur de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis secundum Decr. S. C. de Relig. 7 Sept. 1909 (Act. Ap. Sed. I, 700 sq.).



PARS SECUNDA
DE MINISTERIIS SACRIS

ДОЧЬЮЯ ВЛАГ
СИДАР КИНЕМАТИК ПО

PARS SECUNDA

DE MINISTERIIS SACRIS

Quoniam in hac parte agitur de ministeriis Nostrorum sacris, Superiores, qui forte pauciora hic inveniri judicabunt, meminerint plura et quidem optima de sacro ministerio nostro haberi in epistolis et monitis haud paucis Praepositorum Generalium ad totam utique Societatem datis. Quapropter nonnullarum epistolarum talium summarium speciminis atque prooemii gratia parti huic secundae praemittitur.

R. P. N. CLAUDIO AQUAVIVA dedit 1 Augusti 1594 epistolam ad Patres Societatis « De fervore et zelo Missionum »¹.

Epistola tota in eo est, ut PP. Societatis ad fervorem et zelum Missionum excitet, ut crucis signo muniti et zeli gladio ancipiti armati, Dei bona tueantur. Quae bona triplicia tripliciter etiam laeduntur: Honor terrenis affectibus, emolumentum perditione animarum, delectamentum vel levissimis culpis et defectibus. Hisce impedimentis ad bona Dei tuenda opponendus est zelus ille, qui certissimum est divini amoris argumentum.

Incitamentum vero *primum*, quod tales zelum in nobis gignit, est consideratio miserrimi rerum status, in quo totus orbis versatur; *alterum* professionis nostrae obligatio, uti exprimitur in Instituti formula atque in Constitutionibus, ad quam implendam undique exstimulamus; *tertium* talenti a coelesti Patre familias nobis traditi recordatio, quod talentum non solum in educatione Societatis nostrae atque instructione nostra consistit, sed omnia continet, quae a nobis et in nobis ad proximorum salutem impendi possunt. Ad hoc talentum apte refertur parabola de servis, quibus dominus proficisciens bona sua tradidit. Qua parabola monemur, ut enixe pro virili parte nostra contendamus tum metu poenae tum spe praemii.

Ad zelum animarum denique invitat et excitat sponsus coelestis! Et quis Nostrum est qui hanc vocem non audiat? Ad hunc igitur zelum et ad Mis-

¹ Ep. Praep Gen. I (Rollarii 1909), p. 231 sqq.

siones expetendas omnium voluntates Superiorum praesertim opera accentuantur atque inflammentur.

Idem 12 Maii 1599 ad Provinciales misit epistolam « De modo instituendarum Missionum »¹.

Ut Missionum ardor denuo in nobis excitetur, relegandas esse dicit literas de hac re antea (v. supra ep. 1 Aug. 1594) datas. Quod ad praxim spectat, expedire, ut singuli fere sacerdotes quotannis aliquam Missionem obeant more apostolico; ut in singulis domiciliis habitent saltem duo missionarii; et ut aliquot locis collocetur Residentia missionariorum temporaria, qui ex eleemosynis vivant; sint minimum sex sacerdotes cum duobus Fratribus, post aliquid tempus cum aliis permutandi.

Neve tractent de erigendis novis Collegiis; sed sicubi Domus professa erigi possit, referatur ad P. Generalem. Ad quem etiam referat Provincialis de praecedentium executione; et curet, ut qui promoventur ad gradus, doctrinam christianam tradant.

Idem 14 Augusti 1599 ad Provinciales dedit epistolam « De usu Exercitiorum spiritualium »².

R. P. N. Aquaviva mittens in Provincias Directorium Exercitiorum recognitum votisque accommodatum Congregationis generalis quintae, hac opportunitate data denuo commendat Exercitiorum usum promovendum et in Nostris et in externis.

Ad ea igitur tradenda se Nostri idoneos reddant; ad ea excipienda confessari poenitentes invitent, accedentes autem admittant prompte et liberaliter Superiores locales; qui aliquot cubicula in hunc usum parata teneant.

Denique Provinciales cum Superioribus et Professis congregatis tracent de modis procurandi auxilium animarum.

Idem eodem die 14 Augusti 1599 ad Provinciales misit epistolam « De formandis nostris concionatoribus »³.

R. P. N. Provinciales, cum finis Societatis idoneos omnino concionatores expostulet, exhortatur, in eo summam curam ponant, ut tales formentur, ideoque institutionem pro concionatoribus Societatis in praxim revocent et imprimis usum Exercitiorum spiritualium iis commendent.

Idem 28 Maii 1613 per epistolam ad Provinciales dedit « Monita formandis concionatoribus accommoda »⁴.

Quoniam concionandi ministerium sit ad lucrum animarum aptissimum, agendum esse, ait, de ejus adjumentis, impedimentis, industriis.

Adjumenta haec sunt: Opinio virtutis et probitatis - Ordinata studia -

¹ Ibidem p. 270 sqq.

² Ibidem p. 276-279.

³ Ibidem p. 279-282.

⁴ Ibidem p. 338-359.

Scriptura sacra et Patres - Collecta ab eruditis materia - Tempestiva munieris inchoatio - Assistantia bonis concionibus - Materia, auditorium, munieris auctoritas et majestas.

Impedimenta sunt haec: Intentionis obliquitas - Incautus delectus in studii materia - Inordinatum studium - Neglectus studii Scripturae sacrae et sanctorum Patrum - Memoriae ostentatio - Lectio quorundam sermoniorum - Affectatus dictionis ornatus - Inepta insertio rerum curiosarum - Oratio vaga - Oratio non satis ruminata, nec recte secta - Imitatio vitiosae rationis aliorum - Non libenter audire monita - Insenescere vitiis, quibus quis assueverit - Non possidere tamquam proprias res dicendas.

Industriae tandem sunt: Praecavere impedimenta - Considerare successus ferventium religiosorum - Attente meditari Scripturas - Duobus vel summum tribus capitibus insistere - Eradicationem vitiorum constanter et multimodis urgere - Loqui libere simul et prudenter - Res dicendas praeparare et memoriae mandare, non autem verba - Quae leguntur redigere ad communes locos - Familiarem sibi reddere Chrysostomum - Instructionem pro concionatoribus servare - Libros de arte concionandi legere - Dirigi in studiis a Superioribus.

R. P. N. PETRUS BECKX 10 Decembris 1875 epistolam dedit ad Patres et Fratres « De animarum zelo et de ratione eas juvandi »¹.

R. P. N. ex Societatis rebus afflictis rationem epistolae scribendae desumit, exhortans Nostros ad mala, qua nostra fortiter ferenda, qua mala Religionis dolenda; at animarum zelum eo magis esse excitandum. Id requiri a precepto caritatis, id postulari ab Institutu nostri ratione. Docet qualis zelus esse beat. Furorem malorum debere accendere zelum nostrum. Majorum nostrorum zelum, nobis incitamento, uberrimum fuisse; zelum vero nostrum, nobis detimento, saepe saepius minus bene ordinatum esse. S. Xaverium zeli exercendi nobis esse magistrum. In zelo exercendo ordinem esse servandum: In primis colendos domesticos, tum externos, qui magis indigeant. Christum et Apostolos ita egiisse. Errare eos, qui speciosiora aucepuntur. Praecipue pueros esse excolendos - excolendos etiam sacerdotes - parce excolendas mulieres. Magis juvandos esse viros. Hinc minus periculi plus lucri. Occurrunt objectioni.

In ministeriis habendum esse delectum. Exercitorum spiritualium utilitas quanta qualisque usus sit. Armis a majoribus usitatis pugnandum esse. Propriam vero perfectionem omnino optimum esse remedium salvandis animas. Quantum juvet cultus sacratissimi Cordis Jesu. Prae ceteris Nostrorum illos qui in dispersione vivant esse juvandos.

Tandem summatim referantur ea, quae Congregationes et Praepositi Generales de cultu SS. Cordium Jesu et Mariae in Societate fovendo statuunt atque monent:

¹ Ep. Praep. Gen. III (ed. cit.), p. 238-267.

Imprimis Congregationis Polocensis anni 1785 decretum 8 haec habet:

« Die 2 Octobris veteri stilo, 13 novo stilo, sanctis Angelis Custodibus sacra, ad postulata de promovendo cultu SS^{mi} Cordis Jesu et B. Mariae V. repositum est ac definitum: Ut praeter triduanam ante festum SS^{mi} Cordis devotionem a piae mem. R. P. N. Stanislawo Czerniewicz praecriptam, addatur singulis diebus oratio de SS^{mo} Corde post litanias de omnibus Sanctis, ultimo loco orationum recitanda; atque ut diebus sabbati consuetis litanis de omnibus Sanctis praemittantur litaniae lauretanae ».....

R. P. N. JOANNES ROOTHAAN 8 Junii 1848 literas dedit ad Patres et Fratres
« De cultu sanctissimi Cordis Jesu »¹.

In praesenti Societatis clade, ait R. P. N., solatium et auxilium nobis praebebit cultus SS. Cordis Jesu exercendus et promovendus. Etenim historia cultus illius et Societatis vicissitudinum, praesertim si attendimus quae ex Provincia albo-russiaca huc referuntur, suadent illum nobis peculiari modo proprium esse debere.

Idem suadent rationes intrinsecæ: 1. Ipsa Domini nostri voluntas non obscure manifestata; 2. ipsum nomen Societatis Jesu; 3. vivendi ratio nobis propria; 4. finis, quem in cultu SS. Cordis sui propositus sibi Dominus.

Concludendum igitur Societatem peculiari modo ad hunc cultum exercendum et promovendum vocari. Nec sufficit externum cultus exercitium, sed intimo animi affectu satisfaciamus ardentis SS. Cordis desiderio. Ad hoc nos moveat quotidie grassans perversorum impietas. Studeant nostri cotidiana meditatione sensa SS. Cordis magis cognoscere, ut secundum verba Apostoli ab ipso virtutes omnes nobis necessarias doceamur, et apertum eius latus ingredientes accipiamus humilitatem, mansuetudinem, benignitatem, resignationem, obedientiam, zelum verum, modum regendi alios, sed praesertim amorem, quo Cor illud SS. aestuat, quiique inflammabit amorem nostrum ad toleranda fortiter adversa. Exhortatio sequitur ad Socios in dispersione degentes; utinam emergat ex hac tempestate Societas. Quae ex parte nostra praestanda sint.

Idem 24 Junii 1848 dedit epistolam ad Patres et Fratres iamquam corolarium praecedentis: « De cultu purissimi Cordis Mariae »².

Societas, scribit R. P. N., sese totam Mariae semper professa, anno 1837 Romae ejus patrocinium potentissimum experta, in praesenti etiam calamitate illam nobis auxiliaturam fidenter speret. Quare quaedam praestanda in proximo festo Cordis immaculati; quid nobis petendum.

¹ Ep. Praep. Gen. III, (ed. cit.), p. 1-23.

² Ibidem p. 24-27.

R. P. N. PETRUS BECKX 28 Augusti 1870 epistolam dedit ad Patres et Fratres « De refugio in SS. Corde Jesu quaerendo »¹.

Quoniam novae calamitates pertimescenda sint, persistamus, ait, in spe coelestis auxilii, et confugiamus ad Cor sanctissimum Jesu, miserationis plenum, oremusque confidenter, tum privatim singuli, tum omnes communiter. Quaenam in hunc finem praestanda sint, et quantopere exercitio virtutum sit insistendum.

Deinde solemniter statuit Congregationis vicesimae tertiae decretum 46 anno 1883:

« Tamquam felix ac fausta conclusio laborum offertur Congregationi postulatum ad cultum SS. Cordium Jesu et Mariae inter nos augendum et promovendum. Lecto autem Patrum deputatorum judicio, omnes Patres assurgentes unaque voce acclamantes probaverunt quae sequuntur: 1. Declarandum esse: Societatem Jesu lubentissimo et gratissimo animo munus suavissimum acceptare et suscipere, a D. N. Jesu Christo ipsi commissum, devotionis erga divinissimum Cor suum colendae, fovendae et propagandae.

2. Statuendum, ut dies festus SS. Cordis Jesu inter solemiores in Societate habeatur et quotannis majori, qua fieri possit, pompa celebretur, renovata eodem die in singulis Domibus oratione abhinc paucis annis ab adm. reverendo Patre nostro praescripta, qua Societas se totam SSmo Cordi Jesu devovit ac sacravit.

3. Statuendum, ut die 5 Decembris proximi anni, quo occurrit dies festus saecularis, quo Prima Primaria Congregatio mariana constituta est, Societas, quemadmodum solemniter Sacratissimo Cordi Iesu se totam devovit ac sacravit, sic etiam solemniter se totam devoveat ac sacret SS. Cordi B. Mariae Virginis, quam semper ut dulcissimam Matrem coluit, colit ac colet ».

R. P. N. ANTONIUS MARIA ANDERLEDY 29 Septembribus 1888 literas misit ad Patres et Fratres « De munere provehendi cultum SS. Cordis Jesu, Societati nostrae abhinc duobus saeculis demandato »².

Immensa sunt, ita fere ait R. P. N., beneficia collata etiam in homines gratiarum immemores. Beneficiis nova semper addit beneficia Deus. Cor tandem suum exhibuit hominibus, nosque edocet, Cor suum sanctissimum esse colendum, ut est amoris symbolum.

Haec symboli ratio maxime conuenit SS. Cordi, quia ortum est ex amore divino, quia hunc amorem continuat, agendo, patiendo, dona maxima promittendo omnibus, praesertim Societati nostrae. Societati munus committit provehendi cultus SS. Cordis. Quod beneficium S. Parenti Ignatio debemus et in primis sanctae Dei Matri.

¹ Ibidem p. 158-159.

² Ibidem IV, p. 95-116.

Retinendum esse hoc beneficium fideliter, obtemperando legibus nostris et offerendo Salvatori divino cor nostrum conjunctum cum Deo, divulsum a rebus creatis, divulsum a se ipso, apertum Superioribus, fratrum amans, cor generosum. Ad haec exequenda nobis adesse SS. Corda Jesu et Mariae, quibus jam sint sacra corda nostra, ast hoc anno saeculari denuo esse consecranda.

XLVIII.

R. P. N. VINCENTII CARRAFAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 8 JUNII 1647.

De praefecto Missionum in singulis Provinciis constituendo.¹

Cum desiderium singulare mihi indiderit Deus reponendi in gradum pristinum inter nos sanctum exercitium Missionum, prout in primordiis nascentis Societatis a primis Patribus fuerat usurpatum, subiit illico indagare causam, cur Praepositi Generales antecessores mei, qui non solum simili cupiditate flagrarunt, sed et multa in eum finem conducibilia praescripserunt, minime tamen optatis in eo potiti sint. Et versanti mihi multa animo, nulla potior occurrit ratio quam multitudo curarum, quibus distenti Provinciales, dum necessario animum in varias sollicitudines dividunt, non possunt aciem mentis, quantum exigit rei dignitas, intendere in hoc sanctum exercitium, quod tamen cum principem locum semper tenuerit in Societate nostra et populo christiano sit longe utilissimum, merito requirit circa se singularem providentiam.

Quocirca perpensa re mature in conspectu Creatoris, ex lumine Constitutionum S. P. N. et de consilio Patrum Assistentium, visum est constituere in singulis Provinciis praefectum unum Missionum, cuius officium sit sugerere Provinciali quaenam ad Missiones in illa Provincia rite fructuoseque obeundas spectare videbuntur. Ea de causa catalogum habeat is oportet omnium Collegiorum et domiciliorum in Provincia, praeterea omnium legatorum cum ordine Missionum et denique indiculum etiam Praesulum, Civitatum, vel Magnatorum, qui similes Missiones exposcere sunt so-

¹ Utilissima quamquam est epistola haec ad Superiorum directionem, minime tamen ad amussim ubique observanda est. Vix enim fieri poterit, ut in omnibus et singulis Provinciis unicus tantum Missionum praefectus constituantur.

liti, ut singulis curet pro viribus nostris suo tempore satisfieri. Ad haec ejusdem erit repraesentare Provinciali, quinam missionarii in talem vel talem locum videbuntur idonei, quae suppetiae submittendae, quae remedia capessenda, ad hoc ut tam utile exercitium cum fervore obeatur, in fervore conservetur et denique debito pretio atque numero apud omnes ubique habeatur.

Conducit ad id magnopere frequens commercium literarum inter praefectum et missionarios, ut scilicet opportune possit de rebus occurrentibus apud Provinciale agere; deinde saltem semel singulis mensibus Praeposito Generali rationem idem reddat de statu ac fructu Missionum; denique colligat ipse ex narrationibus rerum gestarum materiam, quae in annuis referatur.

Potissima difficultas, quae in hoc negotio se objicit, erit fortasse in delectu personae ad munus tanti momenti idoneae, cui scilicet suffragari debeant et zelus luculentus et experientia et prudentia et auctoritas, ut nobilissimum ministerium debitos fructus sortiatur. Idcirco Reverentia Vestra his acceptis primo quoque tempore con vocet suos Consultores et peracta deliberatione de suis Sociis idoneis nominet mihi aliquos ex quibus deligam, cui id officii committam. Subjungat pariter, si quid occurrat, quod aut promovere fructum ministerii hujus aut etiam retardare posse in Domino videbitur, ut amotis impedimentis citius metatur utilitas, quam ex functione tam propria Societati nostrae ad Dei gloriam speramus.

XLIX.

R. P. N. FRANCISCI RETZ

EPISTOLA AD PROVINCIALES 18 JANUARII 1749.

De Bulla aurea pro nostris Congregationibus marianis obtenta.

Inter media fere praecipua, quae ad amplificandum divinum cultum et ad animarum salutem consequendam excogitavit Societas nostra, merito censemur marianaee illae Congregationes, quae in omnibus ubique Collegiis Domibusque tum pro juniori aetate tum pro natu grandioribus sunt institutae eo numero ac varietate, ut jam alicubi singulis fere hominum ordinibus sua assignata sit certa ac propria Congregatio, ipsis etiam agricolis.

Magnum hinc certe et uberiorem in dies videmus exsistere fructum; secundante enim Deo nostrorum hominum coepita, et protegente suos istos coetus Virgine beatissima, usu ipso docemur, in his conventibus, veluti in palaestris totidem christiana pietatis, fingit mortalium animos, mores castigari, virtutes indui atque ad omnia religionis officia excoli atque incalescere, novamque vitae formam induci.

His rebus moti sunt retroactis temporibus romani Pontifices ut, pro ea quam gerunt christiana reipublicae cura ac providentia, instituta haec saluberrima tuerentur auctoritate apostolica, privilegiis ornarent amplissimis et magnis indulgentiarum largitionibus locupletarent, potestate etiam facta Praepositis Generalibus Societatis, sodalitia eadem multiplicandi pro libito intra quaelibet Ordinis domicilia aggregandique huic primario, quod in Collegio nostro romano sub titulo Virginis Annuntiatae est collocatum.

At novissime sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster Benedictus Papa XIV, animo reputans istiusmodi Congregationum utilitates sane multas et maximas, quarum particeps olim fuit in privata fortuna, nostrisque humillimis precibus perquam benigne, ut solet, annuens, non solum fovendas illas et exornandas suscepit exemplo praedecessorum suorum; verum etiam omnium ante se Pontificum beneficentiam multis partibus superavit edita apostolica Constitutione, *aurea Bulla*¹ firmata, et Societati nostrae perhonorifica, qua privilegia istarum Sodalitatum omnia et indulgentiarum concessiones pristinas prolixè confirmat, innovat et ex parte amplificat, ut etiamsi multum huic Pontifici vere optimo debemus pro tot aliis ejus ac maximis in nostrum Ordinem meritis, hujus quidem certe beneficii magnitudini nulla possit par gratiarum actio inveniri.

Nunc ergo nos pontificiae Constitutionis exemplar ad Reverentiam Vestram transmittimus, cuius erit curare, ut innotescat in omnibus sua Provinciae Sodalitatibus, tum ut sodales singuli sciant, quibus de novo ditati sint ex Ecclesiae thesauro donis, tum etiam ut excitentur ad fundendas in communi preces pro Pontifice tam benemerito eique felicitatem, ut dignum est, comprecentur.

Illud tamen praecipue injungimus Reverentiae Vestrae, ut Sodalitatibus moderandis neminem praeficiat posthac nisi cum exqui-

¹ Bulla Bened. XIV «Gloriosae Dominae», 27 Sept. 1748.

sito delectu, eosque ex omnibus deligat, quorum probata sit virtus atque prudentia: ne forte Directorum socordia vel negligentia intereat fructus animarum, qui hactenus ex hoc ministerio, Deo favente, perceptus est, et quem uberiorem sperat Sanctitas Sua. Hanc nostram epistolam curet Reverentia Vestra, ut in singulis Collegiis ac Domibus Provinciae suae in publica mensa perlegatur; meique sit memor in sanctis suis sacrificiis.

L.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN
EPISTOLA AD PROVINCIALES 1 MARTII 1900.

**De libro Exercitiorum spiritualium S. P. N. Ignatii
a Nostris summo studio persequendo.**

Una cum hac epistola perferri iussi ad Reverentiam Vestram apostolicas Literas, quibus sanctissimus Dominus Leo PP. XIII spiritualia beati Parentis et Conditoris nostri Exercitia praeclaris cumulat laudibus amplissimisque paternae caritatis significacionibus prosequitur Provincias illas, quae Domos statuerunt, quo plures per annum in sacrum Exercitiorum secessum christianos operarios reciperent. Quae summi Pontificis Literae tantae per se sunt auctoritatis et ponderis, ut abs re foret, alia Nostris incitamenta addere, ut ceterae etiam Provinciae earum exempla imitentur et hujusmodi Exercitiorum Domos pro viribus excitandas curent.

Hanc potius occasionem nactus, Nostris omnibus enixe commendatum volo, ut diligenter considerent, quantopere intersit divino hoc Exercitiorum adjumento apte sapienterque uti, ut ex iis egregii illi referantur fructus, quos pene incredibiles maiores nostri se nunquam non collegisse gratulati sunt. Sunt enim haec domestica Societatis arma Ignatio Conditori divinitus suppeditata¹ et Societati nostrae proprio singularique dono demandata, ut duplicem finem suum certa invictaque vi consequeretur. Verum, ut miram eorum efficaciam et in nostrum et in aliorum bonum experiamur, oportet, ut haec arma ea peritia et arte tractentur, qua Ignatius pater tractanda transmisit. Nec enim nos contentos esse decet, si Exerci-

¹ Const. parte quinta, c. VIII, n. 5.

tiorum magisterium interdum leviter attigerimus ac summis veluti labiis degustaverimus; nec satis est, in sacris recessibus divini illius libri ductum auspiciunque veluti ex longinquu sequi. Sed necesse est, Exercitiorum librum summo studio persequi, perpendere, meditari; altissima verborum sensa evolvere ac penitus pervadere; communem ac supremum omnium Exercitiorum finem, proprium cujusque hebdomadae, imo etiam suum cujusque singularis exercitationis pernoscere; intimam, quae cuique meditationi inest, vim assequi; perspectas habere causas, quibus potissimum affectus movendi, et pertrahenda est voluntas ad finem propositum; perscrutari nexus, quo veritates omnes tam arcte inter se conjunguntur, ut una ab altera dependeat, omnesque sese invicem suffulciant et communiant; nihil praetermittere aut parvi facere ex additionibus, adnotationibus ceterisque documentis, quorum mira est vis ad Exercitiorum fructum plenius certiusque assequendum; omnes denique divinae istius aurariae latebras explorare et rimari, in qua, quo maiores divitias effoderis, tanto ditiores deteges thesauros. Ad haec necesse est in sacris recessibus Ignatium ducem tanta fide ac fidelitate sequi, ut ab ejus ratione, ordine, sensis ac, pene dixerim, verbis recedere religioni ducas.

Quae quidem omnia studium postulant diuturnum, impensum, indefessum; adeoque passim Institutum nostrum hortatur, ut, qui tradituri sunt Exercitia, sint homines rerum spiritualium usu apprime perspecti; eadem Exercitia ipsi ipso usu gustuque probaverint; in iis scite periteque tradendis sollerter exerceantur; totum Exercitiorum librum diu ac mature perlegerint atque expenderint, imo illum saepe legant et prae manibus habeant; res conferant cum aliis peritis; nihil denique intentatum relinquant, ut Exercitia ipsa sibi velut in succum et sanguinem convertant¹.

Si Nostri diligenti huic studio impensa voluntate se dedant, ita ut sacro Exercitiorum igne corripiantur; non amplius dolere erit, quod hucusque non raro doluimus, eos, qui sacros recessus moderantur, piis quidem commentationes pervolvere ac spirituales quasdam exercitationes proponere, nec eas sane fructu destitutas, minime vero spiritualia Exercitia sancti Ignatii, et cum eximiis illis vitae emendationis et sanctitatis fructibus, qui apud maiores nostros ex

¹ Const. parte quarta, c. VIII, n. 5, E; Regulae sacerdot., n. 7; Praepositi Dom. prof., n. 41; Rectoris, n. 67; Instructio IV, n. 2; Directorium in Exercitia, prooemium, n. 4; c. 5; c. 8.

Exercitiis semper consequi consueverunt. Meminerint, quae so, Pa-
tres, beatum Parentem nostrum, qui humilitate ac modestia in pri-
mis enitebat, et de se ac suis omnibus tam demisse sentiebat et lo-
quebatur, nihilominus in sua epistola ad Emmanuelem Miona¹
affirmare non dubitasse, Exercitia spiritualia esse id, quod in hac
vita cogitari posset optimum tum ad propriam perfectionem incitato
cursu provehendam, tum ad alios multos sive e vitiis retrahendos,
sive ad virtutem omnem absolutamque perfectionem adducendos.

Literae apostolicae Leonis PP. XIII ad R. P. N. die 8 Februarii 1900 datae
hae sunt:

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ignatianae commentationes quantum in aeternam animorum
utilitatem possint, trium jam saeculorum experimento probatum est
omniumque virorum testimonio qui vel ascenses disciplina vel san-
ctitate morum, maxime per id tempus floruerunt. Quamvis res ipsa
de se testatur. Cum enim error inde omnis in vitam hominum de-
rivetur, quod divinae in animis veritates oblivione obscurantur,
quae noxiis perturbationibus coërcendis unae sunt aptae, spiritua-
lium Exercitiorum ea propria vis est atque laus, quod veritates eas-
dem novo quodam lumine perfundunt ac veluti sopitas excitant.
Quia vero ex privatorum honestate morum consociationis humanae
honestas exoritur, dubium non est, quin secessus ii, in quibus coele-
stium veritatum commentatione occupamur, non in singulorum
modo, sed etiam in communem utilitatem cedant. Id quidem pro-
vide nonnulli e Societate Jesu sensere alumni, in Gallia præsertim
et Belgio. Qui cum nullam, quam operariorum classem, magis nunc
temporis impeti malorum insidiis adverterent, fundatas in pios se-
cessus Domos operariis ipsis patere maxime voluerunt. Propositum
quidem uberesque jam inde fructus sequutos Nos jucunditate sum-
ma cognovimus; non enim postrema aut minima curarum Nostra-
rum, quod acta a Nobis probant, operariorum utilitati ac bono cen-
suimus adhibenda. Nolumus igitur egregias istas Alumnorum So-
cietatis industrias justa sine laude praeterire, easque ut Deus large
obsecundet toto animo adpreciamur. Quin vero excitari magis inter

¹ Venetiis 16 Novembris 1536; Monumenta Ignatiana ser. I, tom. I
(Matriti 1903), 111 sqq.

ipsos praeclarum hoc studium desideramus, ut quod in Gallia atque Belgio feliciter est institutum, ad ceteras etiam nationes pari cum emolumento propagetur. Haec tu, dilecte Fili, benevolentiae Nostrae et gratitudinis sensa religiosis viris, quos moderaris, fac innotescant, illis cumprimis qui memorato operi laborem jam strenue impendunt. Quibus et universae Societati Jesu apostolicam benedictionem, Nostrae caritatis testem ac munerum divinorum auspiciem, amantissime in Domino impertimus.

PARS TERTIA
DE STUDIIS ET SCHOLIS

ЛІТЕРАРІЯ
ВІДОНОСТЬ

15

PARS TERTIA

DE STUDIIS ET SCHOLIS

LI.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 24 MAJI 1611.

De soliditate et uniformitate doctrinae.

Soliditas et uniformitas doctrinae adeo necessaria est ad obsequium sanctae Ecclesiae et ad opinionem existimationemque Societatis circa ministeria bonumque proximorum et denique ad unionem caritatemque fraternalm membrorum omnium totius hujus corporis, ut nulla circa hoc diligentia nimia videri debeat. Ego proinde, a quo primum tempore curam suscepi Societatis, Constitutionum nostrarum sensum secutus, dedi operam, ut hoc ipsum quoad licet assequeremur, uti Reverentiae Vestrae optime norunt, misso etiam libro *de Ratione studiorum et delectu opinionum*, ut examinaretur. Sed, Deo melius aliquid providente, remedium efficacius Congregationi quintae reservatum, decreto facto de doctrina S. Thomae sequenda¹; quod sufficiens fore sperabatur ad optatum finem. Sed omnino experientia nos docet, partim ob multitudinem scriptorum nostrorum, in quibus non facile est uniformitatem videre, si praesertim ii consultantur, qui scripserunt ante decretum, partim ob varietatem opinandi ac tuendi opiniones, quas nonnulli probabiles putant, Societatem non esse consecutam, quod optabat, quidquid adhuc diligentiae adhibitum sit. Ego vero quo magis nunc quam ab initio censeo pericula imminere hinc posse Societati, eo magis cupio remedium efficax omnino adhiberi. Vedit hoc S. Pater noster divino Spiritu plenus. et gravissimis verbis commendavit Constitutionum tertia parte, capite I, n. 18.

¹ Decr. 41; cf. decr. 56.

Et sane reipsa comperimus, varios de nostris doctoribus libere amplecti et publicare doctrinam eo ipso, quod liberam esse a censoris errorum et acumine ingenii defendi posse existimant; atque adeo censores hoc ipsum secuti multa abire sinunt, quasi vero ad *soliditatem et uniformitatem doctrinae* sit satis posse ab *erroribus defendi*; neque desunt qui putent, dummodo in doctrina et conclusione conveniat inter nos, circa modum tolerari posse magnam varietatem, ubi se ingenia exerceant. Sed advertendum expendendumque diligenter est, quamquam id aliquousque verum esse possit, nihilominus, quando ad conclusionis defensionem nova excogitantur, et modus ipse defensionis principia nova adnexa habet; tunc id neque permittendum esse, neque periculum evitari. Facile autem multis exemplis uti possem, unde appareret, non solum in conclusionibus, sed etiam in principiis et modis defensionum periculum adiri non solum varietatis, sed etiam novitatis et minus solidae doctrinae.

Adde quod aliud est, in una vel altera conclusione solido nixa fundamento et auctoritate gravium antiquorumque scriptorum recedere a S. Thoma, quod videtur permitti in decr. 41 quintae Congregationis, aliud in aliis praecipuis, et quae tamquam fundatum sunt aliarum plurium, ipsum non sequi; adeo ut in decursu disputationum et rerum doctrina neque thomistica neque uniformis appareat, sed ita variis contexta quasi coloribus, ut qui doctrinae sancti doctoris intelligens sit, judicet non unam esse faciem corporis uniformis. Neque vero satis est binis vel ternis locis nisi sparsim collectis, et per consequentias aut inconvenientia vel cum violencia adductis; quasi credendum sit, eam esse opinionem sancti viri, quia illam quomodocumque innuit aliud agens in illis locis. Verum necesse est videre, quid sentiat, ubi ex professo id agit, et attente expendere, quid quam cohaerenter vel dissonanter asserat cum reliquo corpore doctrinae. Profecto durum et difficile videtur doctrinam tamquam S. Thomae euulgare, quae a versatis in hoc doctore viris nova et aliena ab illo judicetur; et ubi sit opus ingenti subtilitate atque industria, ut perpensis nonnullis nescio unde petitis verbis propria et germana illius appareat.

Quocirca pro divino honore vigilandum est serioque advertendum, et conscientiae censorum onerandae. Nisi enim intra concessos limites cancellosque contineamus nos, nova quotidie pericula dannaque experiemur; neque temere dubitandum. quin si quis vi-

derit alii permissum fuisse hoc vel illud opinari circa ea, quae magno acumine distinctionibusque variis egebant, ut defendi possent, ipse quoque ulterius progreedi velit; atque ita deinceps ceteri; adeo ut nihil unquam stabile et uniforme futurum esse videatur.

Cum igitur per se notum sit, quanti res momenti censeri debeat et necessitas deprehendatur, videor mihi ex officio ad novam ad-huc efficacemque diligentiam adhibendam obligatus. Idcirco praeter ea, quae hic peragamus cum censoribus, quos et fortasse plures numero constituemus, opto ut in qualibet Provincia nostri doctores gravesque viri zelo hoc induantur pro eo desiderio, quo divinum honorem optant et Religionis nostrae bonum; et deposito respectu omni, attendant, non quid hic vel ille scriptor de Nostris ediderit, sed quid reueldii veri, non imaginarii esse possit, ut applicetur, qua parte sit opus. Ergo in sua provincia sex vel octo de gravioribus et doctioribus Patribus advocabit Reverentia Vestra, et hisce literis nostris communicatis oneret eorum conscientiam, ut serio cogitent de remedio; et postea praemissa oratione dicant et scripto tradant Reverentiae Vestrae. quod occurret, considerantes, quot universitates, genera studiorum et lectiones habeat p[re]a manibus nostra Societas, unde redundet in totam Ecclesiam, quidquid boni malique fiat in hac parte. Neque sat habeant, uti dicebam, quid citra errorem asseri queat; nam de hoc non agimus, et si quis forte, quod minime credimus, aberraret, remedia ordinaria in promptu sunt; sed quae-nam cautio in posterum necessaria et efficax sit.

Hac praemissa diligentia, Reverentia Vestra per Procuratorem judicia horum Patrum cum suo mittat ad nos, ut dispiciamus decernamusque, quod utilissimum Societati videatur; ut aliquid stabiiliatur ad majorem gloriam Dei, a quo precor uberem gratiam omnibus vobis.

LII.

R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES 14 DECEMBRIS 1613.

De observanda Ratione studiorum deque doctrina S. Thomae sequenda.

Multo jam abhinc tempore censuimus ob eas, quae 24 Maji 1611 a nobis sunt perscriptae rationes¹, peculiarem aliquam in soliditate

¹ Supra p. 207 sqq.

atque uniformitate doctrinæ habendam esse diligentiam; quando ea duo sunt capita adeo necessaria tantique ad Ecclesiae sanctæ obsequium et Societatis conservationem momenti, ut propterea magnopere illa ipsa commendata videamus a S. P. N. Ignatio, tertia et quarta parte Constitutionum. Eo factum est, ut commiserimus omnibus in Europa Provincialibus, ut coacto præcipuorum theologorum aliquo numero, diligenter expenderent, quid in eo rerum genere posset effici, tum sua ad nos judicia transmitterent; quod et præstiterunt. Iis ergo acceptis haud obscure perspeximus, nec sine multa animi nostri voluptate, omnes eodem collineare idque prorsus omnes expetere. Quamvis enim in proponendis mediis varia misceantur, in quibus nonnullae Provinciae discrepant, in multis tamen vel pleraque vel etiam omnes conveniunt. Sed eorum aliqua diuturniorem moram postularent, alia aegre ad proxim revocarentur, alia plus turbarum excitarent quam adjumenti conferrent, alia denique forent asperiora et Societati penitus insueta; cuiusmodi illud esset, professoribus ac revisoribus obedientiae præceptum imponere, eosve jurejurando adstringere, ut huic aut illi opinioni adhaereant vel aduersentur.

Quocirca, re tota Domino Deo commendata, pluribus adhibitis Sacrificiis et orationibus, mature deinde considerata ac demum cum Patribus Assistantibus consultata, hic unum tandem statuimus satis superque omnibus, quoad quidem res ferat, incommodis prospectum fore, si liber *de Ratione studiorum* accuratius deinceps observetur. Quo fit, ut majorem in modum velimus denuo inculcatum Provincialibus, ut exacte servent suas Regulas, quae in eo libro studiorum satis uberes ac perspicuae sunt, ex Regulis item proprii officii caput VI, quod est de literarum studiis; Rectoribus deinde, ut curae sit Regularum suarum observatio, praefectis studiorum pariter et professòribus superiorum facultatum, maxime vero theologiae scholasticae. Id enim si omnes studiose praestabunt, ex voto succident omnia, Christo juvante, percommode.

Et quidem quod ad doctrinæ soliditatem attinet, si unum *divum Thomam*, uti præscribitur canone 9 Congregationis quintae generalis, sequemur auctorem, securos nos ab hac parte reddemus; neque item longe ab *uniformitate* aberrabimus. Hanc enim utramque doctrinæ rationem, soliditatem scilicet atque uniformitatem, spectavit Congregatio generalis in decretis 41 et 56, unde canon ille desumptus est. Neque sane quidquam efficiet, qui dicat, non semper esse per-

spetam mentem sancti Thomae, cum revera decreto illo dubium omne tollatur. Nam si constet, aliquam opinionem adversari divo Thomae, nihil jam necesse est examinare, sit necne doctrina illa solida, quandoquidem eam sequi neutiquam debemus. Quod si certum erit, eam esse consentaneam sancto doctori, certa pariter erit utraque illa doctrinae ratio, quae petitur. At enim ubi dubium id foret, tum vero quia plerique thomistae, graves et antiqui doctores, id ipsum varie interpretantur, licebit una cum illis eam tueri opinionem, quam quis probabiliorem nec a mente sancti Thomae alienam putabit. Sed hoc loco praecavendum, et quidem serio, ne dum quis ad peculiarem aliquam doctrinam affectus eam similiter esse sancti doctoris persuadere studet, pauca quaedam verba in ejusdem doctoris operibus hinc inde sparsa quasi coagmentando ad proprium sensum contorqueat, sicque suam opinionem tamquam divi Thomae venditet. Quin potius inde eruenda sana doctrina verusque sensus, ubi sanctus Thomas ex professo id argumentum pertractat; non autem sicubi aliud disserens quippiam ea de re quasi per transennam strictim attigerit.

His itaque positis, nulla appareat necessitas conscribendi catalogum earum opinionum, quas ut probabiles aut non probabiles amplecti aut rejicere debeamus. Nam si unum sequemur auctorem, jam sic omnis praereuptus est labor. Neque inde coarctantur ingenia, sed solummodo coercentur. Possunt quippe auctoris sui doctrinam confirmare rationibus, latius proferre atque illustrare. Et sic vere magnus datur campus, in quo vestigiis probati auctoris insistendo possit nihilominus excurrere docentis industria. *Enimvero* quamvis quod subjicitur exemplum non usquequaque rei, de qua nunc agitur, respondeat, copia tamen et varietas sacrorum doctorum, qui tot in divinas literas commentarios; quasi tot pretiosarum rerum thesauros ediderunt, nec tantulum tamen de recta via deflexerunt, id quod intendimus, apposite satis videtur exprimere.

Ceterum putavere nonnulli, officere posse uniformitati doctrinae illam opinionum varietatem, quae in pluribus Societatis nostrae scriptoribus deprehenditur, si quisque liberum sibi esse credit, quemlibet sequi de Nostris, quando jam eorum libri cum facultate et approbatione Superiorum editi sunt in lucem. At hoc manifeste a nobis declaratum est, non ideo subsequentibus magistris aut scriptoribus licitum fore deinceps a divo Thoma recedere. Si qua enim opinio in libris impressis hactenus est permissa, quia proba-

bilis admodum et a doctis auctoribus propugnata, nam de dubiis antea dictum est, ea quidem a novitate, a temeritate, ab errore vindicabitur; at non inde conficitur, ut eam sequi debeant alii, si divo Thomae adversari cognoscetur.

Ad hoc igitur operae pretium fuerit, quotannis ipso studiorum initio coram magistris in hunc finem convocatis, perlegere scriptam a nobis epistolam de soliditate atque uniformitate doctrinae¹. Juverit quoque si Superiores Seminariorum, ubi philosophia et theologia docetur, illo ipso tempore habeant exhortationem, qua sedulo inculcent decretum de doctrina sancti Thomae, praxim item Ordinationum, quae vel a nobis prodierunt, vel in libro de *Ratione studiorum* praescriptae sunt, ut nihil per incuriam praetermittatur.

Illud autem in primis meminerint Provinciales, quod habet eorum Regula 9 in libro studiorum, nonnisi bene affectos erga sanctum Thomam et a novitatibus sive in theologia sive in philosophia alienos ad cathedras esse promovendos; eos vero, qui actu doceant, nisi ejusmodi sint, aut certe si adumbratas non solidas consequentur opiniones, libere a docendi munere repellendos et aliis applicandos Societatis ministeriis. Quicumque docuerint opiniones divo Thomae contrarias vel in rebus philosophicis novas suo marte adinvenerint aut ex obscuris auctoribus introduixerint, eas illi quamprimum retractare jubeantur; neque anni aut curriculi finis exspectetur. Nam praterquam quod malum temporis diuturnitate inveterascit vel etiam augetur, ipsi quoque Scholastici, quibus totó anno contrarium nihil declaratum fuerit, in ea novitate confirmantur. Neque vero praefecti legitimam ullam habent ignorantiae excusationem, quando id illis, ne officio desint, incumbit serio, quod et multiplice ratione possunt: 1. Si juxta officii Regulam 17 audient aliquando praeceptrores; 2. si repetitionibus identidem intererunt disputationibusque publicis et domesticis; 3. si discipulos interrogabunt et commentarios ab iisdem exceptos interdum recognoscent. Quam ad rem si diligentiam conferent, non poterunt certe non resciri, qui committentur errores.

Tum autem excitanda erit animadversio, adhibitis poenitentiis, publicis reprehensionibus vel privatis, series tamen admonitionibus, injuncta etiam sententiae retractatione; ut intelligatur agi serio, non perfunctorie, idque negotium a Societate et Superiori-

¹ Vide supra 207 sqq.

bus vehementer urgeri, utpote quod ad finem Societatis, ad Ecclesiae bonum divinumque obsequium majoris sit momenti quam credi possit. Atque hinc fit, ut praefectos oporteat habenas adducere potius quam remittere. Sed enim si quod dubium incideret, aut vellet magister suam pertinacius opinionem tueri, tum quidem praefectus et Rector, ut majori cum auctoritate atque suavitate procedatur, simul ea de re consultabunt eandemque tradent accuratius examinandam aliis doctoribus e Nostris; post haec magistro injungent, ut acquiescat seque regi sinat, quandoquidem scholas habemus, divinae ut Majestati placeamus, cui si quid praeter obedientiae voluntatem offeratur, acceptum esse nequaquam potest. Cavendum perinde, ne collegarum alter alterum perstringat aut impugnet. Si cubi tamen inter se dissidebunt, quod paucis omnino in rebus necesse est contingat, si unum sequemur auctorem, tum vero honorifice et ea qua par est modestia accipere se invicem meminerint.

Cum Provincialis visitationem instituit, haec studiose disquirat aptumque et efficax remedium admoveat, quibusvis, ut dictum est, a schola submotis, qui se ad nutum Congregationis generalis mentemque nostram minime accommodarent, quin et ipsius S. P. N. Ignatii, qui soliditatem hanc et uniformitatem doctrinae tantopere commendavit. Sed insuper videat Provincialis diligenter, et efficiat, ut opiniones, quae docentur in philosophia, theologiae subserviant, nostrique philosophi unum sequantur auctorem, ubicumque illius doctrina nihil a catholica veritate dissidebit.

Jam vero in materiis a divo Thoma non pertractatis, in quibus propterea quae sit ipsius opinio sciri non potest, observare primum oportebit quaenam ex ejusdem principiis et a reliqua sua doctrina minime abhorrens elici queat. Quamvis enim de ea ipse non disseruerit, si tamen ipsius principiis adversatur neque cum ejusdem doctrina cohaeret, ea doceri nusquam debet. Quod si ne quidem hoc liceret animadvertere, non tamen ideo liberum cuivis erit, novam excogitare suo arbitratu aut proferre doctrinam, nisi graves et probati exstent auctores, quibus ea firmetur. Neque enim fas esse credimus, via non trita proprio duci sensu, qui saepe numero aberrandi atque in praeeceps ruendi habet occasionem. Studiorum praefecti deligantur, qui erga doctrinam sancti hujus doctoris maxime sint affecti, quos eosdem simul esse professores multas ob causas non expedit.

Si quis e Nostris post librorum emendationem juxta censuras

revisorum aliquid sine facultate addiderit, severe puniatur. Istud enim est in re gravis momenti Societati imponere.

Hoc denique superest dignum animadversione, miserandum scilicet in modum ingenia confundi et doctrinae soliditatem infirmari, ex eo quod nonnulli interdum magistri adeo sint problematici, ut quamlibet opinionem tamquam probabilem asserant. Sic nempe usuvenit, ut Scholastici nihil usquam certi habeant, in quo consistant. Magistri proinde solidiorum sententiarum, quas asserturi sint, praecautum ubique delectum adhibebunt.

Sed quoniam e praecipuis capitibus ad doctrinam spectantibus illud unum est, quod attingit materiam de gratia, et in quo maxime cupimus uniformitatem Nostris esse commendatam, propterea decretum fecimus, quod his literis adjunctum videbit Reverentia Vesta, ut illud mandato nostro significandum curet magistris omnibus ac theologiae professoribus parique studio ubique servandum.

Atque haec sunt, quae ut accurate observari nostra plurimum interest, ita Reverentiae Vestrae maximopere velim esse commendata.

DECRETUM

De uniformitate doctrinae, praesertim de gratiae efficacitate.

Cum vel ad eam, quae in Constitutionibus¹ tantopere commendatur, animorum conjunctionem, et uniformitatem soliditatemque doctrinae, vel ad bonam Societatis apud externos existimationem plurimum referat, in rebus praesertim gravioribus, Nostris, quantum fieri potest, occasiones praescindere novas subinde opiniones excogitandi, re diu multumque cum Patribus Assistantibus considerata ac Domino diligentissime commendata, visum est nobis serio statuendum graviterque mandandum; quod praesentibus pro officii nostri auctoritate et obligatione statuimus et mandamus, ut in tradenda divinae gratiae efficacitate Nostri eam opinionem sequantur sive in libris, sive in lectionibus ac publicis disputationibus, quae a plerisque Societatis nostrae scriptoribus tradita atque in controversia de auxiliis divinae gratiae, coram summis Pontificibus piae mem. Clemente VIII et SSmo Domino nostro Paulo V, tamquam magis consentanea sanctis Augustino et Thome gravissimorum Patrum judicio explicata et defensa est. Nostri in posterum

¹ Parte tertia, c. I, n. 18.

omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum re ipsa habet atque efficax dicitur, et eam, quam sufficientem nominant, non tantum discriminem esse in actu secundo; quia una, ex usu liberi arbitrii illam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo; quod, posita scientia conditionalium, et efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci quam in sufficienti gratia et in actu primo contineri. Atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa faciamus, non tantum, quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum de perseverantia, quae procul dubio donum Dei est.

LIII.

R. P. N. MUTII VITELLESCHI
EPISTOLA AD PROVINCIALES 8 OCTOBRIS 1631.

De proba juventutis institutione.

Non est dubium quin juventutis proba institutio sit praecipuum inter adjumenta, quae divina Providentia Societati concessit ad bonos mores in communem hominum vitam inducendos. Qui character et honoratum velut insigne tam proprium jam est nostrae familiae, ut non modo nos ab aliis Religionibus separet et distinguat, verum etiam illustrem nominis famam et opinionem conciliet fere apud omnes christianos Principes, qui ea causa non mediocri studio et benevolentia nos in ditiones suas evocaverunt, idque non minore Dei gloria quam nostri Ordinis incremento accidisse viderimus.

Tam laetus hic progressus, ut non vulgarem mihi semper animi consolationem attulit, ita me modo conjicit in timorem, ne labatur in pudendam et inertem securitatem, quae sensim sine sensu, teredinis malae instar, parta jam bona vitiet et corrodat. Ego quidem pro certo habeo, si quando Societas nostra a praeclera illa opinione excideret, quam tam multis in provinciis et populis consecuta est, id non alia ratione eventurum, quam si iisdem vestigiis pessum eat, quibus cum divina gratia ad eam existimationem per-

venit quam videmus. Augetur vero mihi metus, quod nonnullae ad me querelae deferuntur, dicique audio, nostrum hunc zelum animique ardorem in tenera aetate bonis moribus et doctrinis informanda in dies imminui; sive tempus id afferat, quod calorem omnem opprimat, nisi novo igne sustentetur, sive nonnullis praeter omnem rationem illa incidat cogitatio, opus illud esse nimis humile, leve et laboriosum, quod nostri primi Patres, tam praestantes religiosa pietate, prudentia et doctrina, non inferius quibuslibet aliis ministeriis duxerunt. Quare cum nolim, ut vel tenuissimum tam ingentis incommodi semen sparsum fuisse videatur, aut civitatibus, a quibus tanta fiducia et amore acciti fuimus, data occasio querendi de nobis, quod minus illis satisfaciamus officioque nostro, constitui communicare paucis cum Reverentia Vestra sensum animi mei, quo maximopere desidero, ut si quod forte in ista Provincia sit in eo genere, quod remedio indigeat, (quod volo mihi persuadere non esse) id pro ea fidelitate et amore, quem tam bonae debet matri, quam promissime et efficacissime adhibeat, prout malum postulare videbitur.

Et nunc quidem mihi nonnulla in mentem veniunt, quae duxi proponenda et majori quo possum affectu commendanda, ut deinceps constantissima diligentia observentur, exonerando etiam aliqua ratione conscientiam meam in multam Reverentiae Vestrae caritatem et vigorem in urgenda disciplina.

Atque in primis, quoniam internus animi cultus velut princeps rota esse debet, qua sacra haec machina movetur, omni studio providendum est, ut scholae et Seminaria adolescentium a confessionibus habeant eos, qui optimi sint exempli et zelo sancto ferantur, easque dotes habeant a natura animique inductione, ut tenerae aetati excolendae bene et utiliter vacare possint, demittendo se religiosa patientia et materna caritate ad laudabile illud opus; sic ut contenti non sint eo labore, quo semel in mense confessiones illorum excipiunt, verum et saepius cum illis agant, sensim instillando certa principia timoris Dei, ut lac divinum, quod totum in vivum sanguinem et piae vitae succum verti solet. Nam, ut dicit Clemens Alexandrinus, pueritia ipsa est uber aetatis; et ab eodem ipso lacte totius vitae bona vel mala temperatio dependet¹. Hujusmodi autem homines, si quando reperientur, magno in pretio habendi sunt et liberandi a quocumque alio exercitio, ut in hoc unum possint inten-

¹ Cf. Clementis Alex. « Paedagogum », l. I, c. 6; M. P. g. VIII, 291 sqq.

dere. Contra vero perniciosum esset communi bono, si Superiores, ut satisfiat alicui nec zelo praedito, neque satis in ministerium illud affecto, vacuo potius loco implendo, quam officio recte obeundo prvidisse viderentur.

Par diligentia adhibenda est in conservandis Congregationibus et providendis hominibus, qui illis honori et utilitati esse possint, excitando in commune omnes et devotionem promovendo, quantum fieri poterit, ut primaevus vigor ille retineatur Congregationum, cum fuere velut purum et sincerum pietatis fermentum a Regina virginum in massam illorum adolescentium immissum¹, quo mirabilius illa temperabatur et crescebat in benedictiones infinitas². Et sine dubio non obscura esset illa fraus vanitasque, si contempto praecipuo scholarum firmamento, cadere deinde illas atque abjici non sine dolore videremus. Quare commendo Reverentiae Vestrae, quanto possum affectu maximo, coetus illos et vehementer hortor, ut in officiorum distributione prima sit hujus cura; ut non cuilibet, qui forte postremus in ministeriis obeundis et rejectaneus videatur, committatur illud, sed omnium optimis, qui paeclare sustinere illud possint; adeo ut ista occupatio omnibus aliis, si necesse fuerit, et studiis quoque ipsis anteponatur. Sibi alioquin persuadeat, fore ut ea ratione omnibus satisfiat, qui, ut decet, existimabunt religiosis hominibus eam curam esse maxime honoratam, e qua plus honoris in Dominum redundat, cui tanta gratiarum mercede et donorum coelestium fructu serviunt.

Habeatur cura, ut boni et periti sint magistri scholarum, non qui, ut paucos illos annos posuisse in docendo videantur, alia omnia faciunt quae munus postulat, sed qui serio et omnibus animi viribus elaborent in promovendis suis discipulis, tam in iis quae ad doctrinam quam quae ad bonos mores pertinent. Quibus erit curandum, ut praeter doctrinam christianam, quae tam propria est Instituti nostri, saepe etiam exhortationes pro captu illorum habeant, non quibus ad inanem ostentationem peregrinos conceptus venentur, sed affectus potius solidos amoremque erga ea, quae Dei sunt, odiumque peccatorum imprimere in animis conentur. Juvabit etiam plurimum, si cum suis auditoribus subinde tractent et loquantur, non de vanis rumoribus saeculi aliisque negotiis, quae minus ad

¹ Cf. Matth. XIII, 33; Luc. XIII, 20 sq.

² Cf. Gen. XIV, 60.

rem pertineant, sed quae maxime ad eorum bonum et institutionem faciant, descendendo ad singularia, quibus indigere magis videbuntur, et familiarius exponendo, quonam modo se in studiis et pietate gerere debeant. Sibi autem in animum inducant, privatum sermonem vel unicum, vero zelo et dicentis prudentia instructum, cor magis penetrare et potentius operari, quam multas lectiones et conciones in commune factas. Unde necesse est, ut praeceptrores sint vigilantes et in officium suum intendant; qui si quando imbecilliores deprehenderentur, quam ut oneri ferendo sint pares, omni genere caritatis sublevandi erunt. Enimvero si impatientes se praeberent et necessaria adjumenta recusarent, quibus fierent ad munus idonei, omnino a docendo removeantur, tametsi medium tantum annum attigissent, cum sit aequius et expeditat magis, ut unus verecundetur, quam ut noceatur plurimis.

Hoc autem vitabitur incommodum, si magna industria adhibeatur, ut par est, in magistris quam optimis informandis, qui deinde e tam sancto exercitio fructum capere possint, in quo nemo quamlibet ob causam occupari debebit, sive ob inopiam personarum, vel supplendae alterius absentiae necessitatem, de quo certum non sit esse idoneum. Confidant autem et spem magnam ponant Superiores in divina bonitate et providentia, fore ut, nonnullo adhibito labore et diligentia in quaerendo, aptos et opportunos inventuri sint ad praestandum illud quod quaeritur. Ego certe tam singularem habeo fiduciam in gratia beneficioque vocationis nostrae, ut in ea difficultate non defuturos putem sacerdotes, qui invitati ultro et sponte maxima se offerant, magno desiderio gratissimam rem faciendi divinae sua Majestati, aliorum Patrum imitatione, qui, cum essent et religiosa vita et doctrina insignes, superioribus annis magno suo merito et Dei gloria aetatem omnem suam dedicaverunt ad pueros parvos in infimis scholis erudiendos. Quod cum in usu sit etiamnum in quibusdam Provinciis, esset omnino ad Societatis magnas opportunitates et commune bonum, si earum imitatione in alias quoque illud ipsum induceretur. Ad instituendos vero formandosque bonos magistros proderit multum, quod etiam commendatum esse cupio Reverentiae Vestrae, ut nostri juvenes non addicantur audiendae philosophiae, nisi probe fundamenta humaniorum literarum percepient, e quibus educi non debebunt, quin minimum annos duos in eloquentiae schola posuerint, ultra illud tempus, quod grammaticae repetendae, si foret opus, tribuissent.

Ad extremum supra omnia desidero, ut Nostri omnes, et illi prae-
cipue qui tractant aut in oculis sunt saecularis juventutis, sint ejus-
modi, qui in omnibus actionibus suis bono exemplo sint. In quo
magna provisione laborandum erit, ut non casu, sed exquisito dele-
ctu his aut illis ejus cura committatur, nec permittendum, ut alii,
ad quos ea cura non pertinet, cum eadem juventute versentur, ne
quod aedificat unus alter destruat. Certum autem est, nullam esse
exhortationem tantarum virium et efficientiae, nullam machinam
tam potentem ad aliorum voluntates ad virtutem allicendas, quam
virtutem ipsam in oculis positam, quam animadvertiscant omnes in
aliquo et mirentur. Sed nescio quonam modo eveniat, ut vim majo-
rem et insigne robur habeat modestia ad ingenerandos vivos sensus
motusque coelestes in eorum pectoribus, a quibus fuerit animad-
versa, in incendendas voluntates ad eandem in se quoque expri-
mendam. Nam lumen illud *dirini vultus*, quando *signatum est*¹ in
*fronte servorum Dei*² et splendidius lucet, mirabilem vim habet ad
reflectendos radios suos atque in iis imprimendos, a quibus cerni-
tur. Atque ut fida est custos bonorum omnium, satis intelligitur.
quanto in pretio habenda, quamque impense commendata omnibus
esse debeat, cum vel solo ipso aspectu et exemplo suo quisque possit
facile eandem in alios derivare. Hoc sane constat, fuisse multos,
qui solam ipsam cum in Nostris animadvertisserint, potenti quadam
vi inducti fuerunt ad mundum relinquendum, ut agrum illum
emerent, in quo videbant angelicum hunc thesaurum paradisi re-
conditum³. Quod si verum est, ut in confesso est apud omnes, nul-
lum esse modum efficaciem ad docendum quam opere ipso praeire,
quantos fructus in discipulis suis faciet ille praceptor, cuius, ut
ait sanctus Hieronymus de Eustochio (et ego omni affectu cupio,
ut dici vere possit de unoquoque nostrum), *cujus et sermo, et in-*
*cessus, et habitus doctrina virtutum est*⁴.

Atque haec sunt capita, quae nunc quidem mihi in Domino vi-
debantur proponenda Reverentiae Vestrae, ut omni studio et dili-
gentia procuret in Provincia sua illa observari. Quibus adjungo, fa-
ciendum ipsi esse, ut nos subinde moneat, quonam modo se habeant
ac vigeant et observentur, vel quidpiam sit, quod instaurandum et

¹ Ps. IV, 7.

² Apoc. VII, 3.

³ Matth. XIII, 44.

⁴ Epist. 107 ad Laetam, n. 13; M. P. I. XXII, 877.

excitandum videatur. Et cum visitabit Collegia, debebit etiam inter alia de his ipsis capitibus ad me scribere, ut exacte rerum statum intelligam. Nam mihi quidem magno esset dolori, si cum tam pulchram et pretiosam auri massam effingendam et expoliendam habeamus, dum tenera adhuc est et in omnem partem flexibilis, culpa nostra exiret e manibus non cum illa forma pulchra et vi-senda, quam ut illi communicaremus et professio nostra et Dei gloria et hominum spes atque exspectatio postulabat. Sic omnino estimare et persuadere nobis debemus, quantum justae perfectionis defuturum est adolescentibus, id totum communis hominum judicio tributum iri culpae nostrae, qui eorum educationi praepositi fui-mus; cum haec sit vetus opinio non natura modo nixa et fundata, verum etiam experientia, educationem et culturam, quando ejus-modi est, qualem esse decet, esse, ut ita loquar, omnipotentem et consequi omnia. *Cana nemora, inquit Ennodius, baccis plurimis cultura locupletat. India multo sudore, quo se jactat, ebenum nutrit. Sabaei virga cespitis manu cessante non proficit. Industria fecit, quod paestanas rosas dumeta pepererunt, quas de spinis ceu terrae sidera labor exigit.* Adjungit paulo post: *Talis est natura mortalium: rite comparantur arbustis rudimenta parvolorum*¹.

Quamobrem concludo obtestando Reverentiam Vestram, ut omnes suos ad honestissimum hoc opus animet et inflammet, in quo religioso ardore atque digno illa haereditate, quam majores nostri nobis reliquerunt, industriam laboremque ponant in educanda et informanda hac fragili planta; et ut filii sanctae et efficacis flam-mae Ignatii tamquam scintillae in arundinetu discurrant². Siquidem una ex parte silva e cannis vere debilibus atque levissimis et agitatis undique a vento est juventus, quam instituimus, et proinde opus habet spiritali foco et devotione, quo solidior sit et confirmetur; ex altera vero parte nullum in posterum est futurum tempus com-modius atque opportunius ad beatissimas has flamas in ea semi-nandas, quam cum tenera est, juxta illud Ecclesiasticae³: *In matutino semina semen tuum;* quod S. Hieronymus interpretatur: *in adolescentia*⁴. Et quoniam saepe videmus bonam educationem, ut rorem, primo calore juventutis exarescere et deperdi, eo majori con-

¹ Dictio VIII; M. P. l. LXIII, 278.

² Sap. III, 7.

³ Ecclesiastes XI, 6.

⁴ Comment. in Ecclesiasten; M. P. l. XXIII, 1103

tentione elaborandum est illis, quorum fuit curae commissa, in excolendis adolescentium animis, ut delicatissimis et tenerimis plantis, quibus privatae familiae et urbes et provinciae et regna propagari debent et conservari. Itaque faciendum est Nostris, quod artifex bonus et peritus solet, qui non tam materiam intuetur rudem et asperam, quam in manibus habet, quam efformandam ex illa statuam et hominum laudem ac gloriam, quam ex opere exspectat. Sic omnino, si mentis oculos intendamus non tam in pueros parvos, quos modo erudimus atque excolimus, quam in praelatos venerandos, in principes et gubernatores provinciarum ac familiarum, quales futuri sunt aliquando; si praeterea intendamus in honorem sane magnum, qui redundabit in Deum, totius operae nostrae auctorem ac ducem, non dubito quin omni studio et contentione in opus incumbamus, fructum ex eo reportaturi, quod et jubet Deus, et homines a nobis jamdiu certa spe freti petunt et exspectant.

LIV.

R. P. N. IGNATII VICECOMITIS
EPISTOLA AD PROVINCIALES 17 JULII 1752.

De studiis humaniorum litterarum promovendis.

Quantum Societas semper fecerit literas humaniores, quo nomine intelligi praesertim volo latinam linguam ac graecam, tum oratoriam artem atque poeticam, haud obscure colligitur ex nostris Congregationibus generalibus, ubicunque de hoc arguento sermonem intulerunt. Inter decreta Congregationis generalis septimae decreto 26 haec legere est: *Literarum humaniorum studium, quod cum Societate longe lateque magno reipublicae christianaem emolumento crevit, tamquam rem unam e maxime optatis, et quae saluti plurimorum commodissima est, quo potest Congregatio Superioribus omnibus affectu censuit commendandum.* Congregatio eadem decreto 92 censuit monendos Superiorum esse, ut majoribus animis conatuque in hanc rem incumberent, quo plus fructus, utilitatis gloriaeque Dei ex hoc tam Societati proprio literarum studio merito sperari potest. Congregatio decima quarta ita loquitur decr. 10: *Ne unquam apud nos langueret studium literarum humaniorum, quod tanta cum laude hucusque coluit Societas, cuique debet tum*

Collegia quamplurima, tum non exiguum nominis existimationem, tum fructum animarum, dum hujus disciplinae tradendae occasione, pietate ac bonis moribus juventus instituitur. Mitto plura ejusdem generis testimonia; non enim video, quid ad commendationem istarum literarum dici amplius possit, quam cum profitetur Societas, debere se iis collegia quamplurima, existimationem non exiguum nominis sui et, quod caput est, fructum animarum, cuius potissimum rei causa a beato Patre nostro Ignatio scholae hujus generis institutae ac nobis majorem in modum commendatae fuerunt¹. Unum addi posset fortasse: Si qua rē hactenus *minima haec Societas*² inter alias religiosas familias eminuit, his maxime literis eminuisse. Ex quo licet existimare, quanta a nobis ope studioque connitendum sit, ne quo unquam tempore tam insigni orname-
ntamento et quasi Ordinis nostri praerogativa careamus.

Multum interest in primis, ut scholae, quas inferiores dicimus, quanta fieri potest maxima diligentia administrentur. Id enim a nobis postulant civitates, quae ob hanc maxime causam nobis collegia condiderunt suamque nobis juventutem in disciplinam tradiderunt. At si fuit haec semper diligentia adhibenda, multo magis necessaria est hoc tempore, cum et gustus literarum vulgo acrior et exquisitor est, et istiusmodi scholarum numerus crevit in tantum, ut nostrae minus jam necessariae videantur. Namque, ut hoc non dissimulem, perdiu latinitatis scholae praeter nostras fuerunt prope nullae aut certe admodum paucae, ut cogerentur parentes suos ad nos liberos mittere vel inviti. Nunc vero multis in locis multae sunt certantque cum nostris; ac periculum est, ne, dum istae sensim invalescent, nostrarum paulatim frequentia concidat et fama sene-
scat. Huic ergo periculo mature est occurrentum, neque tamen vanis odiosisque contentionibus, quae plerumque nocent magis quam prosint, occurrentum, sed tacita aemulatione, sed laboris industriae-
que magnitudine usitata majori. Ita instituendi adolescentes, ut neque justo longius detineantur in scholis, neque educantur iis, nisi literis politioribus plus quam mediocriter tincti. Id agendum omnino, ut non boni tantum nostri magistri sint, sed optimi, sed ceteris, si fieri possit, meliores. Haec si persuasio communis et vera sit, nobis etiam tacentibus, sua constabit nostris gymnasiis di-

¹ Const. parte quarta, c. VII, n. 1 sq.

² Const. Prooem., n. 1; parte septima, c. IV, n. 3; Summ. Const., n. 1.

gnitas et frequentia; neque magnopere nobis verendum erit, ne discipuli ad alios ludimastros deficiant. Quidquid praeterea suscipiatur, frustra erit.

Scio equidem, multis in Provinciis neque relanguisse, Deo propitio, haec studia, neque nostris scholis quidquam de splendore frequentiaque pristina deperiisse; scio, inquam, ac porro gaudeo. Utrum idem accidat in ista Provincia, nemo scire certius debet Reverentia Vestra, cui Collegia singula adeunti hanc puto curam esse praecipuam, ut agnoscat de statu scholarum inferiorum videatque, quo discipulorum concursu celebrentur, qui progressus fiat in literis, quae progressus exhibeantur documenta, quantum denique magistri habeant solertiae atque doctrinae. At ne putet, suo se muneri satisfecisse, cum haec quoquo modo cognoverit. Malo, si quod erit, mederi studeat in tempore sibique persuadeat agi rem momenti longe gravissimi, quaeque Praesidum vigilantiam omnem ac sollicitudinem postulat. Meum non est praescribere singula, quae pro loco ac tempore usus poscit; haec enim quisque Provincialium praescribere per sese ac cum suis Consultoribus deliberare commodius potest. Quaedam indicabo tamen generatim, quae si accurate, uti spero, serventur, illa existimatio, quam nobis sane maximam hoc literarum genus et scholarum inferiorum procuratio peperit, integra ad posteros transmittetur:

Primum est, ut literae humaniores in vero honore habeantur; earum autem professores ne cogantur mero sterilique plausu, ut plurimum usuvenit, esse contenti. Id ideo moneo, quia vidi nonnumquam gravissimos etiam Patres doctissimosque in honorum distributione negligi, ea tantum causa, quod rhetoricam tradiderint eoque inferioris subsellii magistris accenseri dicerentur. Delenda est haec ex Nostrorum mentibus opinio. *Efficendum*, ut omnes intelligent, etiamsi scholarum inferiorum administratio committi junioribus soleat, non proinde juvenile ministerium esse, sed pari apud nos loco haberri praestantes rhetores atque aliarum facultatum professores. Id a Praepositis Generalibus, decessoribus meis, declaratum saepe est. Sed quo certius persuadeatur, nam factis moverunt homines magis quam verbis, si quis erit intra Provinciam sacerdos, qui munus istud laboriosissimum per plures continenter annos gesserit in eoque famam adeptus sit, curabit Reverentia Vestra, ut sit tamquam de Provincia optime meritus, quaecumque

Patrum graviorum sunt, consequatur atque ad illustriores etiam praefecturas, si ceteroquin idoneus sit, promoveatur.

Secundum. Nostris junioribus, qui statim post exactum Tirocinium rhetoricae operantur, praeceptores dentur aptissimi, qui non solum in hac facultate emineant ipsi insigniter, verum eam tradere aliis ac complanare sciant. Eos sane decet praestantis esse ingenii atque horum studiorum experientissimos. Non enim bonos tantum discipulos, sed etiam bonos magistros efficere debent. Recti praesertim judicii praeceptor sit. Demonstret discipulis meliora, ac, ne qua forte barbaries teneris mentibus inolescat, iis antiquos tantum ac probatissimos scriptores ad imitandum proponat. Scriptores aevi inferioris, si boni sint et ad auream Augusti aetatem proxime accedant, permitti iis possunt privato interdum studio percurrendi. Deteriores vero ac semibarbari ab eorum manibus penitus removeantur. Super omnia servetur, quantum fieri potest, mos Societatis, ut rhetoricae biennium integrum tribuatur; nihil de hoc spatio, nisi si cogat necessitas, decerpatur.

Tertium. In designatione scholarum inferiorum habeatur praecipua ratio ingenii, scientiae ac facultatis, quam quisque ad pueros erudiendos afferre posse videatur. Hujus consilii causa duplex: Primo, ut scholis ipsis melius sit, quippe proportione servata inter onera et vires; deinde ne subtrahatur nostrae juventuti incitamentum ad laborem; quod quidem erit haud leve, si scholae honorarios praemia velut sint laboris indiciaque solertiae atque doctrinae.

Quartum. Magistris, quae sunt necessaria tum ad discendum, tum ad docendum, opportune provideantur; libri praesertim, quibus in coemendis Rectores numquam male collocatam putabunt pecuniam Collegiorum suorum. Praemia inter discipulos dividenda Rector suppeditet. Idem, si publica literarum exercitatio facienda, si recitanda oratio, si dandum populo drama, quibus in rebus apparatum adhiberi aliquem necesse est, sumptum libenter faciat; neque patiatur ullo modo, ut magister praeter lucubrationum laborem pecuniam etiam multo labore conquirere cogatur. Ejusmodi porro fieri exercitationes identidem multum interest, tum ad specimen scientiae, tum ut scholis existimatio accrescat. Iis semper intersit cum reliquis Collegii Patribus Rector, non tam ut concessum praesentia sua cohonestet, quam ut testis virtutis laudatorque sit.

Quintum. Aliac ab instituto curae magistris ne imponantur. Satis enim ferunt oneris, si tantum suo non desint ministerio; neque

multum habent vacui temporis, quod aliis rebus impendant. Sublevandus potius eorum labor, quem esse per se improbum ac vix tolerabilem constat; ne nimia contentione fatiscant vires, ac valetudo atteratur. Solatia proinde quaedam iis remissionesque animi per intervalla temporum sunt indulgenda. Benignius agendum cum solertioribus; remissiores contra modis omnibus exstimplandi ad laborem et ad officium incitandi.

Sextum. Nullius denique arbitrio permittatur, ut scholam quo velit modo contineat. Advigilet Rector vel Praefectus studiorum, suam ut quisque regat scholam ad normam libelli, qui *de Ratione studiorum* inscribitur; ejusque praescripto scholasticas exercitaciones officiaque, quoad fieri possit, temperent sic, ut scholarum nostrarum quam simillima ubique forma sit, eaque mutatis etiam magistris non mutetur. Ad hoc etiam multum conferre potest libellus alter *de ratione discendi et docendi*¹, quem jussu Congregationis decimae quartae P. Juvencius scripsit; atque optandum esset, ut singulis magistris traderetur. Super omnia, cum Reverentia Vestra Provinciam ex officio lustrabit, de statu scholarum inferiorum cognoscere diligenter curet de eoque nominatim ad me perscribat.

Praesentes literas cum omnibus ad quos pertinet communicabit quamprimum; atque earum exempla apud studiorum praefectum servari curet Reverentia Vestra.

LV.

R. P. N. ALOYSII CENTURIONI

EPISTOLA AD PROVINCIALES 9 AUGUSTI 1756.

De studio et examinibus theologiae moralis.

Jam inde cum beatus Pater Ignatius ad religionis molitionem appulit animum, in qua apostolici plane homines efficerentur, qui animi ardore et disciplinis optimis imbuti toti terrarum orbi facem praferrent clarissimam eundemque mirifice incenderent, ostendit, quantopere desideraret, ut omnes ejusdem Societatis alumni, quo tanto fini aptiores forent, perfectam cognitionem omnium scientiarum vitae sanctimoniae adjungerent. Sane cum prima adhuc hujus Religionis lineamenta expressit, quae deinceps Pontifici maximo suppliciter obtulit, aperte declaravit, neminem quatuor solemnia

¹ Florentiae 1703.

vota persoluturum, qui per diuturnum tempus tum eximiae morum innocentiae, tum summae doctrinae luculenta exempla non praebuerit; quia *revera hoc Institutum... in christiana vitae puritate ac literis conspicuos exigit*¹. Hoc proinde consilio inter totius Instituti rationem fusius explicandam ordinandamque tot studiorum incitamenta addidit, quo eos ad studendum urgeret, ac tot admicula in Constitutionum parte quarta ad profectum accommodatissima exhibuit, ut facile cuique sit conjicere, Ignatium a suis alumnis non circumforaneam quandam et levem, sed absolutam cumulataque literarum scientiam expostulare.

Quod si omni doctrinarum genere Societatis homines praestantes exquirit, quantum profecto in moralis theologiae studio eximios eos esse velit, promptum est intelligere. Quamobrem in parte quarta Constitutionum, cap. V, eam de studiis legem praescripsit sancivitque: *Cum doctrinae, quae in hac Societate addiscitur, hic scopus sit, suis et proximorum animis, Dei favore adspirante, prodesse; haec erit in universum et in particularibus personis mensura, ex qua, quibus facultatibus addiscendis Nostri incumbere, et quoisque in eis progredi debeant, statuatur; illis videlicet facultatibus impensiore studio et accuratiore diligentia intendendum magisque proficiendum, quibus proximius, frequentius et communius salus animalium, qui noster est finis, attingitur. Siquidem non omnes e Societate eo dumtaxat munere impliciti tenentur, ut scientias tradant, ut concionentur aut apud idololatras excurrant aut cum haereticis pugnent; quare medicoris in arte eloquentiae ceterisque superioribus facultatibus profectus ideo Societatis homines dedecret, quia in ejusmodi obeundis officiis Religio illis uti non posset; atque adeo spiritalem aliorum profectum negative, ut loquimur, impedirent, quando nullum ex eis fructum referre liceret. Verum cum nullum sit inter nos munus, in quo non omni conatu ad salutem proximorum incumbere², et qua monendo, qua docendo, qua hortando pro sua quisque parte ad optatum aeternae salutis exitum eos perdere debeamus; hinc moralis theologiae imperitia Societatis hominem dedecet non modo propter finem sibi propositum, verum etiam ex eo, quod omnibus cujusque ordinis aut dignitatis hominibus singulare damnum afferret; neque hoc negative solummodo, quatenus*

¹ Formula Instituti in Bulla Pauli III et Julii III; Inst. I (Florentiae 1892), 6, 26.

² Exam., c. I, n. 2; Summ. Const., n. 2.

proximis adjuvandis quis est ineptus, sed *positive*, quandoquidem cum sacerdotibus omnibus Societatis commune sit confessiones excipere, si necessaria careant scientia, et se in periculum errandi ipsi conjicerent, et eos qui ad illos configuiunt, ut auxilia ad salutem excipient, facile in erroris viam deducerent, plane ac si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadent¹.

Illud vero animadvertisendum est, nonnisi perraro homines ad nos configere, ut illis reconditas quasdam dubitationes sive philosophiae, sive matheseos, sive etiam scholasticae theologiae expediamus; plerique autem saepissime de rebus morum nos consulunt. Hinc nulla facultas aequa nobis est necessaria, ut contra nullius rei ignoratio est magis deflenda et potest esse nocentior.

Quae cum ita sint, satis ut arbitror intelligi potest, nullam curam mihi esse potiorem quam ut ejusmodi scientiae studium nunquam inter nos segniter obeat, quo majores nostri tantopere exornarunt Societatem tamque uberes animarum fructus reportarunt. Neque alia de causa Provincialibus omnibus in 57 eorum Regula illud etiam atque etiam commissum est, *ut in singulis Domibus et Collegiis aliquem constituant, qui in casibus conscientiae bene versatus sit, ut difficultatibus domi et foris occurrentibus satisfacere possit*; nisi quia Civitates et Praesules non admodum solliciti de iis, qui cum dignitate ceteras scientias edoceant, doctores theologiae moralis prae ceteris suspiciunt, sique eximios habeant, eos plurimi faciunt, tenent seque suasque dioeceses eis fidenter committunt. Scio equidem, propter hanc maxime causam non facile posse harum rerum studium imminui inter nos atque languescere. Verum, quandoquidem, qui plurimum diligit, is et maxime timet, non erit inopportunum huic tanto vel remotissimo occurrisse.

Jam vero cum saepe ipse mecum animo revolverem, unde tam perniciosa inter nos ignoratio posset existere, ea plane visa est veleti radix. Si videlicet qui ab humaniorum literarum exercitio ad scholasticae theologiae studium traducuntur, non continuo moralem theogiam pari studio complectentur, rati nimirum, a se, ut sacris Ordinibus promoveantur, tantam ejusdem notitiam non exigi, aut se facilius aliquando illam consecuturos existimantes, opportuiores annos contererent; atque his consumptis, quis est qui damna ejusmodi resarcienda putet, cum plerique scilicet in graviores cu-

¹ Matth. XV, 14; cf. Luc. VI, 39.

ras distenti, quae plurimum tum contentionis, tum etiam temporis expostulabunt, molestiam perferre vix poterunt, quae necessario exhaurienda est, ut cujusque artis vel scientiae rudimenta ediscantur? Pertimescendum sane, ne, studiis jam absolutis, reliquum vitae etiam non bene firmis moralis theologiae fundamentis transigere cogantur. Quae autem desidia non magna initio videbatur, eadem profecto calamitosam et gravem pariet ruinam. *Parvus error in principio maximus est in fine*¹; etenim, ut bene Suarez hic advertit, qui in studiis negligens est, postea inutile instrumentum erit circa conversionem animarum; et quod gravius est, periculo saepius errandi se exponit²; periculo videlicet, quod cum Societatis dedecore et suae proximorumque salutis detrimento conjunctum est.

Ut igitur damnum ea in parte, ex qua posset obrepere, caveatur, Superioribus omnibus vehementer auctor sum, ut saepius et serio religiosos sibi subjectos, eosque praesertim, qui studiis dant operam, alloquantur, nec quidquam praesidii industriaeque pratermittant, ut Scholasticorum contentio excitetur. Ego vero, ut in re tanti momenti mihi non desim, praescribo, ut sub initium anni scholastici theologis tum e primo, tum e secundo, tum e tertio anno tractatus moralis theologiae a studiorum praefecto assignentur, de quibus quotannis quisque periculum faciet. Quin imo, ut hoc ipsum facilius fiat, tractatus P. Busenbaum, quo ordine digesti sunt, scribantur, ita ut theologi e primo anno examini subjiciantur super primum, alterum et tertium librum, qui hosce tractatus continent: *De regula actuum humanorum interna et externa*, id est *de conscientia, de legibus, de paeceptis fidei, spei et caritatis, et de paeceptis Decalogi, et inibi de contractibus, de furto et restitutione*; qui e secundo anno, quod reliquum est ex tertio libro, et porro etiam quartum et quintum ejusdem auctoris librum, videlicet: *De paeceptis Ecclesiae, de paeceptis cuilibet statui propriis exponant*; praesertim vero *de statu clericorum et de beneficiis*. Iis denique, qui tertium theologiae agunt annum, nullo licet sacerdote excepto, quae supersunt, tradantur, deinde etiam septimus liber, nimirum *de sacramentis, maxime autem de casibus reservatis, de impedimentis matrimonii, de irregularitate et censuris*, quibus addatur damnatarum ab Ecclesia propositionum notitia.

¹ Aristot. de coel. l. I, c. 5.

² De Relig. tom. IV, tr. 10, l. 5, c. 3, n. 14.

Examinatores vero, quibus diligentiam commendatam volo, iidem statui possunt, qui pro theologis a tertio anno ad sacerdotium. Quoad tempus, quo examen commodius habeatur eorum, qui primo et secundo anno student theologiae, id arbitrio Reverentiae Vestrae remitto. Insuper Patres suum quisque suffragium tradant scripto, illudque in librum de examinibus referatur. Cum autem mihi proponuntur, qui ad sacerdotium promovendi sunt, quae et quot suffragia tulerint, distincte pariter exponatur. Sacerdotium enim differre oportebit iis, qui de se rationem non reddidere, quum Societas jure meritoque illa Oseae¹ verba usurpare possit: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.*

Atque hac quidem ratione hoc malum mihi videor praecavisse, quod timeri posset, quodque zelum, quo Societas ardet in proximorum bonum, tantopere dedeceret. Inde etiam sperare licet, fore ut Scholastici nostri, postquam non sine mediocri theologiae moralis peritia studia absolverint, ejusdem tradendae magistri plane eximii evadant; paucique omnino erunt, qui ab ea excolenda scientia desistant, quam, si quid adhuc urgeant, perfecte assequi possint. Jam hac in omnibus aucta communis sciendi cupiditate occasiones captabunt, quibus de his rebus disceptent ac disserant, praesertim vero in privatis collationibus ab Instituto praescriptis², a quibus Superiores locales eximi non facile possunt; atque adeo advigilare debent, ut statim temporibus non segniter peragantur.

Tandem mihi per hanc occasionem liceat examinatoribus ad quatuor votorum Professionem etiam atque etiam commendare, ut ea, qua par est, severitate agant. Jusjurandum, quo obstringuntur, atque in Societatem, quo feruntur, amor non patitur me quidquam dubitare. Verum si ejusmodi suffragium praepostera quaedam in hominem caritas potius quam sincerus in Societatem amor extorqueret, facile accideret, ut in Professorum numerum cooptarentur, qui doctrina ad tales gradum requisita non essent instructi. Sin autem Scholastici nostri probe intellexerint, sine moralis theologiae studio se non esse ad sacerdotium promovendos neque ad Professionem quatuor votorum, nisi procul dubio doctrinae mediocritatem excedant, nullam praetermittent industriam, ut in utroque studiorum genere praestent, haerebuntque libris depulsaque omni

¹ Os. IV, 6.

² Ratio studiorum Reg. Prov. n. 13, 15; Regulae Praepos. Dom. prof. n. 57; Instructio XX, n. 6; Congr. IX, decr. 8, etc.

ex parte segnitie, non modo alacriorem vitam ducent, sed sanctiores doctioresque fient, quales ego cum S. P. Ignatio ad majorem Dei gloriam et proximorum salutem vehementer eos esse discipio.

Haec non sine consilio Patrum Assistentium visa sunt mihi sugerenda. Literas has meas toti Provinciae Reverentia Vestra communicabit efficietque, ut eadem Praepositorum Generalium epistolis interserantur, ut quolibet tempore quae praescribuntur executioni mandentur.

LVI.

R. P. N. JOANNIS ROOTHAAN
ORDINATIO 15 OCTOBRIS 1847

De sacrae theologiae studio promovendo.

Ex variarum Provinciarum iteratis relationibus compertum habemus, Scholasticos nostros non ubique in universa sacra theologia satis solide exerceri, atque in iis praesertim, quae ad mores efformandos spectant, scientiam magis fundatam nonnunquam desiderari. Causa passim affertur, quod plures materiae non pro eorum dignitate et momento in scholis discutiuntur, si quidem bini sacrae theologiae ordinarii professores rerum, quas pro temporum necessitate pertractare debent, mole impediti, quoad materias quae *Primae Secundae* et magnam partem *Secundae Secundae* divi Thome Summae Theologicae parti respondent praecipiuaque morum doctrinam continent, auditores suos ad theologiae moralis professorem remittere coguntur.

Verum has theologiae partes pro illarum dignitate et momento moralis theologiae professor pertractare non potest; hic enim, attentis suis Regulis¹, illis nostris Scholasticis, qui nonnisi compendiariam theogiam frequentant, destinatus est, a profundioribus discussionibus abstinere, ad practicas conclusiones sese restringere omnemque insuper suum cursum biennio terminare tenetur.

Porro ex sufficientis illarum materiarum discussionis omissione proculdubio factum est, quod ex transmissis ad nos undique thesi bus patet, ut in examine ad gradum, quoad theogiam, ex illis so-

¹ V. Rat. stud., Reg. prof. casuum.

lum materiis, quas bini ordinarii professores tractant, propositiones exhibeantur, nulla vero ex ceteris materiis, quas omittere ipsi solent; ut proin *examen illud* jam ex universa theologia dici nequeat adeoque tale amplius non sit, quale in Instituto nostro praescribitur¹.

Igitur ne theologiae studio, quod ex Constitutionibus praecipuum nobis esse debet², quidquam ad integratatem soliditatemque deficiat, et ne ad illud excitandum fovendumque ~~adminicula~~ stimulive desiderentur, Reverentiae Vestrae enixe commendamus, ut:

1. In Collegiis, ubi nostri Scholastici theologiae operam navant, sic ante omnia studium theologicum disponatur, ut universa sacra doctrina, id est non solum eae partes, quas hodie dogmaticas appellant, sed morales quoque, ex Regulis, quas Ratio studiorum professoribus theologiae ordinariis praescribit, tractentur, nihil omittendo eorum, quae seu credenda seu facienda sunt, omniumque principia et fundamenta solide discutiantur, demonstrentur et defendantur.

2. Quod si duo professores totam theologiam quadriennio absolvere nequeant, tertius addatur ordinarius professor, qui partem aliquam eodem modo doceat; huic tamen non amplior materia assignada est, quam biennio finire potest; ne Nostri, qui biennio integro quotidie per horam S. Scripturae magistrum audire tenentur, aut nimium onerentur aut partem aliquam theologiae non audiant. Hic autem tertius professor tractare debebit *de actibus humanis, de conscientia, de legibus divinis et humanis in genere deque Ecclesiae praeceptis in specie necnon de consiliis evangelicis*. Item *de peccatis in genere et in specie de habitibus bonis et malis seu de vitiis et virtutibus et in specie de virtutibus theologicis et cardinalibus earumque connexis*.

3. Etsi hi professores ordinarii principia, quae moralem spectant, omnia, etiam in tractatu de sacramentis, explicare teneantur, non tamen ad casus particulares descendere debent; ad hujusmodi enim principiorum applicationem in consuetis casuum collationibus Scholastici exercebuntur.

4. Nostri porro, qui ad theogiam scholasticam destinati sunt, praeter hos ordinarios professores alium, qui casus docet aut jus

¹ Cf. Congr. VIII, decr. 37.

² Parte quarta c. XII, n. 1.

canonicum vel historiam ecclesiasticam tradit, frequentare indiscriminatim ne obligentur; quae enim in his majoris momenti periuntur nec in theologia occurrunf, vel privato studio vel aademicis exercitationibus suppleri poterunt.

5. Examinis annui materia sit, quae per anni decursum ab ordinariis professoribus duobus vel tribus tractata fuerunt. Examen ad gradum ad Instituti normam ¹ omnino revocetur, adeoque praeter tres theses philosophicas, quae praecipuas universae philosophiae difficultates contineant, quatuor sint theses theologicae, singulae singulis Summae D. Thomae partibus respondentes; unaquaeque thesis tria saltem membra habeat, quae praecipuas pariter theologiae universae difficultates complectantur, ita ut vere ex universa dici examen valeat. Harum dein thesium exemplar ad Urbem mittetur.

6. Qui ad compendiarium theologiae cursum destinantur Scholastici, scholam, quantum pro locorum adjunctis fieri potest, separatam habeant. Praeter theologiae moralis professorem, qui bis quotidie docebit, frequentabunt alium, qui biennio pariter brevem dogmatum notitiam illis tradet ². In fine anni ex utraque materia diligenter examinandi erunt; ad sacros vero Ordines non promoveantur, nisi in utraque saltem mediocritatem attigerint ³.

Haec si serventur, cessabunt haud dubie querelae de insufficienti Nostrorum in theologia praesertim morali exercitatione, modo tamen alienis occupationibus a studio ne distrahantur aut privato studio scholas supplere aut tempus contrahere permittantur, qua in re Superiorum maxime conscientiam oneramus.

¹ Instr. XIX.

² Congr. XXI, decr. 16

³ Quoad n. 4 et 6, servanda est disciplina nunc in Societate approbata.

LVII.

R. P. N. PETRI BECKX

ORDINATIO 11 MAJI 1858

EX DEPUTATIONE CONGREGATIONIS GENERALIS VIGESIMAE SECUNDÆ
AD PROVINCIAS MISSA.

De triennali philosophiae studio.

Cum Congregatio generalis ultima¹, Provinciarum postulata et gravia et multa attendens sollicite exquireret, quid factu opus esset, ut in Societatis Collegiis literarum studia ad finem nobis propositum quam aptissime disponerentur, praeter alia id in primis providendum visum est, ut cum externi tum nostri praesertim Scholastici in rebus philosophicis solide et gnaviter instituerentur multumque simul et strenue exercerentur. Ad hoc autem consequendum, considerata harum disciplinarum amplitudine et difficultate, triennale pro Nostris philosophiae studium praescribere placuit. Et cum vehementer probasset Congregatio, ut in philosophia tradenda et discenda, quoad ejus fieri posset, via et ratio, quam Patres nostri olim sapientissimis legibus stabilierant, hodie quoque tenebatur; intelligens tamen alia hujus doctrinae capita nostra aetate latius quam praeteritis saeculis tractanda, nonnulla etiam addenda esse, brevius alia contrahi posse, eam mihi curam demandavit, ut quae singulis triennii annis docenda essent, ita designarem, ut haec materiarum distributio a vetere Ratione studiorum non multum deflecteret. Jam vero ut ingens periculum, quod magis quam unquam nostro saeculo ab ingeniorum mobilitate et opinandi licentia timendum est, a scholis nostris per doctrinæ securitatem et uniformitatem arceretur; illud etiam adjecit, ut, si minus positiones singulae, at certe praecipua doctrinæ capita determinarentur². Quae quidem ut ea, qua par erat, consilii maturitate praestarem, Patribus eruditione et docendi peritia pollutibus non paucis neque unius Provinciae vel nationis commendavi, ut de universo hoc negotio post multam deliberationem seu singuli seu collatis consiliis sententiam ad me suam perscriberent. Quod cum illi perdiligenter fecissent, rebus

¹ Congr. XXII, decr. 34.² Congr. XXII, decr. 36.

omnibus iterum iterumque discussis atque cum Patribus Assistentibus aliisque viris doctis accurate perpensis, tandem sequentia statuenda mihi in Domino visa sunt:

I. In Collegiis, ubi Nostri student, et ubicumque Societas in ordinandis studiis libera est, anno primo tradatur logica et metaphysica generalis, duabus quotidie lectionibus, matutina scilicet et pomeridiana, adjecta tertia de mathesi elementari; anno secundo una lectio fiat de metaphysica speciali, altera et tertia de physica; anno vero tertio nonnisi duae lectiones praescribuntur, una de materia, quae ex metaphysica speciali reliqua est, altera de philosophia morali.

II. Ubi triennale studium ita ordinandum est, ut externi auditores philosophiam biennio absolvere possint, scholae ita disponantur, ut hi eas quoque metaphysicae partes, quae tertio anno adsignatae sunt, et philosophiam moralem cum reliquis discipulis audire queant¹; nisi, ubi auditorum numerus magnus est, iis, qui

¹ Quum talis lectionum distributio aliquantum difficilis esse videatur, unum alterumque modum, quo fieri possit, adnotare expediat. Physica igitur, sicut multis jam locis in more positum est, ita divisa, ut in quibus amplior est matheseos usus, seorsum tractentur, scholae triennio habendae hoc ordine disponi possunt.

	MANE.	POST MERIDIEM.
Anno I.	$\left\{ \begin{array}{l} h. 1. Log. et metaph. generalis. \\ h. 2. \dots \dots \dots \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} Log. et metaph. generalis. \\ Mathesis elementaris. \end{array} \right.$
Anno II.	$\left\{ \begin{array}{l} h. 1. Metaphysica specialis. \\ h. 2. Physica experimentalis. \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \dots \dots \dots \\ Mathesis physica. \end{array} \right.$
Anno III.	$\left\{ \begin{array}{l} h. 1. \dots \dots \dots \\ h. Philosophia moralis. \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} Metaphysica specialis. \\ \dots \dots \dots \end{array} \right.$

Scholis in hunc modum ordinatis auditores, qui biennio cursum absolvunt, praeter logicam cum metaphysica generali et mathesi elementari primo iam anno cum auditoribus secundi anni lectioni de physica, quam experimentalem vel chimico-physicam vocant, intersint; secundo anno praeter metaphysicae partes huic anno adsignatas, eas quoque, quae, tertio anno praescriptae sunt, nec non philosophiam moralem audiant; alteri autem de physica lectioni adsistere liberum illis sit. Si vero iis primo quoque anno nonnisi tres lectiones praescribendae, nec tamen proprius metaphysicae lector concedendus esse videatur, reliquum est, ut, scholarum dispositione nonnihil immutata, secundo anno praeter physicam experimentalem, philosophiam moralem et illam metaphysicae partem, in qua graviores de anima rationali et Deo quaestiones explicantur, audiant, non solum math. physica sed etiam una methaphysicae specialis lectione praetermissa.

biennio cursum absolvunt, proprius lector, qui uno anno metaphysicam specialem totam explicet, concedendus videatur. Provincialis, quae in hunc finem statuenda judicaverit, nobiscum communicet.

III. Ubi Nostri non student, et cursus biennio absolvi debet, duabus quotidianis lectionibus anno primo logica et metaphysica generalis, cum parte aliqua metaphysicae specialis, anno secundo reliquae partes metaphysicae specialis et philosophia moralis doceantur, adiecta tertia lectione anno primo mathesis elementaris, anno secundo physicae.

IV. Sicubi vero disciplina quaepiam addenda, aut alia pro externis auditoribus dispositio horum studiorum necessaria videantur, id nobis Provincialis examinandum proponat. In hujusmodi autem regionibus curandum omnino est, ut Nostri ab externis separati ea ratione, quae supra n. I exposita est, instituantur.

V. Etsi ex mente Congregationis¹ in triennali studio communi nonnisi physica et mathesis elementaris tradenda sit, nihil tamen obstat, quominus in magnis Collegiis commodo eorum, qui in his disciplinis ulterius progredi desiderant, mathesis sublimis, astronomia, historia naturalis aliaeve physicae partes, quas ordinarius professor vel nullo modo vel leviter attingit, praelegantur. Has vero lectiones ex Nostris ii tantum audiant, qui, cursu communi absoluto, Provincialis judicio ad haec studia prosequenda aptiores sunt. Et tales quidem, etiam ubi haec schola extraordinaria non habetur, privatis lectionibus exercendi erunt². Neque enim cum philosophiae studium ad veteris Rationis studiorum statuta revocari vellet Congregatio, eo intentio ejus ferebatur, ut mathematica et rerum naturalium scientia, quae hoc maxime tempore ad veram sanctamque doctrinam tuendam et propagandam plurimum valent, minus, quam decet, colerentur; sed ne hoc fieret cum detimento aliarum disciplinarum, exigendo ab omnibus, quae a paucis praestari vel possint vel debeant.

VI. Quia vero interdum ambigitur, quo se physica et mathesis elementaris, omnibus praescripta, extendat, partes harum facultatum seu limites, quibus se lectores et examinatores continere debent, paucis juvat commemorare. Physicae igitur professor, expositis proprietatibus corporum generalibus, agere debebit de solidis,

¹ Congr. XXII, decr. 36.

² Ratio stud., Reg. Prov., 20.

liquidis et aëreis, praecipua staticae et dynamicae, hydrostaticae et hydrodynamicae, aërostaticae et pneumaticae praecepta declarans; tum imponderabilia pertractabit, de calore, de electricitate statica et dynamica, de luce exponens; chimiae denique, astronomiae et metereologiae elementa, quoad per tempus licebit, suo quaevis loco adjicet. Mathesis autem elementaris, quae primi anni auditoribus tradenda est, algebrae praecepta usque ad aequationes secundi gradus, geometriam, trigonometriam planam et, quantum fieri potest, sphaericam comprehendat.

VII. Ut auditores methodo docendi uniformi juventur, et letores ipsi ubiorem et solidiorem sibi doctrinam acquirant, idem professor anno primo logicam et metaphysicam generalem, secundo et tertio metaphysicam specialem, et, si fieri potest, etiam philosophiam moralem doceat.

VIII. At vero a studiis hoc modo dispositis tum demum id, quod quaerimus, sperare licebit, si reliqua, quae de docendi discendique ratione a majoribus nostris provide sancita sunt, rite ac diligenter serventur. Ad haec autem imprimis pertinet, ut non solum auditores, cum disputant, syllogistica forma, sed lectores quoque, cum docent, scholastica methodo utantur. Jure enim merito a Patribus congregatis notatus est abusus, qui nonnullis in locis irrepsit, ut scilicet, scholastica methodo relicta, academicus quidam disserendi modus in praelectionibus adhibetur. Quo fit, ut discipuli et difficilius intelligent tradita, et facilius obliviscantur intellecta, atque praeterea in disputationibus et examinibus pares minime sint oneri ipsis imposito tum arguendi tum solvendi argumenta methodo scholastica, qua tamen utuntur et uti debent, qui de ipsorum doctrina experimentum sumunt. Cui tam gravi malo ut Superiorum vigilantia remedium efficax adhiberi possit, providendum est, ut discipuli dialecticae praeceptis quam diligenter instituantur; quandoquidem e mente Congregationis logicis institutionibus ea praecepit de causa amplius temporis tributum est, ut auditores non solum praecepta probe intelligere, sed etiam in iis usu servandis plurimum exerceri possint; ex qua nimirum exercitatione illa ingenii cultura et conformatio, quae philosophiae studio quaeritur, magnam partem pendeat.

IX. Postremo meum esse video, Superiores omnes et lectores in Domino hortari atque monere, ut serio secum reputent, quae de Latinae linguae usu et a S. P. N. Ignatio in Constitutionibus et a So-

cietate congregata ejusque Praepositis saepe praecepta et inculcata sunt.¹ Atque sane cum Congregatio XXI² non solum statuisset, ut hic usus in logica, metaphysica et theologia docenda omnino retineretur, sed etiam aliquod desiderium ostendisset, ut in physica et mathesi tradenda revocaretur, vehementer dolendum est, in Collegiis, in quibus ad illud usque tempus sermo latinus semper viguerat, exinde non solum physicas et mathematicas, sed logicas quoque et metaphysicas lectiones vernaculo sermone haberi coeptas esse. Quapropter cum postrema Congregatio generalis et ea, quae de latinae linguae usu in Societate fovenda generatim constituta sunt, denuo confirmarit³, et nominatim in superioribus classibus latinam linguam et formam syllogisticam non solum retinendam, sed, sicubi in desuetudinem abierit, omni ope revocandam sanciverit: non possum non hujus decreti promptam et constantem executionem Superioribus et reliquis, ad quos pertinet, enixe commendare⁴.

X. Capita doctrinae a professore philosophiae triennio tradenda.

De philosophiae munere et partibus, utilitate et varia fortuna, breviter et accommodate ad incipientium captum, ita ut haec prolegomena paucis omnino lectionibus absolvantur.

LOGICA.

PARS I.

1. De logicae natura, objecto, fine et partitione. Haec quoque magister hoc loco breviter pro discentium facultate exponat, infra, i.e. initio secundae partis logicae aut etiam in fine, ubi de scientia agitur, latius de iisdem disputaturus.

2. De idea, ejusque partitionibus; ubi genus, species et differentia, proprium et accidens, nec non quae categoriae dicuntur, quantum hoc loco satis est, explicentur; de signi notione et divisione, de

¹ Exam. c. V, n. 1; Const. parte quarta, c. VI, n. 13, K; c. XIII, n. 3, 4; Regul. commun. n. 10; Reg. Prov. n. 50; Reg. Scholast. n. 10; Ratio stud., Reg. Rect. n. 8; Instr. XX, n. 4.

² Decr. 19.

³ Congr. XXII, decr. 30.

⁴ Ibid. decr. 31.

terminis eorumque affectionibus et partitionibus, praesertim de univocis, aequivocis et analogis, de simplicibus et complexis; tum singulari diligentia de definitione et divisione.

3. De judicii et propositionis notione et partitionibus; de propositionum veritate et falsitate aliisque proprietatibus; de earundem oppositione, aequipollentia et conversione.

4. De ratiocinii natura et principiis, de varia argumentatione ac praeципue de syllogismo, ejus structura et regulis, quae singulae enucleate explicandae; de inveniendo medio; de fallaciis; de variis syllogismi speciebus, de inductione atque ceteris argumentandi formis.

5. De demonstrationis natura et principiis, de medio demonstrationis; de ejus generibus, nominatim de analytica, synthetica, et quae ex utraque componitur, regressiva. Accurate etiam explicetur methodus et norma disputandi.

PARS II.

6. De vero generatim et de veritate logica in specie; num in sensu an in solo intellectu esse possit; num in simplici intellectus apprehensione an in judicio tantum reperiatur.

7. De ignorantia, dubitatione, opinione, probabilitate ejusque gradibus diversis; de certitudine et evidentiā earumque partitione; an alia alia major esse queat. De errore ejusque fontibus.

8. Sensus intimi natura et partitione explicata, declaretur, quae per eum certa fieri possint, quae non possint. Corporum deinde existentia contra idealistas, et sensuum externorum veracitas contra scepticos defendatur.

9. De intelligentia et ratiocinatione. Universalibus, praesertim specie, accuratius explicatis, imprimis conceptuum universalium existentia asseratur, mox iis objectivam, ut ajunt, realitatem respondere demonstretur, refutatis etiam, qui critici transcendentalis dicuntur; postremo (ad refutandos praeicipue recentiores nonnullos pantheistas) probetur, unitatem, quae est in conceptu universalis, in rerum natura non actu, sed potentia tantum seu fundamentaliter reperiri. De judiciis immediatis, et quomodo judicia omnia ex idearum comparatione efflorescant. De ratiocinio, praecognitis et prae-
notionibus; ubi declarandum est, quo pacto ratiocinio novae cognitiones comparentur, necnon quare conclusioni legitimae falsum

subesse nequeat, et qua ratione praemissae ad assentiendum conclusioni cogant.

10. Auctoritatis et fidei, quae ea nititur, natura exponatur, et hujus certitudo, quanta et qualis sit, monstretur; quo loco etiam artis criticae et hermeneuticae summa principia tradantur. Agenda igitur breviter est de instrumentis et testibus; atque regulis, quibus utrorumque veritas cognoscitur, expositis, addenda sunt nonnulla de criticae abusu, illius maxime, quam internam vocant.

11. Ostendatur scepticismi universalis absurditas. Quaeratur deinde quatenus dubitatio, quae methodica dicitur, probanda, quatenus rejicienda sit; ubi ostendendum erit, neque ex sola propriae existentiae cognitione, neque ex sola intelligentia, sed ex hac et experientia simul ad certam rerum cognitionem perveniri.

12. Explicetur vis et natura sensus naturae communis, eoque ab hominum consensu distincto, monstretur, neutrum haberi posse pro universali veri norma aut certitudinis principio; atque hic explicandum, quo pacto privata intelligentia naturalis certitudinis principium dici possit et debeat, subjecto a mediis et motivo certitudinis rite discreto.

13. Praemissa definitione scientiae, quae tum ab intelligentia tum ab opinione et fide discernitur, agatur de relatione inter scientiam et fidem, atque demonstretur, sicut ante omnem fidem, sive humanam sive divinam, scientia aliqua necessario praecedat, ita rursus scientiam quandam ex fide nasci; recte tamen ea quoque credi, quae minime intelliguntur: ubi de limitibus humanae intelligentiae. Agatur etiam de scientiae unitate et distinctione, atque varia disciplinarum genera earumque inter se nexus explicentur.

METAPHYSICA GENERALIS.

1. De metaphysicae objecto; de ejus munere causas rerum altissimas explicandi; de primis principiis, quomodo cognoscantur; an demonstrari possint.

2. De entis conceptu generalissimo, qui analogus esse demonstretur; de unitate, identitate et distinctione; ubi nominativi de distinctione inter rei constitutiva essentialia et attributa agendum est; de veritate et falsitate; de bonitate et malitia; de ordine; de simili et dissimili. Explicantur etiam notiones generales de pulchritudine et sublimi, quae ad metaphysicam artium (aestheticam) pertinent.

3. De conceptu finiti et infiniti; ubi quaeratur etiam, an multitudo infinita possibilis sit.

4. De possibili et impossibili; ubi ostendendum, internam rerum possibilitatem ex Dei potentia aut voluntate non pendere, sed in ipsa Dei natura ultimo fundari.

5. De essentia et existentia, de substantiae conceptu, de substantia simplici et composita; de natura et subsistentia; de accidenti; de relatione.

6. De principio et causa, quo loco etiam de principio causalitatis et rationis sufficientis quaeratur; de variis causarum speciebus; ubi non solum de causa efficiente et finali, sed etiam de formali atque materiali, nec non de causa universalis et particulari, necessaria et libera agendum est.

METAPHYSICA SPECIALIS.

I. De corporibus.

1. De corporum natura, principiis intrinsecis et elementis; atque hic non solum atomorum et elementorum simplicium systemata, sed etiam quae doctores scholastici de materia, forma et privatione tradiderunt, diligenter exponenda sunt: quod nisi fiat, gravissimae veterum disputationes sive philosophicae sive theologicae intelligi non poterunt.

2. De quantitate, extensione, continuo; de qualitate, compensatione et reduplicatione corporum.

3. De motu, duratione et tempore, de spatio et loco.

4. De causalitate physica et actione corporum, ubi vera efficientia causarum creatarum non spiritualium modo, sed etiam materialium defendenda est.

5. De legibus naturae earumque constantia et contingentia; et hic miracula et fieri posse et ab effectis naturalibus dignosci monstretur.

6. De rerum naturalium ortu et interitu; de earundem mutatione et conversione. Atque hic, quoad expedire visum fuerit, de variis cosmogoniae et geogoniae systematibus agatur, iis, quae impia et absurdia sunt, refutatis.

II. De animabus.

7. De vita in universum. De vita organica. De vita sensitiva, ubi de anima bruti agatur.

8. Anima humana ex ipsa entis intelligentis natura demonstratur non solum simplex, h. e. partibus extra se positis non constans, sed etiam spiritualis esse, substantia scilicet a materia ita independens, ut sine ea et esse et operari possit; atque hac maxime immaterialitate essentialis ejus ab anima bruti differentia ostendatur. Probetur deinde, animam rationalem non posse nisi creatione oriri, eamque cum corpore ita conjungi, ut *hujus sit vera per se atque immediata forma*¹, systematis quae hanc naturae humanae unitatem tollunt, diligenter refutatis.

9. De vi sentiendi atque in primis de sensu interno, num affectiones tantum, an substantiam attingat; quomodo sensus ab intellectuali sui cognitione differat; ubi eorum quoque refellenda est opinio, qui existimant, conscientia sui, qua scilicet homo (pronomine *Ego*) propriam personam asserit, primo et directe animam tantum, non naturam, anima et corpore constantem, comprehendi.

10. De sensu externo, sensoriis et sensationibus; ubi quaeratur, quomodo et per quas sensationes corporum existentia cognoscatur, et refutentur ii, qui per sensus objectum ipsis proprium vere cognosci negant. Denique de imaginatione et somniis, ubi etiam aliquid de erroribus phrenologorum addi potest.

11. De intelligendi facultate atque imprimis de idearum origine; refutatis videlicet erroribus eorum, qui empirici vel sensistae dicuntur, qui omnia a sensibus repetunt, necnon recentiorum idealistarum, Kantii praesertim; exponenda sunt systemata illa duo, quorum alterum immediatam intelligibilium sive in se ipsis sive in Deo perceptionem, alterum intelligibilium cognitionem per abstractionem a sensibilibus defendit. Huic posteriori sententiae, quam S. Thomas et scholastici doctores communiter tenent, si in omnibus et singulis, quae complectitur, adhaerendum magistro non videatur, multo tamen minus priori, in quo plurima insunt pericula ac difficultates, adhaereat. Caveat vero, ne aliorum sententiis erroris

¹ Literae SS^{MI} D^{NI} nostri P^I PP. IX ad E^mum S. R. E. Card. De Geissel Archiep. colon. d. d. 15 Jun. 1857; Acta P^I IX I, II p. 585 sqq.

notam facilius tribuat aut ea, quae etsi dubia, innocua tamen sunt, acrius perstringat.

12. Agatur etiam hoc loco plenius de judicii natura, atque illud non voluntatis, sed intellectus actum elicitum esse probetur. De attentione, reflexione, idearum associatione, reproductione et recognitione. De loquela, ejus origine, utilitate et necessitate; ubi refutandi sunt traditionales.

13. De appetitu sensitivo, de voluntate et libero hominis arbitrio.

14. De animae humanae immortalitate et ultimo fine, de hoc tamen breviter, uberiori tractactione in ethicam dilata.

III. De Deo.

15. De Dei existentia. Hic ostendatur, existentiam Dei posse et debere ex effectibus demonstrari, atque praecipua argumenta, quibus demonstratur, diligenter explicentur.

16. De Dei unitate atque attributis absolutis, singulari diligentia ostendendo, Deum esse vere infinitum, aeternum, immensum, immutablem, simplicissimum, actum purissimum, vitam intellectivam subsistentem, ut confutentur recentiores pantheistae, quippe qui Deum faciant ens indefinitum, potentiale, mutabile et, ut aiunt, impersonale.

17. De divino intellectu et voluntate; ubi hujus libertas indifferetiae, praesertim in creando, diligentissime monstretur; ceterum de ea, sicut etiam de Dei justitia et bonitate necnon de praescientia libera futurorum ita agendum, ut ad controversias theologicas non deflectatur.

18. Creationis genuina notione diligentissime explicata, ostendatur, mundum neque ex materia praejacenti effici, neque ex Dei substantia emanare potuisse, omnemque rem creatam tota essentia a Deo diversam esse. Quaeratur etiam, an aeterna creatio possibilis fuerit, et agatur demundi perfectione atque ultimo fine, optimismo, qui dicitur, refutato.

19. Denique de concursu Dei ad creaturarum actiones; qui a conservatione causarum creatarum distinctus esse monstretur; postremo de providentia divina, etiam circa mala.

PHILOSOPHIA MORALIS.

1. De philosophiae moralis objecto et partitione.
2. De fine, bono et malo generatim. De ultimo fine et beatitudine hominis; de hujus vitae destinatione.
3. De actuum humanorum natura, libertate et moralitate. De passionibus quoque et habitibus non obiter et cursim, sed diligenter et solide agatur.
4. De lege morali generatim et de lege naturali in specie, de ejus conceptu et existentia, ubi imprimis essentialia inter bonum et malum discrimen tuendum erit; de principio cognitionis, quod in natura rationali complete spectata, de principio obligationis, quod in voluntate Dei, sine qua nulla perfecta obligatio, quaerendum est; de ultimo denique fundamento (in quo utriusque principii ratio reperitur), quod est ipsa natura divina. Haec quidem diligenter contra kantianos et plurimos alios defendenda sunt; addi vero potest, etiamsi (quod nonnulli Scholastici putarunt) ex sola natura rationali aliqua obligatio oriatur, hanc tamen minime posse (id quod recentiores illi volunt) principium esse, quo Dei voluntas vim nos obligandi accipiat. Denique hic etiam, qui vim legis naturalis ab utilitate aut sensu quodam animi repetunt, confutandi erunt.
5. De conscientia. De virtutibus et vitiis.
6. De officiis erga Deum; praecipue de cultu Dei interno et externo. Atque hic praecipuae quaestiones ex philosophia religionis inseri poterunt.
7. De officiis erga seipsum; ubi de pravitate suicidii et duelli et de jure repellendi injustam aggressionem.
8. De officiis erga alios tum caritatis tum praecipue juris. Itaque de juris natura et partitione; de juribus connatis, i. e. de libertate externa et libertate conscientiae, de jure circa honorem et famam; de juribus acquisitis, maxime de dominio et contractibus; ubi qui socialismus et communismus dicuntur, refutandi sunt.
9. De vita sociali generatim; ubi pactum sociale Rousseavii refutandum. De familia; ubi de conjugio et potestate paterna, quantum satis est, de potestate etiam herili et servitute necnon de jure haereditatis agatur.
10. De societate civili, ejus natura et fine. De suprema potestate, quae in se spectata ipsa lege naturali, minime vero humana con-

ventione existit. De variis regiminis formis, democratica, aristocratica, monarchica et mixta, quae, etsi alia in aliis rerum adjunctis melior, per se ipsae omnes legi naturali conformes sunt. De subjecto potestatis supremae, quod variis modis legitime determinatur; ubi magna circumspectione utendum et inter alia monstrandum est, quantum differat sententia, qua theologi veteres potestatem supremam primitus in communitate esse statuebant, a doctrina, qua hodie ea, quae suprematia plebis appellatur, suaderi solet. De mutanda civitatis constitutione; ubi ex principiis modo positis deducitur, injuste agere: 1. Eos, qui novam regiminis formam alterutra parte invita introducere tentant; 2. eos quoque, qui communis nomine et auctoritate subjectum supremae potestatis mutare praesumunt. De potestate leges ferendi; ubi nonnulla etiam alia de lege civili addi possunt. De potestate exsequendi et administrandi rempublicam (breviter). De potestate puniendi; ubi jus gladii defendendum erit.

11. De jure gentium; de mutuis gentium foederibus; de jure belli et pacis.

12. Hic addi potest tractatio, in qua ostendatur, quid, admissa Ecclesiae institutione divina, de ejus relatione ad potestatem civilem ex principiis juris naturalis judicandum sit. Afferenda igitur Ecclesiae tamquam societatis perfectae plena in rebus suis independentia a potestate civili; hujus autem obligatio non solum obediendi Ecclesiae in iis, quae ad Dei cultum pertinent, sed, quoad fieri potest, rei quoque civilis administrationem attemperandi Ecclesiae necessitati et emolumento. De potestate autem Ecclesiae in ipsa regna temporalia, Principes et Magistratus non agatur¹; sed positis, quae supra enuntiata sunt, principiis, quaeratur, debita tamen cum moderatione et prudentia, de nonnullis juribus vel factis particularibus, ut de libertate cultus, quae quidem, etsi certis limitibus circumscripta, ob temporum et locorum conditionem tolerari aliquando possit, per se tamen impia et injusta dicenda est; de jure Ecclesiae possidendi et administrandi bona temporalia; de legibus civilibus contra crimina in religionem commissa; de placeto regio.

XI. Has igitur materias lectores nostri ita pertractent, ut nullam quidem praetermittant, quam accurate et solide non explanent,

¹ Vide paeceptum a R. P. Mutio impositum; Censurae et Praecepta c. V.

diutius tamen in iis morentur, quae pro temporum et locorum conditione ad finem nobis propositum prae ceteris opportuna cognoscuntur. Quod si ab auctore, qui nobis approbantibus praelegitur, nonnulla doctrinae capita supra proposita vel nullatenus vel obiter attinguntur; lector, quae desunt, dictando adjiciat. Qui etsi non teneatur singulas quaestiones eodem plane ordine, quo supra positae sunt, explicare, caveat tamen ne temere eas permisceat, nec sibi licitum putet, quae uni anno adsignata sunt, in alium transferre.

XII. Porro ut gravissimo incommodo, quod ex opinandi libertate nascitur, efficacius occurreretur, Patres congregati optaverunt, ut praeter doctrinae tradendae capita texeretur catalogus earum opinionum, quas in scholis nostris non doceri expedit. Huic quoque desiderio ut pro virili parte obsequeremur, Praepositis provincialibus mandavimus, ut hujuscemodi opinionum elenchem in sua quaque Provincia maturo consilio conficiendum confectumque ad nos mittendum curarent. Quae autem tum ex his a Provincialibus exhibitis tum ex aliis opinionibus, quas praedecessores nostri variis temporibus prohibuere, seligendae visae sunt, eas hic subjicimus, Superioribus, ad quos pertinet, enixe commendantes, ut nullam earum a nostris tradi et defendi patientur.

PROPOSITIONES ALIQUOT PHILOSOPHICAE
QUAE IN SCHOLIS SOCIETATIS DOCENDAE NON SUNT.

1. Mens humana de omnibus dubitare potest ac debet, praeterquam quod cogitet adeoque existat¹.
2. Reliqua non prius nobis certa et explorata esse possunt, quam clare innotuerit, Deum exsistere summeque bonum esse, non fallacem, qui mentem nostram inducere in errorem velit².
3. Nonnisi per fidem divinam certo cognoscere quisquam potest, quod aliqua existant corpora, ne suum quidem³.
4. Id omne et solum id, quod clare et distincte percipimus, certum nobis est.

¹ Epist. R. P. Michael. Ang. Tamburini 15 Jun. 1706 de 30 propositionibus philosophicis proscriptis, prop. 1.

² Ibid. prop. 2.

³ Ibid. prop. 5.

5. Certitudo naturalis fundatur in actu fidei caecae, quae facultatum cognoscendi veracitati adhibetur.
6. Supremum et unicum veritatis criterium est ratio generalis seu generis humani auctoritas ¹.
7. Sola fides parit certitudinem ².
8. Nulla veritas ordinis metaphysici aut moralis independenter a revelatione divina cognosci potest; saltem cognitione reflexa.
9. Ratio humana propriis viribus non potest ullas veritates invenire, sed tantum acceptas confirmare aut illustrare.
10. Methodus philosophica, quoties ratione privata nititur, non auctoritate sensuque communi, eodem numero habenda est, ac methodus theologica protestantium.
11. Intellectus finitus hoc ipso, quod finitus est, semper et in omnibus errori obnoxius est ³.
12. Vocabula ad cogitandum vel saltem ad reflectendum ita sunt necessaria, ut sine illis mens nullos conceptus aut judicia formare possit.
13. Intellectus primo et directe non res ipsas, sed ideas a rebus acceptas cognoscit.
14. Philosophiae munus est demonstrare ea, quae sunt, non potuisse non esse.
15. Mens humana, si se ipsa noverit, causas rerum omnium, quas experientia vel fide cognovit, investigare potest.
16. Is philosophiae ac scientiae profectus admitti potest, ut quaeunque fides christiana credenda proponit, notionibus propriis, non solum analogicis apprehendantur et ex principiis rationalibus demonstrari possint.
17. Nominatim mysterium SS. Trinitatis ratio probe exulta, etsi non per se ipsa invenire, tamen postquam semel revelatione cognitum est, evidenter demonstrare potest.
18. Philosophia ita sui juris est, ut a nulla altiori scientia dirigi aut judicari debeat.
19. Relationes omnes sunt mere ideales ⁴.

¹ Cf. Epist. R. P. Al. Fortis de quibusdam propositionibus philosophicis non docendis 4 Oct. 1823, prop. 1.

² Ibid. prop. 2.

³ Ibid. prop. 5.

⁴ Cf. Ordinat. pro studiis superioribus R. P. Fr. Piccolomini, an. 1651, prop. 3.

20. Existentia rei est ipsa ejus operatio.
21. Extenso relatio ad spatium ita est essentialis, ut neque omnipotentia divina tolli possit¹.
22. Philosophice demonstratur, accidentia corporum etiam per omnipotentiam Dei a substantia separata conservari non posse².
23. Substantia generatim atque substantia corporis speciatim nihil est aliud, quam vis quaedam simplex; reliqua omnia, quae praeter eam vim corpori insunt, accidentia sunt. Haec doctrina usui esse potest in philosophia, quando explicanda est origo animae humanae, atque etiam in theologia, cum de SS. Eucharistia agitur.
24. Penetratio corporum proprie dicta involvit contradictionem³.
25. Potest dari creatura, quae natura sua habeat virtutem principalem creandi⁴.
26. Creatio non est productio rei ex nihilo, sed productio rei, quae fit a solo Deo sine consortio alterius causae efficientis⁵.
27. Idea creationis est primitiva, et ad eam ascendere nequimus per cognitionem rerum creatarum; nec creatio ex causalitatis principio, sed principium hoc ex creatione deduci debet.
28. Finis mundi non est gloria Creatoris sed felicitas creaturae.
29. Conservatio rerum creatarum non est actio Dei positiva; sed hoc ipso res conservantur, quod non destruuntur.
30. Nulla substantia neque spiritualis neque corporea potest vel ab ipso Deo ad nihilum redigi⁶.
31. Deus non immediate h. e. actione a conservatione distincta ad omnes effectus causarum secundarum concurrit⁷.
32. Deus solus per causas creatas agit; nulli autem creaturae competere potest potentia seu vis propria et intrinseca agendi ad extra⁸.

¹ Cf. Tamburini prop. 10 et 11; epist. R. P. Fr. Retz. de 19 propos. philosophicis proscript. 8 Nov. 1732, prop. 1.

² Cf. Tamburini pr. 29, Retz. epist. 18. Aug. 1735; epist. R. P. Ign. Vicecomitis de studiis 17 Jul. 1752, supra p. ?; Piccolomini prop. theolog. 13.

³ Tamburini prop. 12.

⁴ Piccolomini prop. 12.

⁵ Id. prop. 13.

⁶ Tamburini prop. 9.

⁷ Cf. Piccolomini prop. 21.

⁸ Ordinatio pro studiis superioribus R. P. Joann. Roothaan an. 1850 prop. 6.

33. Corpus moveri nihil est aliud, nisi illud a Deo conservari aliis atque aliis in locis successive¹.

34. Solus Deus est, qui movere possit corpora. Angeli vero, anima rationalis ipsaque corpora non sunt causae motus efficientes, sed occasioales tantum².

35. Bruta sunt mera automata omni sensu et cognitione carrentia³.

36. Bruta circa objecta particularia discurrunt vero et proprie dicto discursu⁴.

37. Facultates intellectuales ex sensibilitate transformata oriuntur.

38. Mens apprehendendo seu percipiendo non agit, sed est facultas mere passiva⁵.

39. Possibilis est creatura, quae habeat actum intellectus identificatum cum substantia⁶.

40. Essentia animae intelligentia tantum et voluntate constituitur; facultates autem et habitus sive naturales sive supernaturales aliud non sunt, quam actus permanentes⁷.

41. Judicium et illatio sunt actiones non intellectus, sed voluntatis⁸.

42. Potest aliquid substantiale, natura sua incorruptibile atque independens, a materia educi⁹.

43. Possibilis est anima spiritualis (i. e. a materia independens), quae non sit intellectiva¹⁰.

44. Dantur in homine simul et permanenter plures animae realteriter inter se distinctae¹¹.

45. Unio naturalis animae et corporis dici potest et est unio hypostatica¹².

¹ Tamburini prop. 18.

² Id. prop. 19.

³ Id. prop. 21.

⁴ Piccolomini prop. 46.

⁵ Tamburini prop. 26; cf. Piccolomini prop. 45.

⁶ Piccolomini prop. 52; cf. Retz, prop. 9.

⁷ Roothaan prop. 7.

⁸ Tamburini prop. 27.

⁹ Piccolomini prop. 17.

¹⁰ Idem prop. 53.

¹¹ Piccolomini prop. 44.

¹² Roothaan prop. 8.

46. Animae rationalis unio cum corpore in eo solum consistit, quod Deus voluerit ad certas mutationes corporis certas in anima perceptiones aut motus excitari, et vice versa pro certis animae cogitationibus seu voluntatibus certos in corpore *motus* sequi¹.

47. Anima humana non immediate a Deo creatur, sed a parentibus per generationem producitur, saltem quatenus est sensitiva.

48. Corpus et anima dynamice tantum, non vero entitative uniuntur; h. e. ita conjuncta sunt, ut in se invicem agant, non vero ut constituent unam naturam seu essentiam.

49. Conscientia sui est ratio formalis personae, seu per conscientiam sui natura rationalis constituitur persona.

50. Anima corpori unita virtute naturali in eum statum transferri potest, in quo a corpore independens ad instar animae separatae seu puri spiritus cognoscat et intelligat.

51. Mens nostra, eo quod finita sit, nihil certi de infinito potest scire; proindeque a nobis disputari de illo nunquam debet².

52. Existentialia Dei est prima veritas, quae certo cognoscitur³.

53. Ex existentialia entis contingentis male deducitur existentialia entis necessarii h. e. Dei⁴.

54. Hujusmodi demonstratio Dei ex effectibus saltem non est perfecta, sive apodictica.

55. Ex consideratione rerum creatarum Dei cognitio in nobis oriri non potest, sed tantum perfici.

56. Principium sentiens fit intelligens ideâ entis ei communicata; quae quidem idea est ipsa forma intellectus.

57. Objectum reale ideae entis transcendentalis et generalissimi est Deus.

58. Conceptus finiti et contingentis, utpote negativus, absque praevio et affirmativo conceptu entis infiniti et necessarii efformari nequit.

59. Non possumus concipere essentias rerum nisi praevio conceptu Dei, etsi Deus hoc conceptu non cognoscatur reflexe et distincte, sed tantum directe et velut in confuso, scilicet ut ens simpliciter.

¹ Tamburini prop. 22.

² Id. prop. 4.

³ Fortis prop. 3; cf. Roothaan prop. 2.

⁴ Fortis prop. 4.

60. Idea Dei ut entis simpliciter, etsi non actualis sed habitualis, nec reflexa sed directa, menti est essentialis.

61. Lumen intellectuale objectivum est ens infinitum menti praesens et ei prima principia objiciens; subjectivum est ipse intellectus ea notitia informatus.

62. Prima intelligibilia sunt archetypa seu exemplaria divini intellectus, a nobis in se ipsis, per intuitivam scilicet ideam entis, obscure saltem et implicite cognita, per quae deinde, accidente sensatione, rerum naturas perspicue et explicite cognoscimus.

63. Actu primario (idea entis universalissimi) intellectus eminenter et implicite, etsi directe et habitualiter, cognoscit omne omnino ens sub ratione omnis cognoscibilitatis; et ideo ille actus subjectivus omnes alios actus subjectivos eminenter continet, ut etiam actus objectivus (Deus tamquam ens universale) omnia alia entia eminenter et implicite continet.

64. Cum intelligimus necessitatem metaphysicam et intrinsecam possibilitatem rerum, objectum reale hujus conceptus est ipse Deus, quamvis in confuso tantum neandum explicite cognitus ut Deus.

65. Deus ut agens ad extra immediate, h. e. in ipsa operatione sua, a nobis naturali facultate cognoscitur.

66. Doctrina scholasticorum, qua ideas per abstractionem a sensibilibus oriri statuant, nullatenus aut certe parum differt a systemate recentiorum, qui sensistae dicuntur.

67. Deus in simplicissima sua entitate continet realiter, licet absque forma, entia omnia distincta et diversa, adeoque essentia omnium, quaecumque sunt, non est realiter diversa ab ipsa Dei essentia, et inde est, quod ens simpliciter et ens finitum non faciunt numerum¹.

68. Esse divinum et esse creaturarum genere conveniunt, et sola specie differunt.

69. Creare est actuare formaliter essentiam rei in Deo realiter contentam; seu actio creandi est actus Dei, quo Deus actuando seipsum ut ens eminens hominis v. g. hominem formalem a seipso formaliter distinguit, negat et excludit ac extra se actuat et ponit. Hoc ens formale substantiae creatae remanet post creationem comprehensum in ente eminenti seu in Deo, tamquam pars in toto, non quidem in toto formalis, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas

¹ Cf. Roothaan prop. 3.

quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit¹.

70. Deus se actuando ut ens eminens hominis liberi, constituit ipsius essentiam et possibilitatem omnesque ipsius proprietates et facultates, actus et modos².

71. In Deo nec est necessitas nec libertas proprie dicta.

72. Rejicienda est distinctio a theologis inventa, qua Dei actus ad intra necessarios, ad extra liberos esse statuitur.

73. Tam necessarius et tam liber est actus creationis, quam necessarius et liber est actus, quo Deus amat se ipse.

74. Voluntas humana omni actu suo appetit bonum simpliciter, quod est bonum summum seu Deus.

75. Finis praesentis vitae non est sola dispositio ad beatitudinem aeternam, sed etiam temporalis et externa felicitas, ita ut hanc praeter virtutem prosequi teneamur.

76. Cultus Dei externus non per se ipse debitus, sed solum propter fovendum internum adhibendus est.

77. Homo natura autonomus est adeoque nulli superiori subditur, quem libere non elegerit. Auctoritas proinde nihil aliud est, quam summa voluntatum, judiciorum et virium, quibus homines in societate se abdicant, ut inde fiat possibilis humana societas.

78. Jus innatum externae libertatis ad actus omnes, aliorum hominum juribus non contrarios, extenditur; quare actionem, quamvis intrinsece malam, qua tamen aliena jura non violantur, nunquam legitime impedimus.

79. Jus proprietatis non continentur lege naturali, sed arbitraria hominum conventione introductum est.

80. Proprietas ab una lege civili pendet, nec nisi in eadem lege jus succedendi totum fundatur.

81. Testamenta nonnisi ex dispositione juris positivi vim obligandi sortiuntur.

XIII. Itaque propositiones hae omnes ne a Societatis hominibus sive in scholis tradantur, sive in disputationibus propugnantur, sive etiam libris edendis inserantur, interdicimus et prohibemus; ideoque hunc catalogum cum singulis professoribus et praefectis su-

¹ Roothaan prop. 4.

² Id. prop. 5.

periorum facultatum neconon cum librorum revisoribus communicari volumus¹; omnesque in Domino hortamur, ut in re tam gravi dignos se Societatis filios prompta et constanti obedientia exhibeant. Absit autem, ut quisquam id sibi praestitisse videatur, si de mente, qua haec nostra Ordinatio edita est, parum sollicitus id tantum pro videat, ne sententias, quas proscriptimus, iis, quibus nos usi sumus vocabulis enuntiet, aut ipsas quidem sententias hic positas, non vero quae cum iis necessario conjuncta sunt, evitet. Et ut de mente nostra dubitari nequeat, expresse declaramus, ad uniformitatem et securitatem philosophicae institutionis coram Deo Domino nostro id nobis necessarium visum esse, ut in iis praesertim quæstionibus philosophicis, quae cum theologicis connexae sunt, lectores et scriptores nostri, quod Institutum non uno in loco² præcipit, vestigia angelici doctoris S. Thomas exempli et ductu eorum, qui omni tempore his studiis in Societate maxime floruerunt, consequentur. Quod qui ex animo facere conabuntur, haud difficiliter intelligent, quorsum, quae in singulis materiis statuimus, collineent, atque eos quoque scopulos, qui a nobis explicite non sunt indicati, vitabunt.

XIV. Neque enim propositum nobis esse poterat, errores omnes, a quibus periculum aliquod imminere posset, singillatim persequi; sed eas opiniones simul collectas exhibere, quae hac nostra aetate studiosius vitandae esse viderentur. Inter quas nonnullae, quas a Societatis hominibus nunquam traditas esse confidimus, ideo nihi lominus recensitae sunt, ut magistri tanto diligentius auditores quoque suos ab iis admittendis absterrent. Quamquam nec id postulandum est, ut omnes, quas notavimus, propositiones a magistro data opera refutentur; cum alias silentio praeterire satis esse possit, aliae in philosophia quidem vitandae, sed in theologia demum ex proposito refellendae sint.

XV. Ceterum quod alias a praedecessoribus nostris declaratum est, id nos quoque denuo edicimus, videlicet in animo nobis minime esse, sententias, quas recensuimus, censura aliqua officere, cum hoc sit altioris potestatis, sed tantum ad majorē fructum in auditori-

¹ Cum externis vero haec Ordinatio communicanda minime est, sed omnino servanda Regula commun. 38.

² Const. parte quarta, c. XIV, n. 1; Congr. V, decr. 41, 56; Rat. stud. Reg. prof. theol. 2, 3, 4, 5; Reg. prof. phil. 6. - Cf. Congr. XXII, decr. 37 n. 1; Congr. XXIII, decr. 15 et 18.

bus faciendum statuere, ut in scholis Societatis nostrae non doceantur. Quoniam enim ad hunc fructum consequendum non semel nobis in Constitutionibus et Congregationum generalium decretis praecepitur, ut in quavis facultate non securam, sed securiorem, nec approbatam, sed magis approbatam doctrinam sequamur; non quaeviis alicujus opinionis probabilitas sufficit, ut in scholis nostris tradi aut in disputationibus defendi possit. Quare, ut monuit R. P. Franc. Piccolomineus, nec cuiquam patrocinari debet, si quae forte ex illis propositionibus reperiantur apud aliquos auctores vel in libris jam editis a nostris, etiam cum aliqua approbatione; nam optandum fuerat, ut diligentiores fuissent et severiores plerique revisores¹. Accedit, quod major etiam in scholastica doctrina quam in scribendis libris cautio adhibenda est. Plurimum enim interest, primam in quavis facultate institutionem quam maxime solidam et tutam esse; cum in hac reliqua cultura animi et eruditio velut in fundamento suo nitatur, et si quid in ea peccatum est, id postmodum aegerrime emendetur. Ad haec non securitas modo, sed uniformitas quoque doctrinae ab Instituto nobis saepè et graviter commendatur. Quae quidem si non una de causa omni tempore expetenda erat, hac nostra aetate summe necessaria existimari debet. Cum enim post tot rerum pene omnium violentas commutations in ratione quoque studiorum pleraque hactenus incerta fluctuant, et maxima sit apud ipsos populos christianos in disciplinis praesertim philosophicis opinionum discrepantia, fieri plante non potest, ut Societas ad instaurandam rectam juventutis institutionem et ad sanam doctrinam tuendam valide conferat, nisi filii ejus inter se ipsi quam fieri potest arctissime conjuncti unius oris et labii fuerint². Hic autem consensus nullus certe esse potest, si, quaenam ex multis, quae circumferruntur, sententiis ad scholasticam institutionem aptiores sint, privato magistrorum judicio definiendum prorsus relinquitur.

XVI. Jam vero nec illud praetereundum est, de quo dubitare nemo potest, eo scilicet religiosius, quae in eum finem a Societatis Praepositis sancita fuerint, nostris lectoribus custodienda esse, quod non suo sed Societatis nomine et auctoritate docendi munere funguntur. Et si Societas ab omnibus, quibus hoc munus defert, suo jure postulat, ut illud ad normam a se praescriptam exerceant,

¹ Ordinatio pro studiis superioribus n. 15.

² Cf. Gen. XI, 1.

multo magis ab iis, quibus suam ipsius juventutem instituendam tradiderit, exspectare atque exigere debebit, ut audientium animos non suis quisque opinionibus, sed doctrina a Societate probata imbuant. Ea quidem est temporum nostrorum iniquitas, ut sperare vix liceat, fore ut plerique omnes in approbanda philosophica doctrina, quaecumque fuerit, consentiant; id tamen me sperare posse laetor, fore ut apud Societatis filios satis causae sit ad parendum voluntatem nosse Moderatorum. Neque enim diffident, a Deo prae reliquis illos, quibus ipse universalis boni providentiam in Societate credidit, illuminari et dirigi, probeque norunt, nisi horum voluntati obtemperent, nunquam fore, ut studiorum ac laborum suorum fructum eum, quem solum sibi aliisque optare debent, consequantur.

XVII. Ut igitur haec omnia fideliter et constanter in opus deducantur, exemplo ejusdem praedecessoris nostri Francisci Piccolominei, imprimis Rectores Collegiorum, in quibus superiores traduntur facultates, monemus, ut hujus Ordinationis nostrae exsecutionem inter praecipuas sui muneric curas ponant¹, de scholis saepe et diligenter inquirant et singulis annis in renovatione studiorum eam omnibus, ad quos spectat, in memoriam revocari current. Provinciales deinde, cum ejusmodi Collegia visitant, vocato etiam ad consultationem studiorum praefecto, examinent attente, quomodo ea, quae statuimus, serventur, atque hujus sui officii rationem reddant Praeposito Generali; ad quem de eadem observatione Consultores quoque et praefectus studiorum quotannis referant. Nec enim nisi viribus conjunctis nitamur et sedulam pro suo quisque munere operam navenus, fas est sperare futurum esse, ut quae Deo disponente sancita sunt, ad ejusdem Dei laudem et gloriam opere compleantur.

LVIII.

R. P. N. ANTONII MARIAE ANDERLEDY
EPISTOLA AD PROVINCIALES 8 DECEMBRIS 1890.

De Congressibus.

Antecessor meus, A. R. P. Beckx, b. m., cum intellexisset complures e Societate ad catholicorum conventum Parisiis habendum fuisse vocatos, literis die 11 Apr. 1876 ad Galliae Provincias datis,

¹ Ordinatio pro stud. sup. n. 16.

eo ne convenienterent Nostris, interdicendum censuit non modo Parisiis degentibus, sed ceteris quibuslibet; quos omnes hortabatur, ut ad sua quisque munia intentus conventum illorum rebus nullo se pacto misceret. Verebatur profecto Pater noster, ne Societas ullam inde invidiam molestiamque subiret, idque piae Instituti nostri amore atque observantia cautum prorsus voluit. Anno post, indictis de more opificum coetibus, ad Provinciale Franciae literas scripsit, quibus pari de causa Nostris conventus interdictus est, eo vel maxime, quod inter ipsos coetuum illorum duces ac magistros non parum dissidebatur ac discordabatur. Satis fore Nostris, si in eos sodales operam tantummodo impenderent vocationis nostrae magis propriam, eosdem nimirum bene vivendi credendique rationem docendo, ad Ecclesiae sacramenta rite comparando, ad omnem denique virtutem cohortando. Haec ille.

Jam vero quanto crebrius in dies haberi solent omnium ordinum conventus, tanto diligentius providendum est, ne quid propterea Societas capiat incommodi. Ac proinde, quae Pater noster eo tempore Provinciis Galliae prudentissime praescripsit, equidem de unanimi Patrum Assistentium consensu ita de integro firmando duxi pro Societate universa, ut in primis nemini Nostrorum fas sit coetibus ullis interesse, in quibus vel negotia ab Instituto nostro aliena, praesertim vero politica, agantur, vel certe animorum dissidia partiumque studia qualicumque modo foveri videantur. Haec autem quantopere caveamus, monent Constitutiones parte sexta, c. III, n. 7; parte decima n. 11; monent gravissima Congregationis V decreta 47 et 48 et Congregationis VII decretum 46.

Quod reliquos coetus spectat, tametsi rei literariae vel etiam catholicae promovendae consentaneos, eos sibi Nostris omnes pro viribus interdicant. Si quando autem fieri vix possit, ut eis non intersint, quin apud optimum quemque graviter offendant, aliunde vero conventus in majus Dei obsequium cedat, tunc Provinciae Praepositus cum suis Consultoribus, quid facto opus sit, probe consideret deque iis designandis, qui ad rem videantur aptissimi, ad Patrem nostrum tempestive referat. Nulli tamen designentur neque in aliam Provinciam mittantur, nisi consentiat illius Provinciae Praepositus, in qua conventus celebratur. Quibus porro conveniendi potestas fiat, ii quidem nihil eo afferant, quod non fuerit literis mandatum, multa industria elaboratum, peritorum judicio comprobatum, religiosa modestia temperatum; nihil denique ipsa

in concione agant, dicant, prae se ferant, ex quo ullus quispiam offendit merito possit. *Quandoquidem Instituti nostri est*, ait B. P. N. Ignatius, Constitutionum parte septima, c. III, n. 8, *sine cuiusquam offensione, quantum fieri possit, omnium in Domino commodis inservire*. Aureum sane documentum, quod utinam prae oculis semper habeamus omnes, in primis vero Operarii, concionatores, lectores nostrique scriptores, atque ii prae ceteris qui ephemeridibus edendis dant operam, ne ullo unquam intemperanti verbo, nulla obloquendi temeritate, nulla calami acerbitate, nulla denique opinionum novitate justam cuicunque praebent offensionis causam. Quod quidem, qua sollicitudine cavendum a Superioribus, si vero semel contigerit, qua severitate sit puniendum, sancivit Congregatio XII, decreto 19, itemque Congregatio XXII, decreto 14. Quo pariter studio ac sollertia coercendi sint, si qui fuerint ad novitates proni aut ingenii nimis liberi, praescriptum est Constitutionum parte tertia, c. I, n. 18, O, nec non Congregationis V, decreto 50.

Haec autem incommoda aliaque innumera pericula si longe propulsata velimus, sedulo curandum est, ut Operarii nostri non prius ad vineam Domini excoledam prodeant quam ex diurna ac probata exercitatione germanam nostrae vocationis formam plane hauserint. Ad hanc vero perfecte exprimendam quid potius confert, quam tertia Probatio, quae tota in eo versatur, ut tum propriae tum alienae salutis atque perfectionis summum desiderium non modo excitetur, verum etiam ad peculiarem Instituti nostri rationem omni ex parte conformetur. Haec suprema Societatis schola ac palaestra, unde Operarii nostri evadant oportet et solidis virtutibus instructi et religiosae disciplinae observantissimi. Ne igitur Societas hoc tam praecipuo fructu tamque diu optato fraudetur, nihil impensis efficiant Provinciarum Praepositi ac Missionum Superiores, quam ut tertia Probatio ad normam Constitutionum, decretorum atque Ordinationis generalis cap. 3. non perfunctorio aut compendiario modo, sed integre, sed assiduissime peragatur. Et quoniam Congregatio XVI, decreto 34; declarandum censuit Provinciarum Praepositos tertio Probationis anno detrahere nihil posse, quin etiam speravit fore, ut Praepositus Generalis neminem nisi ob rationes gravissimas et ab aliqua tantum illius parte eximeret, absit a me, ut tam justam Societatis spem irritam ne semel quidem faciam. Quare Superiores omnes jam nunc monitos velim, me hac in re non modo fortiter acturum, sed nemini ullam legi gratiam facturum, quam

Provinciae Praepositus cum suis Consultoribus justissimas ob causas faciendam non judicaverit, quamque tertiae Probationis Instructor suis literis ad me datis non probaverit.

Postremo illud etiam atque etiam inculcandum putavi, quod jam pridem a praedecessoribus meis¹, dein vero a me literis 15 Februarii 1886 ad Provincias scriptis tantopere inculcatum est, ne scilicet Operarii nostri nimias sanctae Sedis facultates conquerant, neque alia prorsus via, quam per suae quisque Provinciae Praepositum simulque per Procuratorem generalem. Tam multa enim tamque peregrina pro Nostris in dies postulantur, ut Praelatis Congregationibusque romanis, imo vero ipsi summo Pontifici permolesti reddamus ac merito dictitemur in gratiis privilegiisque expenditis plane singulares. In quo timendum vehementer est, ne nostri Operarii solidiora ac domestica pietatis subsidia vel non curantes, vel parvi facientes, leviora alia atque aliena consequentur, unde Societatis ministeria paulatim pristina sua fecunditate frustrentur. Quid namque ad veram pietatem utilius, quam doctrina christiana, Exercitia spiritualia, sacrae Missiones, Ecclesiae sacramenta, Sodalitates marianae, Congregatio bonae mortis aliaque complura Societatis subsidia? Hoc opus, hic labor noster est, haec militiae nostrae arma² divinitus accepta; hisce majores nostri potissime usi sunt, quorum si laetissimum exitum aemulemur³, eadem et nos arma induamus⁴, eademque peritia tractemus. *Junerit sane moderatus et prudens usus gratiarum per Sedem apostolicam concessarum*, quemadmodum B. P. N. Ignatius fatetur, Constitutionum parte decima, n. 9. Et vero si ingenti gratiarum thesauro, quo Societas a sancta Sede ditatur, tam moderate ac prudenter utendum nobis est, quid sentiamus de iis, quorum inconsiderata aviditas tanta existit, ut nulla gratiarum copia, nullo facultatum modo atque usu expleri posse videatur? Qui igitur specie nescio qua pietatis fovenda delusi a vera ac probata Instituti nostri norma recedunt, non solum paternae dedocendi sunt a Superioribus, sed etiam compescenda ejusmodi propensio, ne quid desiderent vel aucupentur praeter quam quod postulat vel abunde suppetit Societatis Institutum. Uno verbo, facultates nostrae ceteraque Societatis praesidia magni fiant, recte

¹ Cf. supra p. 133 sq.

² 2 Cor. X, 4.

³ Cf. Hebr. XIII, 7.

⁴ Rom. XIII, 12.

tamen prudenterque usurpentur, praeter quas vel nullae aliae postulantur, vel rarissimae. Quinimo si quis quavis facultate a quocumque sibi concessa non recte utatur, ei omnis ejusdem usus, quamdiu opus fuerit, interdicatur.

Haec epistola ad Superiores omnes perferatur et coram Consul-toribus semel saltem legatur.

LIX.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN
EPISTOLA AD PROVINCIALES 4 NOVEMBRIS 1904.

De S. Scripturae studiis a Nostris rite persequendis.

Quum S. Pater Ignatius de schola S. Scripturae ageret in Constitutionum parte quarta, c. VI, aperte declaravit, studium hoc cum solida institutione in theologia scholastica debere conjungi, ut ex eodem fructum illum Nostri colligere possint, quem Societas ab eis exspectat. Quare praescripsit, ut disciplina haec simul cum theologia scholastica vel post eandem addisceretur. Imo pro iis, qui studio linguarum addicendi erunt, in quibus S. Scriptura primum scripta vel in quas deinde translata fuit, peculiari quadam ratiane *humilitatem et firmitatem in fide* exigit declaratione D in numerum 5. ejusdem capit. 5.

Atqui haec duo quam prudenter ab eo sancita fuerint, tristis nostrorum temporum experientia clare demonstrare videtur. Non enim ignorat Reverentia Vestra impietatem, posthabitis jam commentis, quibus Strauss totius religionis revelatae fundamenta subruere adortus fuerat, aliam nunc, ut eandem metam contingat, viam inivisse, videlicet methodum quam appellant historicam. Tota enim in eo est, ut ex ipsis sacris Scripturis, ex historia, e recentioribus antiquitatis investigationibus argumenta eruat ad sacrorum librorum auctoritatem, in qua veluti *firmissimo* fundamento veritas revelata consistit, penitus convellendam. Et quidem judicium internum, criticem internam vocant, tormentum est validissimum, quo religionis hostes illius moenia expugnare aggrediuntur; atque huc talem congerunt eruditionis apparatum e veteribus monumentis de-promptum, ut non paucos jam e catholicis ipsis viris decepterint, quos in gravem de argumentorum firmitate, quibus fides innititur,

dubitatem adduxerunt. Eo scilicet evasit severioris institutionis philosophicae et theologicae defectus, quem inter ipsos cleri saecularis et regularis ordines multi merito deplorant. Hinc enim factum est, ut effata audacissima, quae primas fidei ac totius ordinis supernaturalis veritates labefactant, tamquam legitimae conclusiones exciperentur. Novi equidem, hanc recentiorum scholam, quae tam funestam opinionum intemperantiam invexit, jactando gloriari, se christianaæ fidei contra novas impiorum et rationalistarum oppugnaciones nova arma novamque methodum ministrasse. Sed haec quam vana sint et futile, vel ex eo manifestum est, quod hujusmodi scholae deliramentis vera inspirationis doctrina, communis catholicorum Doctorum sensus, imo et sanae logicae leges pessum-dantur. Id enim fere accedit, ut, posthabito sanctorum Patrum severiori studio, vel, quod pejus est, iisdem secundum placita rationalistarum explanatis, ea sanctis Doctoribus attribuantur, quae ipsis ne quidem somniare ausi sunt.

Est igitur Reverentiae Vestrae, Provinciam istam ab hac labe immunem servare atque efficere ut Nostri omnes ab hujus scholæ periculis sibi diligentissime caveant, nec tantum doctores sacrarum Scripturarum et publici scriptores, sed etiam quicunque propter sacra ministeria aut alia munera de controversiis istis agere aut colloqui debeant. Hoc enim multo potiore jure, quam a ceteris, a nobis exigit singularis, quam sanctæ Sedi debemus, reverentia. Nam ex quo summus Pontifex decreta sacrarum Congregationum S. Officii et Indicis auctoritate sua rata habuit et alia ipse decrevit, quae abs re foret hic singillatim exponere, dubitationem omnem exemit, quod tota errarent via, qui Sedem apostolicam talibus commentis astipulari crediderunt. Mihi sane pro comperto est, nihil summo Pontifici antiquius et optatius esse, quam ut omnes, ac in primis Nostri, ab his erroribus longe absistant. Quare qui contrarium effutiant, ii aut decipi aut calumniari dicendi sunt.

Neque tamen is ego sim, qui impedire velim, quominus Nostri, hujusmodi studiis prudenter addicti, ea eruditionis supellectile frui possint, qua recens schola scientias exegeseos auxiliarias non raro auxit. Imo vero in praesenti studiorum conditione, ut Nostri veritatem tueri possint et rationalistarum cavillationes retundere, opus est, ut impensa voluntate invictaque constantia hanc materiam penitus pernoscant; ut diligenter perpendant acriterque discernant, quid in omni enunciatorum congerie insit veri, quid tantum veri-

similis, quid falsi; quibus plene penitusque perspectis, planum erit evincere, ex his omnibus contra sacrarum Scripturarum veritatem nihil legitime inferri posse, imo saepe catholicum sensum magisque confirmari. Atque ita fiet, ut ad Ecclesiae defensionem arma tractentur, quae ad illam impugnandam excusa fuerant, et quidem secundum mentem ipsius S. Patris nostri in loco superius citato.

Verum haec conata ut sine ullo religiosae vocationis aut etiam ipsius fidei discrimine perficiantur, quaedam sunt praecavenda.

Ac primum oportet, ut nemo e Nostris ad illa studia privatim persequenda diligatur, nisi integrum philosophiae et scholasticae theologiae curriculum emensus fuerit; quo tempore sese omnibus probaverit tum ob intimam utriusque disciplinae cognitionem, tum ob sinceram earum traditionum religionem, quas et Societas nostra et Christi Ecclesia pari semper studio in hoc proposito sequutae sunt.

Deinde oportet, ut diurna experientia comprobatum fuerit, qui ad haec studia designantur, haud elato esse animo nec effrenos ductoribusque asperos nec novarum opinionum cupidos¹; sed modestos frenique patientes, qui facile corriganter, si quid forte deflecent; praesertim vero studiosos sanctorum Patrum et praeclariorum interpretum, quos Deus Ecclesiae suae continent fere cursu largitus est, et quorum cognitio nunc, si unquam antea, est omnino necessaria, ne quis a recta semita aberret.

In his, quae proprius moderatores attingunt, Reverentia Vesta sese inexorabilem praebere debet. Quare, si qui sint in ista Provincia hujusmodi studiis dediti, in quibus omnia haec quae dixi non conscientur, ab illis statim retrahendi sunt et ad alia munia convertendi; ne postea sera nimis poenitentia eosdem errores et infeliores etiam casus conqueri debeamus, quos non semel jam conquesti sumus.

Demum hujusmodi Superiorum vigilantiae ac providentiae adjicienda est etiam nostrorum magistrorum cura, qui in theologia explananda ad theses confirmandas et ad impietatis ictus retundendos positivis fontibus pro merito utantur. Tunc enim duplex hoc theologiae decus accedet, ut scilicet sit omnino scholastica pro vero ac genuino vocabuli sensu eodemque tempore in controversias, quae hodie acerrime agitantur, alumnos insinuet eosque prae-

¹ Cf. Const. p. tertia, c. I, O.

paret ad songularia studia, ad quae serius aliqui ex ipsis, ad fidem Ecclesiamque defendendam, proprius accident.

Haec sunt, quae recenti studiorum loco meum esse duxi Reverentiae Vestrae praescribere. Ut autem hae meae literae propositum finem certius consequantur, opto, ut Reverentia Vestra eas communiceat non modo cum Consultoribus Provinciae, sed etiam cum Rectore et lectoribus Seminarii Nostrorum; ut omnibus innotescat, quid hac in re pro suo quisque munere sequi et fideliter implere debeat.

LX.

R. P. N. FRANCISCI XAVERII WERNZ
EPISTOLA AD PROVINCIALES 18 JANUARII 1908.

De erroribus modernismi a Nostris omni studio cavendis.

Quod a filiis Societatis nostrae, pro sua in Sedem apostolicam peculiari devotione, jure merito exspectandum erat, simul atque Decretum S. R. et U. Inquisitionis *Lamentabili sane exitu*¹, necnon encyclicae Literae SS. D. N. Pii PP. X. adversus modernistarum errores² in lucem prodierunt; id equidem jam nunc, allatis undique nunciis, magno animi mei solatio non segniter factum esse conspicio. Etenim non solum ea qua par erat religiosa reverentia et obedientia utrumque gravissimum documentum a Nostris omnibus susceptum est, verum etiam eo intimae exultationis sensu eoque maxima adhaesionis affectu, qui continuo in externum quoque opus sese prodidit, quemadmodum complures testantur elucubrationes eruditique commentarii in foliis nostris periodicis in singulis quibusque Assistentiis editi. Qua re quantopere ardentibus animi mei desideriis satis fuerit factum, reticendum non erat, tum ut sua cuique, ob egregie facta, promerita laus exstaret, tum etiam ut Nostrorum omnium animi magis magisque accenderentur ad perfectam documentorum illorum intelligentiam capessendam, quo efficacius, inimicorum fraudibus detectis, contra ingruentes errores fideles praemunire valeant.

At vero, dum tam commendabili studio incumbimus in salutare

¹ Acta S. Sedis XL, 470 sqq.

² Ibid. 593 sqq.

opus deterrendi a venenatis pabulis proximos nostros, supervacuum non fuerit, pari cura advigilare, ne quid contagionis hujusmodi intra domesticos parietes permanare contingat. Etenim nullum latet, quanto cordis sui dolore SS. D. N. Pius PP. X. nec semel nec obscure conquestus sit, sacerdotes ipsos ac religiosos modernismi erroribus passim attactos reperiri; quare ut tantum malum averteret illudque in posterum praecaveret, singulari quadam sollicitudine, iteratis vicibus, tum apostolicis Literis *Pascendi dominici gregis*¹, tum recenti Motu proprio *Praestantia Scripturae*² 18 Nov. 1907 edito, locorum Ordinariis, necnon Generalibus religiosarum familiarum Moderatoribus districte mandavit, ut omni ope adlaborarent, ne qua modernismi labes commissos sibi subditos, juniores praezeros, quoquomodo inficeret. Quapropter, etsi non pauca nec levia in postrema generali Congregatione decr. 16 in eam rem peropportuno consilio praeoccupata fuerint, nec dubium subsit, quin Praepositi Provinciarum et Superiores locales muneri suo in re tanti momenti satis admodum sint facturi, nihilominus officii mei esse duxi, nonnulla magis enucleate indicare, eaque praecipua ratione observanda inculcare, quae cum ad omnes generatim spectant, tum vero rectam nostrorum Scholasticorum institutionem proprius attingunt.

Ac primo quidem Provinciarum Praepositi, Rectores Collegiorum et studiorum praefecti diligenter coram Deo considerent ea quae sub finem Encyclicae *Pascendi* n. I, et II.³ praescribuntur, vi-deantque, utrum propositae normae accurate serventur, tum quoad delectum eorum quibus cura juventutis nostrae formandae atque instruendae commissa est, tum quoad discussionem eorum qui sacris initiandi sunt vel superioribus studiis in universitatibus gubernii applicari debent. Itaque sedulo cavendum ne quid quovis praetextu in scholis nostris tradi permittatur, quod veneno doctrinarum modernistarum quomodocunque infectum sit; ac si quis doctrinis ejusmodi, quod Deus avertat, favere deprehendatur, fortiter a docendi munere amoveatur. Provinciales vero in consueta Collegiorum visitatione peculiarem hujus rei rationem exigant deque ea in elenchis nominatim referant. Curandum etiam ut posthac communem in morem inducatur, quod a plerisque Provinciis jam fieri

¹ Ibid.

² Ibid. 723.

³ L. c. 640 sqq.

consuevit, ut scilicet mittantur Romam terna exemplaria omnium thesium, quae sive in disputationibus menstruis, sive in examinibus philosophorum et theologorum propositae fuerint. Cum porro de iis agendum erit, qui ad sacros Ordines promovendi sunt, utantur Superiores ea *vigilantia et severitate*, quam toties summus Pontifex etiam in aliis Literis commendatam voluit; meminerint agi de re gravissima, non solum quod attinet peculiarem Ordinis nostri conservationem, verum etiam universalis Ecclesiae Christi incolumitatem, atque adeo strictam rationem supremo Judici se esse reddituros de iis, quos ad sacros Ordines admittendos judicaverint. Itaque Superiores ad quos spectat paterna cum sollicitudine pro viribus hortor, ut diligenter observent ea omnia, quae in Instituto et a Praepositis Generalibus tam saepe tamque gravibus verbis de ordinandis habentur praescripta, quaeque a p. m. praedecessore meo P. Ludovico Martin datis literis ¹ die 24 Aprilis 1904 denuo inculcata sunt; cumque ex ejusdem praescripto haec literae in consultationibus de promovendis ad sacros Ordines semper praelegendae sint, toties etiam curandum erit, ut de ordinandorum quoque dispositione quoad spiritum modernisticum seria fiat inquisitio. Quoad eos denique, qui ad civiles gubernii universitates studiorum causa mitti debent, exstat peculiaris Instructio a S. Congregatione EE. et RR. 21 Julii 1896 edita ², quae licet ad unius Italiae clerum tum saecularem tum regularem hucusque cum obligationis onere spectaret, jam nunc per encyclicas Literas *Pascendi* ³ ad nationes omnes, pertinere dicenda est. Hanc igitur Instructionem Superiores omnes, ad quos spectare potest, considerent atque ad ea, quae ibidem pro singulis casibus praescribuntur, diligenter sese conformare studeant. Nominatim vero haec in memoriam revocata volo: a) Requiri, ut quis civiles universitates frequentet, *expressam Superioris Generalis licentiam* (n. III.); b) non nisi eos ad haec studia destinandos esse, qui *laudabiliter absolverint integrum cursum tum philosophiae tum theologiae a Constitutionibus Ordinis praescriptum* (n. V.); c) *qui que morum integritate et vitae vere ecclesiasticae laude praefulgeant* (n. VI.); d) *maximam autem cautionem esse adhibendam, si qui mittendi sunt ad universitates in locis, ubi nullum adest religiosum domicilium* (n. IX.).

¹ Supra p. 172 sqq.

² Acta S. Sedis XXIX, 359 sqq.

³ Ibid. XL, 642 (n. II).

Secundo, Superiorum zelo commendandum esse putavi, ut lectio Nostrorum, praesertim Scholasticorum, diligenter invigilent. Constat enim per scripta cuiuslibet generis modernistarum placita passim circumferri et legentium animis facile insidere; quare facultas hujusmodi scripta ceterosque libros in Indicem relatos legendi non nisi rarissime et studiorum necessitate urgente Scholasticis permittenda est; professorum vero esto contra gliscentes errores discipulorum animos praemunire. Qua in re cavendum est a falso quodam nostrorum temporum principio, quo boni quoque interdum decipiuntur, errores nimirum prius esse cognoscendos, quo ad veritatem aditus aptius pateat; at e converso tamquam inconcussum rectae institutionis axioma retinendum est sapientissimum illud angelici Doctoris dictamen, mentem veritate prius esse informandam. Praeterea a communi usu ubique in Domibus nostris arceantur libri et folia, sive quotidiana sive periodica, quamvis a catholicis hominibus conscripta, in quibus venenum modernistarum doctrinarum quomodounque lateat. Praecipue vero, quod spectat ad diaria et ephemerides periodicas, Provinciales e singulis Domibus diligenter exquirant, quaenam Nostris legenda sive communiter sive peculiaribus classibus tradantur, ac si quid deprehenderint, quod emendatione indigeat, id continuo corrigerem satagant.

Tertio denique peculiaris cura adhibenda erit iis, quae spectant studia sacrarum Scripturarum. Quum enim temporibus nostris Ecclesiae hostes magno apparatu auctoritatem sacrorum Bibliorum infringere nitantur, et periculum non exiguum adsit, quemadmodum experientia docet, ne catholici quoque scriptores, dum ad illam tuendam adlaborant, fucatis adversariorum argumentis illecti, in errores non leves impingant; hinc vehementer commendo, ut Nostri omnes, juxta praescriptum Congregationis XXV. decr. 14 n. 2, semper prae oculis habeant normas a S. Sede hac in re propositas sive in Literis encyclicis summorum Pontificum, sive in responsis emissis a Pontificio Consilio pro studiis de re biblica provehendis constituto, a quibus utrisque nulli unquam sub quacunque forma, etiam sub praetextu scientificae investigationis aut dubitationis, vel minimum deflectere liceat, aut eas per sinistras interpretationes ad propria sensa detrahere. Nominatim vero, spectata nostrorum temporum necessitate, summopere interest, ut ea inerrantia sacrarum Scripturarum, quae testibus SS. Patribus ex ipsius inspirationis ratione ducitur, strenue contra modernos errores sarta tecta servetur, nec

ulla admittantur doctrinarum commenta, quae licet ad divinam originem et inerrantium sacris libris asserendam excogitata esse dicantur, re tamen ipsa non solum iisdem adversantur, verum etiam universae catholicae traditioni gravissimum vulnus infligunt. Meminerint ergo Nostri omnes, sive scriptores sive professores, cum in omnibus generatim disciplinis, tum maxime in hac materia, ex Instituto et S. Sedis voluntate, solidiorem nos ac securiorem sequi debere doctrinam; eoque minus nobis integrum esse, perniciosas illas aequae ac falsas sententias amplecti, vi quarum, Ecclesiae sensu refragante, liceret in sacris Libris, qui pro historicis habentur, errores objectivos admittere, invocata varia generum literariorum indeole, dummodo per eos religiosae veritati nihil depereat.

Quod porro attinet usum et applicationem *theoriae*, quam vocant, de *citationibus tacitis seu implicitis*, stricte omnes sequantur praescripta in responso contenta, quod a pontificia Commissione de re biblica ex approbatione et mandato summi Pontificis die 13 Februarii anni 1905¹ publici juris factum est; atque adeo nemini fas sit ejusmodi citationes asserere nisi, salvis sensu et judicio Ecclesiae, post diuturnas seriasque inquisitiones solidis argumentis evincere possit, utrasque conditiones in eo responso singillatim descriptas revera adesse. Caveant igitur Nostri omnes, ne maleficas illas doctrinas sive scripto sive verbo tueantur, aut iis sive publice sive privatim se propensos ostendant; neque cuiquam in contrarium suffragari potest auctoritas eorum, qui forte libros ediderunt tales sententias propugnantes; etenim hujusmodi libri, sive a nostrorum aliquo fuerint conscripti, sive ab externis, sive auctores habeant viros qui ad sacros Religiosorum Ordines pertinent, vel etiam inter Consultores Commissionis biblicae connumerantur, etiamsi cum quorundam Superiorum ecclesiasticorum facultate impressi fuerint, non ideo habendi erunt tamquam Nostris permissi, sed potius a communi usu omnino submoveantur. Quia vero hujusmodi librorum hinc inde data approbatio contingere nequam potuit nisi ex nimia revisorum indulgentia, idcirco intelligenti ex Nostris, qui tam gravi munere funguntur, quanta eos oporteat, juxta officii sui Regulas, cautione uti, diligentia atque fide erga Praepositum Generalem, cui in re maximi momenti operam se navare prae oculis habere debent².

¹ Acta S. Sedis XXXVII, 666.

² Regulae revis. gener. I.

Atque haec omnia superius praescripta, cum suapte natura gravia omnino sint, eo porro graviora censeri debent, quo majora in dies ac perniciosiora pericula ubique ferme terrarum Ecclesiae Christi imminere cernimus, quum ferme nullum sit fidei dogma, quod non acriter impetratur, multorumque mentes in fidei firmitate nutantes sese exhibeant. Lamentabile sane spectaculum, quod non sine ingenti cordis sui gemitu SS. Pater Pius PP. X suis allocutibus scriptisque documentis pluries prosequutus est, eo fine ut ad tantum malum avertendum filiorum suorum animos excitaret. Quos inter nosmet Societatis alumnos praecipua ratione reputare debeamus, qui tam arctis obedientiae vinculis Apostolicae Sedi devincti sumus, quique a S. Parente nostro Ignatio singulariter demandatum habemus, ut contra omnigenos Ecclesiae hostes prima semper in acie congregiamur, ab eoque, quid sentire, quid repudiare vel in minimis rebus debeamus, cum de genuino Ecclesiae sensu agitur, in aureis Exercitiorum regulis edocti sumus. Ut igitur monitis ac desideriis Summi Christi Vicarii quam fidelissime obtemperemus, studeamus in primis, ne quid quod modernismum sapiat quemquam ex Nostris contaminet, simulque totis viribus incumbamus ut exemplo, praedicatione, scriptione omniisque ministeriorum genere dominicum gregem ab errorum fallaciis custodiamus et sanae doctrinae pabulo imbuamus; atque ut his intentos laboribus Christi Summi Dicis favor et auxilium nos usquequaque regat ac foveat, simul omnes enixis precibus a Deo impetremus.

Haec porro, quae in usum potissimum Superiorum scribenda censui, vehementer opto, ut cum omnibus Nostris instructionis causa communicentur, atque adeo publice super mensam singulis in Dominibus perlegantur.

LXI.

R. P. N. FRANCISCI XAVERII WERNZ
EPISTOLA AD PROVINCIALES 19 MARTII 1910.

De tribus Decretis S. Congregationis de Religiosis.

Postquam anno superiore in *Actis Apostolicae Sedis* haec tria Decreta gravissima prodierunt¹: Primum die 30 Julii 1909, quae est Instructio circa debita et obligationes oeconomicas a religiosis

¹ I, 695 sqq.; 700 sq.; 701 sqq.

familiis suscipienda; — Secundum die 7 Septembris ejusdem anni, *Decretum de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis*; — Tertium die 7 ejusdem Septembris, quae est *Declaratio circa articulum sextum Decreti Auctis admodum*, editi die 4 Novembris 1892; ex eorundem sententia apertaque significatione perspicuum fuit, ea omnibus omnino Congregationibus atque Ordinibus religiosis ipsique etiam Societati Jesu constituta esse. Nam cum illa plane edicant: *Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus*, eo ipso etiam Societatem Jesu saltem novo titulo juris pontificii attingunt atque obligant, si propriis nostri Instituti legibus jam idem fuerit praescriptum.

Quae cum Nostri statim inteligerent viderentque simul, non pauca a S. Sede ibidem praescribi, quae cum institutis nostris non omnino cohaerent, nonnulla dubia ex variis Provinciis proposuerunt. His quidem, cum prius Patres Assistentes ipsumque summum Pontificem interrogassem, singillatim pro re nata id respondi, quod prudentius et securius esse videbatur. Ea vero, quae ad alios communiter spectant, quorum nempe interest ea scire, sive ad dirigendum sive ad exsequendum, visum est hac epistola comprehendere, quae e natura trium Decretorum trifariam dividi poterit, et singulas partes quibusdam veluti membris distinctas habere.

1. Atque, ut ab ea re initium faciam, quae minus negotii facesse videtur, *alterum e tribus illis Decretis*, quod est *de quibusdam postulantibus non admittendis*, pro nostra Societate minimam usu atque exercitatione difficultatem habet. Nam qui postulantes sine singulari venia Sedis apostolicae et sub poena nullitatis professionis in Decreto dicuntur non esse excipiendi sive ad tirocinium sive ad vota religiosa emittenda, ii plerumque tum ex natura rei, tum ex illis Instituti nostri legibus, quae de impedimentis essentialibus et secundariis agunt, a Societate jam excluduntur. Quare in plerisque hujus Decreti dispositionibus accessit legibus Instituti nostri non solum *major et firmior obligatio ex lege pontificia*, sed *gnavior etiam sanctio ex nullitate professionis*, pro iis quoque casibus antea in Societate non constituta.

Quod Decretum cum evidenter conditum sit, ut ab Ordinibus et Congregationibus religiosis efficacius arceantur indigni, et severiori consulatur disciplinae; etiam a Societate grato animo est acceptandum et ad amussim servandum, *ne postea late reserentur exeuntibus januae*, atque dimissiones nimis multiplicentur. Igitur quam-

diu a S. Sede datae non fuerint authenticae et benigniores declarationes generales, tamdiu etiam n. 2 et 4 hujus Decreti in severiorum partem potius interpretandae sunt et applicandae, quemadmodum a S. C. de Religiosis in nonnullis casibus particularibus pro nostra Societate jam est factum. Hinc ad usum quod attinet, non solum Praeposito Generali supplicandum erit, ut venia a Sede apostolica obtineatur, si quis post nuncupata vota religiosa e Societate sive invitus sive ex sua libera petitione fuerit dimissus, et in casu quodam raro et plane extraordinario denuo in Societatem videatur esse admittendus; sed idem a Praeposito Generali petatur necesse est, si Novitus sive invitus, sive propria inconstantia, vel temptationibus victus, vel quacumque ex causa sponte libereque discedat atque deinceps, re melius considerata, a P. Provinciali postulet, ut ad Tirocinium iterum admittatur. Sive enim Novitus sponte recedit, sive *invitus* amandatur, perinde censemur ac *dimissus*.

2. Etiam *Decretum*, quod octo articulis seu paragraphis authenticas habet *declarationes de articulo 6 Decreti « Auctis admodum »* circa studia virorum religiosorum, in plerisque articulis non gravem offert difficultatem pro nostra Societate promptamque exigit obedientiam illarum etiam paragraphorum, quibus aliquid novi oneris nobis imponi videtur.

Hoc autem ipso primo Decreti articulo obtingit, qui negat, posse licite dari vel accipi literas testimoniales, si qua anni vere academici vereque scholaris abbreviatio facta sit. Quae cum ad amussim nobis servanda sint, patet, illum dici et reputari non posse legitimum studiorum annum, quem quis aliud officium, puta, praefecti vel magistri agens in Collegio transigeret.

Articulus vero secundus multo minorem nanciscitur difficultatem, cum Nostri ex usu Societatis tum in cursu superiore tum in cursu compendiario sive minore, nisi completo anno tertio theologiae, ad sacrum presbyteratus Ordinem non promoveantur atque tantum eodem fere tempore Ordines subdiaconatus et diaconatus suscipiant. Qui usus omnino est retinendus, ut eo securius etiam articulo secundo novi hujus Decreti satisfiat.

Articulus tertius, qui, triennio theologiae rite emenso, quartum etiam annum addit, pro nostris Scholasticis duas habere difficultates videtur. Altera enim est pro cursu superiore, quo theologiae auditores quatuor ultimis postremi anni mensibus, dum examen ad gradum praeparant, non amplius ad frequentandas preelectiones theologicas

coguntur; altera pro cursu compendiario sive minore theologiae, cui post triennium theologicum rite completum et sacrum presbyteratus Ordinem susceptum quartus annus scholasticus addendus videtur, quo etiam nostri auditores cursus compendiarii sive minoris theologicis studiis in scholis incumbant.

Prior difficultas facile solvit ex vivae vocis oraculo, in audiencia die 5 Decembris anni 1909 a SS. Domino accepto, quo is mihi declaravit: Nostrum usum amplius non *cogendi* auditores quarti anni theologiae ad preelectiones frequentandas, dum quatuor ultimis mensibus quarti anni theologiae praeparant examen ad gradum, novo Decreto non esse contrarium, dummodo illi menses vere impendantur serio solidoque studio ad examen ad gradum preeparandum. Hinc quatuor istis mensibus magis attendatur oportet *obligatio* ad serum solidumque studium privatum per generales repetitiones, recapitulationes, disquisitiones comparatas, supplementa universae philosophiae et theologiae proprio labore collecta, quam *libertas a scholis adeundis*. Praeterea illa immunitas preelectionum non concedatur ante ultimos quatuor menses curriculi scholastici juxta responsa alias data a R. P. Roothaan an. 1844 Provinciae romanae, et a R. P. Martin anno 1904 universitati gregoriana, et hisce ultimis annis iterum ac saepius repetita. Quare si annus scholasticus in aliqua Provincia die 31 Julii in festo S. Ignatii finiatur, illa preelectionum immunitas recte non est concedenda ante diem 14 Martii, et multo minus mensibus Januario vel Februario. Auditores tamen ultimi anni cursus compendiarii theologiae hoc favore non amplius frequentandi preelectiones per quatuor menses non gaudent, licet quartus annus cursui minori theologiae addatur, sed usque ad consuetum terminum scholas tenentur celebrare.

Verum major est difficultas quarti anni addendi cursui nostro compendiario theologiae. At si locum et contextum hujus novi Decreti secundum sensum obvium accurate examinemus et insuper attendamus, nequaquam cursim obiterque, sed ex professo agi hic de *duratione* et *qualitate* studiorum in Institutis virorum religiosorum, nobis esse dubium non poterit, quin cursui nostro compendiario sive minori theologiae quartus annus sit addendus. Hoc porro sensu obvio vix non omnes viri docti novum Decretum intellexerunt. Accedit, quod cum decore Societas petere non possit privilegium contrahendi triennio suum cursum theologiae etiam compen-

diarium, cum quadriennium ad studia theologica omnibus sacerdotibus saecularibus in Italia et frequenter etiam extra Italiam praescribatur, idemque imperetur in aliis Ordinibus religiosis, v. g. Patrum Capuccinorum, Franciscanorum, Praedicatorum etiam pro cursu compendiario sive minore, seu, ut vocant, seminaristico theologiae, a cursu universitario distincto, et menti Romani Pontificis a me exploratae sit quam maxime conforme. Cf. quoque novam Declarationem S. C. de Religiosis 21 Dec. 1909: *Aequali ac sacerdotes saeculares debent scientia pollere sacerdotes regulares*¹.

Unice igitur expendendum erit, quomodo cursus ille quatuor annorum theologiae compendiariae inde ab anno scholastico 1910-1911 pro nostris Scholasticis sit ordinandus. Qua in re triplicem quasi viam a Nostris propositam esse video, Alii enim malunt pro cursu superiore et minore theologiae instituere scholas communes etiam theologiae dogmaticae et moralis, servato tamen distincto utriusque cursus gradu praesertim pro examinibus; quod consilium non levibus exceptionibus videtur esse obnoxium. Alii vero cursum duplicum volunt plane distinctum, cum distincta schola saltem dogmatica, imo etiam morali, ut satis insinuat in antiqua et nova Ratione studiorum (cf. Rat. stud. Reg. Prov. 9, 12; Reg. prof. theol. mor. 7), et in Ordinatione R. P. Roothaan de sacrae theologiae studio promovendo 15 Oct. 1847, n. 6. Alij denique viam medianam praeferunt, ita ut primus annus, qui est theologiae fundamentalis, sit utriusque cursui, superiori scilicet et minori, communis; ceteri anni, saltem quoad scholas theologiae dogmaticae, imo etiam moralis, sint distincti, quemadmodum fit in Universitate gregoriana et in more est apud PP. Praedicatorum. Singuli igitur Praepositi Provinciarum, re diligenter cum suis Consultoribus et peritis professoribus discussa, proponant approbationi Praepositi Generalis, quae pro cujusque Provinciae conditione magis convenire videntur.

Supra dixi, expendendum esse, quomodo ab anno scholastico 1910-1911 cursus noster compendiarius sive minor theologiae sit ordinandus. Nam ex benigna et satis probabili interpretatione novum Decretum non videtur illos nostros Scholasticos afficere, qui nunc jam in cursu compendiario theologiae versantur. Nam leges vim retroactivam habere non solent, nisi nominatim de illa caveatur, atque in ordinem jam diu stabilitum et re non amplius integra le-

¹ Act. Ap. Sed. II, 35.

gislator non videtur velle introducere perturbationem. Verumtamen ut etiam paucis ipsis transitus annis ad novum studiorum ordinem quam proxime accedamus, juxta legis literam mentemque legislatoris auditores cursus brevioris *triennio theologico rite completo* statim post absoluta studia et sine temporis dilatione ad tertium annum Probationis mittantur (id quod nostro quoque Instituto ex Ordin. gen. cap. 3, n. 1, est magis consentiens), et ne prius tamquam ordinarii Operarii ad Residentias vel Collegia applicentur.

Quartum articulum, qui studia philosophica seu lycealia et humaniorum literarum seu gymnasalia et primaria studia cum testimonio de bene superato periculo requirit, facile Societas exsequi potest. Jubentur enim res ex natura rei commendatae et jam pridem usu apud nos receptae. Pro diversitate autem Provinciarum ex aequo et bono dijudicandum erit, utrum quaedam testimonia ex sese valeant fidemque mereantur, an potius per examen peculiare sint supplenda.

Quae deinde articulo quinto praescribuntur, nimirum primaria studia et gymnasalia seu humaniores literas esse peragenda ante ingressum in Tirocinium, ea, ad substantiam quod attinet, normam continent a Congregatione generali XX, decr. 12. datam. *Non admittantur in Societatem nisi vere apti, et ut plurimum qui rhetoramicam absolverunt, nec sine examine, aut non bene probati.* Quae regula designat cursum quandam studiorum inferiorum nostrae Rationis studiorum, qui pro diversitate regionum quinque vel sex annis absolvitur. Cum autem romanus Pontifex permittat, ut quis jam post quartam classem in Tirocinium admittatur, dummodo: a) decimum quintum aetatis annum excesserit, b) statim post Tirocinium rite curriculum humaniorum compleat, c) finale periculum bene superet; in multis Provinciis vix ulla est difficultas, cum etiam plus praestent, quam romanus Pontifex exigat. Quod quidem si in nonnullis Provinciis propter singulares rerum conditiones novum Decretum pontificium servari, et normae a Congregatione XX datae ad literam teneri non possint, vel si agatur de studiis non publice in scholis, sed privatim peractis, Praepositus Generalis est interrogandus, qui hac de re ex audientia sibi concessa mentem romani Pontificis pro nostra Societate exploratam habet, ut eidem ad rem quod attinet variis modis facile et copiose satisfieri possit.

Reliqui articuli, dummodo recte intelligentur, et cum aequitate canonica serventur, re et facto pro nobis non habent difficultatem;

neque propter casus plane extraordinarios articulo sexto commendatos, privilegia generalia sunt imploranda, quae videntur esse magis odiosa, quam levia illa incommoda, a quibus liberamur. Qua ratione v. g. etiam R. P. Martin b. m. noluit petere immunitatem a Decreto *Auctis admodum*, ad numerum quod spectat annorum brevioris cursus theologici et studium dogmaticum singulis Ordinibus sacris in eodem cursu majore cum rigore praemittendum.

3. Tandem, ut ad ultimam hujus epistolae partem veniam, *Instructione circa debita suscipienda*¹, quatenus etiam ad Societatem spectat, certe novus nobis stimulus esse debet, ut a debitibus *inconsulte et intemperate contrahendis* sedulo abstineamus. Praeterea Instituti nostri praescripta, quae novo hoc Decreto continentur, novo etiam pontificii juris titulo nos obligant, atque adeo accuratius a Nostris servari debent. Id quod potissimum valet v. g. de articulo XI, qui vetat, bona quaecumque, quae quomodolibet Missas habeant adnexas, debitibus aut obligationibus oeconomicis gravari, et pecunias, pro Missis manualibus vel aliis datas, ulla ratione expendi. Ab hoc porro articulo servando ex natura rei et sine scandalo vix quisquam se subducere potest.

In reliquis vero si quae remaneat difficultas ad nominationem quod attinet et suffragia secreta et deliberativa Consultorum generalium, provincialium, localium in administratione nostrarum rerum temporalium, illa facile solventur. Etenim SS. Dominus in audiencia die 5 Decembris anni 1909 mihi concessa, postquam brevem et accuratam audivit expositionem juris de Consultoribus generalibus, provincialibus, localibus in Societate constituti etiam pro administratione rerum temporalium, oraculo vivae vocis declaravit, nos in jure nostro servando per novum Decretum non impediri. Quare nihil restat, nisi ut ea, quae in Instituto nostro de Consultoribus et consultationibus atque de administratione rerum temporalium praescripta sunt, et hisce literis accuratius determinantur, fideliter serventur. Inde fiet, ut novae Instructioni pontificiae, ad ejus substantiam quod pertinet, plene satisfaciamus, v. g. art. 6 sq. cf. Ordinationem R. P. Martin 21 Junii 1894, II².

Qua in re, si quae in specie magis sint commendanda, ea pree-

¹ Haec tertia epistolae pars quoad materiam pertinet ad totius libri partem quartam, cf. infra p. 316.

² Infra p. 292 sqq. n. 22, 23, 26, 39, 40.

sertim spectant ad studium et usum Instructionis pro administratione rerum temporalium in editione Florentina Instituti, vol. III, p. 388, sqq., et Ordinationis 21 Junii 1894, atque Instructionis 25 Decembris 1895 R. P. Martin de eadem materia¹. Habeantur igitur imprimis praescriptae consultationes Domus et Provinciae, antequam expensae majoris momenti fiant; neque Superiores contra unanimem vel majorem partem suorum Consultorum nimium fidant suo iudicio, sed prius ad immediatum Superiorem recurrent, multoque minus ad arbitrium disponant ultra summas sibi permissas. Deinde quae de ratione exigenda sive a Procuratore Provinciae, sive a Procuratore Domus sancita sunt, Praepositi provinciales et locales diligenter servent. Id quod potissimum nunc valet de Procuratore Provinciae, cui administratio arcae seminarii solet esse commissa.

Quare si in citata Instructione nostri Instituti legitur: *Unum restat, in quo pene sunt omnia; quam accuratissime singulis mensibus dati et accepti rationes a Procuratore exigat (Rector) ex Regula sui officii 57 (adstante Ministro)²*; certe etiam Praepositus Provinciae per annum saltem tertio quoque mense a Procuratore Provinciae de arca seminarii et aliis arcis v. g. foundationum vel causarum piarum rationem etiam scripto reddendam exigat, adstante et adjuvante alio Patre in rebus temporalibus administrandis valde perito, a P. Provinciali, auditio voto Consultorum Provinciae designato et a P. Generali approbato. Annua vero ratio totius pecuniae a Procuratore Provinciae administratae pariter scripto redditatur coram P. Provinciali, Consultoribus Provinciae atque alio Patre in rebus temporalibus administrandis valde perito, ut supra dictum est, a P. Provinciali cum Consultoribus designato et a P. Generali approbato. Quod si divisio arcae seminarii facta est, Procurator Provinciae, qui administrationem fundorum ad diversas Domos pertinentium retinet, singulis quoque Rectoribus et Superioribus localibus saltem per literas scripto reddat rationem eorum, quae gessit, in quantum haec ad ipsorum Domos spectant³.

Cum vero nostris temporibus etiam administratio rerum tempo-

¹ Infra p. 290 sqq., 306 sqq.

² III (edit. Florentina anni 1893), p. 393, n. 9.

³ Cf. Ordin. R. P. Beckx 19 Mart. 1859 de arca semin. infra p. 285. Ordin. R. P. Martin 21 Jun. 1894 de administr. rer. temp. infra p. 297, n. 20.

ralium in singulis Domibus accuratiore revisione indigeat, quam Provincialis vix per se vere et solide instituere potest, utatur hac in re adjutorio P. Procuratoris Provinciae, vel alterius Patris in re oeconomica multum versati et a se et Consultoribus Provinciae designati atque a Praeposito Generali approbat, qui quovis saltem biennio singularum Domorum statum temporealem serio visitet accuratamque de eodem rationem Provinciali reddat. Qua ratione in stabilem usum deducetur illud, quod jam in Instituto in Regula 7. Procuratoris Provinciae commendatur. Meminerint quoque omnes tum subditi tum Superiores, reddendam esse rationem etiam de administrationibus particularibus, licet pecunias aut alias res spectet, quae non in utilitatem Domus aut Collegii, sed in alium finem impendendae sunt. Cf. rescriptum R. P. Beckx 16 Januarii 1864: *Nec ullo modo probari, si quis in hisce vel aliis similibus quidquam in rationibus Provinciali exhibendis occultaret. Summi enim momenti est, ut huic status temporalis cujusque Domus plene perspectus sit*¹. Superiores quoque sciant, non licere de ulla redditibus ita libere disponere, ut nemini rationem de usu illorum reddant. Generatim igitur omnes redditus sive eleemosynas, quas ipsi immediate percipiunt, Procuratori tradant, ut in libris communibus computorum inscribantur. Quod si in casu particulari cum facultate Provincialis (non facile concedenda) pecunias speciali fini destinatas administrant (v. g. pro ornamenti templi), de his quoque Provinciali accuratam rationem reddant. Provinciales vero in relationibus trienalibus de statu temporali ad P. Generalem transmittendis rationem reddant non solum de arca seminarii, sed de omnibus aliis arcis et de proventibus ab ipsis perceptis.

Ad quae diligentius exsequenda plurimum conferent verba ipsa Decreti pontifici sub n. 7, quae sic se habent: *Graviter oneratur Moderatorum conscientia, ne per se vel oeconomum, vel aliter, consiliariis occultent ex toto vel ex parte, bona quaecunque, redditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint Moderatori intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, sincere, fideleriter revisioni, examini et adprobationi Consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel oeconomiam respicientia, pariter consiliariis exami-*

¹ Consuetudines Provinciae neerlandicae (Hagae-Comitis 1890) Appendix p. 98.

nanda tradantur. Cf. etiam pulcherrima verba R. P. Roothaan, quae ad eandem materiam referuntur: *Meminerint Nostris, se non sua administrare sed aliena, nempe Christi bona, de quibus rationem reddere Superioribus tenentur; quod vel ex ipsa paupertatis natura, quam religiosi profitemur, sequitur. Unde non sine rubore commemo, quod aliqui quandoque, nescio quo spiritu ducti, non satis aperte et candide in hoc genere agere videantur, specie quidem zeli pro domus suae, ut putant, utilitate, sed boni communis damno vel incommodo multiplici, suarumque animarum periculo non levi*¹.

Curandum quoque est, ut Procuratores Provinciae et singularem Domorum non tantum statis temporibus rationem reddant *praeteritae* administrationis, sed etiam pro anno *futuro*, v. g. mense Septembri vel Decembri, proponant calculum conjecturalem seu, ut solent vocare, *praeeventivum* (Budget) de redditibus percipiendis et expensis praesertim *extraordinariis* faciendis, et de ratione expensas certo sustinendi; quemadmodum fit in bene ordinatis administrationibus tum saecularibus tum ecclesiasticis, atque etiam a Procuratoribus providis in Societate. Cf. cit. Ordinationem R. P. Martin, II².

Ut facilius servetur novum Decretum pontificium de debitibus incautis vitandis, multum conducet, si diligenter executioni mandentur, quae de arca foundationum in Congregatione generali XXIV decretis 17, 22, Ordinatione R. P. Martin 21 Junii 1894 de administratione rerum temporalium I.³ statuta sunt, et insuper ex regulis prudentis et providae administrationis de *fundo reservato* suadentur.


Quod si in casibus particularibus ad servanda ista Decreta S. C. de Religiosis difficultas occurrat, Praepositus Generalis interrogandus erit, qui quatenus opus sit, indultum apostolicum implorabit.

Atque haec sunt, quae de exsecutione trium Decretorum sanctae Sedis post maturam deliberationem et de consilio Patrum Assistentium mihi in Domino statuenda et enixe commendanda videntur. Velit igitur Reverentia Vestra juxta Regulam 14 has meas literas communicare cum Superioribus Missionum, Superioribus, Consultoribus, Procuratoribus localibus aliisque Patribus, quibus Reverentia Vestra hanc epistolam manifestare opportunum esse duxerit.

¹ Ibid. p. 98.

² Infra p. 303 sqq., n. 39, 40, 43, 44.

³ Infra p. 293, n. 7 et 8.



PARS QUARTA
DE REBUS TEMPORALIBUS

ATMOSFERA

KUMLAKOMER 2000 m

PARS QUARTA

DE REBUS TEMPORALIBUS

LXII.

R. P. N. JOANNIS PAULI OLIVAE
EPISTOLA AD PROVINCIALES MENSE JULIO 1665.

De executione Ordinationum circa res temporales administrandas.

Grande aes alienum et angustiae gravissimae rei familiaris, quibus pleraque nostra Collegia obrui fere in dies video, non mediocrem mihi creant pro incolumitate Societatis sollicitudinem. Nihil quippe tam contrarium paupertati religiosae aut observantiae regulari, quam magna inopia rerum ad vitam sustentandam necessariarum, quia deficientibus hisce in Collegiis suboriuntur statim praetextus eas aliunde conquirendi; et dum in eo connivetur a Superioribus, necesse est, ut disciplina religiosa in plurimis valde labefactetur. Cum autem animadvertissem, praecipuam hujus mali labem ex incuria Superiorum originem ducere et ex neglectu Ordinationum, quae alias a Praepositis Generalibus summa cum prudentia ad rem familiarem conservandam atque amplificandam conditae sunt, ideo de consilio Patrum Assistentium visum est mihi, nonnulla ab iis saluberrime instituta hisce renovare, et nominatim quae P. Claudius venerandae memoriae literis suis encyclicis anno 1601, mense Aprili datis praescripsit, quae sic se habent:

Nulli Rectorum liceat pecunias mutuo accipere, aut aes alienum contrahere, nisi ob urgentem necessitatem victus vel vestitus nostrorum; et tunc summa non excedat scuta 30 vel 40 in una vice, nec id fiat nisi de sententia omnium Consultorum et praevio examine, an sit certa restituendi facultas intra congruum tempus; nec liceat hujusmodi summas accipere saepius quam ter in anno, idque sine solutione lucri cessantis vel damni emergentis; nam hoc prohibitum postea fuit sub gravissimis poenis auctoritate Urbani VIII, sine li-

centia sacrae Congregationis Concilii. Et si urgens necessitas exigit majorem summam, fas non sit illam mutuo sumere, nisi de licentia Provincialis, cui teneantur Rectores explicare causas necessitatis et facultatem, quam habeant, restituendi. Provincialis autem advertat, ne extendat licentiam plus quam est praecise necessarium, et in victu ac vestitu servetur moderatio et paupertas, quae in Societate servari solet.

Prohibeantur denuo fabricae seu exstructiones, quamvis minimae, atque etiam reparations sine expressa licentia Provincialis, qui eam non dabit ad res, quae excedant summam centum scutorum per totum triennium Rectoratus, injussu nostro.

Provincialis, quando visitat Collegia, diligenter recognoscat rationes non solum, quid acceptum seu expensum generatim sit, sed etiam in quibus rebus et quam necessario sumptus facti fuerint, et an debito tempore cum emolumento res sintemptae vel venditae. Rectores vero, quos in his compererit defecisse, pro rei gravitate puniat, etiam publicis reprehensionibus in refectorio, vel alias poenitentias imponendo; et, si notabilis fuisset eorum in hoc genere negligentia, admoneat nos, ut de eorum suspensione vel amotione ab officio deliberemus. Atque hoc postea confirmavit Congregatio octava decreto 15.

Legata, quae obvenient, uti et legitimae omnes Nostrorum, non applicentur aliis usibus quam extinctioni debitorum; nec de alia applicatione admittatur tractatus, etiam ad emenda bona stabilia, sine nostra expressa facultate.

Detur opera, ut instituantur viri apti ad munus Procuratorum, et ad illud serio sese applicent sacerdotes, etiam aliis talentis insignes.

Evitentur diligentiter itinera et mutationes personarum, quae non erunt omnino necessaria; quia in his fiunt sumptus immoderati, praecipue quando iter equo vel curru instituitur, et comparantur superflua ac curiosa, quae donentur Nostris vel externis. Quod vero supererit de viaticis post confectum iter, quamvis ea ex eleemosynis obvenerint, applicetur utilitati Collegiorum.

His adjungimus, quaecumque habentur in Instructione pro administratione rerum temporalium, confecta Congregationis octavae auctoritate et a P. Carrafa p. m. ad Provincias transmissa, ordinando, ut semel singulis annis, hoc est sub initium cujuslibet, legatur illa Instructio in consultatione coram Consultoribus, Mini-

stro et Procuratore Domus, et omnia, quae in illa praescribuntur, exacte observentur.

Oneramus in his conscientias Provincialium tamquam in re gravissima; et in praesentiarum abstinemus ab imponendo super iis praecepto in virtute sanctae obedientiae omnibus Rectoribus; quia illud postea imponi poterit, quando experientia constabit, hanc meam admonitionem et ordinationem (quod Deus avertat) exsecutione caruisse.

LXIII.

R. P. N. JOANNIS Roothaan
EPISTOLA AD PROVINCIALES 26 JUNII 1847.

De modo renuntiationis bonorum a Nostris facienda.

Ut in negotio tam gravi, quale est bonorum renuntiatio, accuratius uniformiusque serventur, quae in nostro Instituto praecripta sunt, omnisque simul officionis occasio, quantum in nobis est, evitetur, sequentia, veluti ad praesentium temporum difficultates accomodata regula, proponenda visa sunt:

Bona, quibus Nostri renuntiare debent, triplicis generis considerari possunt:

1. Primi generis sunt ea, quae *actu* quis possidet. De his renuntians potest libere disponere cum facultate Superiorum ad mentem Instituti nostri.

2. Secundi generis considerari possunt *eventualia*, ea scilicet ad quae nullum jus habet, sed quae ipsi obveniunt etiam post renuntiationem vel post ultima vota ex dono aut ex legato. Horum non est cur mentio fiat in renuntiatione, cum per se pateat, haec ab ipso accipi quidem posse, non sibi, sed Societati, tamquam eleemosynam a Superioribus dispensandam; modo non appareant donata vel legitata fuisse in remunerationem exhibiti Societatis ministerii, quo in casu acceptari non possent.

3. Tertii generis sunt *hereditaria*, quae scilicet non nisi post mortem parentum aut propinquorum ei adventura sunt. De his, cum nondum sint sua, non potest disponere qui renuntiat; sed debet illa simpliciter renuntiare, et per renuntiationem jus omne ad illa prorsus abdicat et amittit. Hoc exigit omnino paupertas, quam in So-

cietate profitemur, idque a renuntianti in scripto parentibus et propinquis significandum, ut difficultates praecaveantur.

Potest quidem renuntians parentibus et propinquis desiderium suum exprimere, ut ex haereditate, quae ipsi, seclusa renuntiatione, necessario obvenisset, certa aliqua pecuniae summa vel pensio vitalitia alicui bono operi aut Collegio aut Domui Societatis applicetur, atque hoc suum desiderium in ipso renuntiationis actu consignare. Attamen scire renuntians suisque etiam parentibus et propinquis significare debet, ex hoc suo expresso desiderio nec sibi, nec Societati, nec Collegio aut Domui, nec alteri cuicunque jus ullum acquisitum iri; ita ut penes parentes et propinquos omnino stet pro illorum benevolentia illius desiderii rationem habere vel non habere.

Ipsa quippe Societas nullum jus habet, neque ad bona, quae aliquis Nostrorum actu possidet ante renuntiationem, multoque minus ad eorum hereditatem quamcumque. Possunt tamen Superiores renuntiatio modo exponere necessitates Societatis, vel Provinciae, vel Missionum exterarum, ita tamen ut hic liber maneat in sua dispositione, modo recte fiat juxta leges justitiae et caritatis.

Juxta superius dicta formula renuntiationis componenda est. Quod sicubi per leges civiles renuntiatio secundum jus Societatis fieri non potest, sciat tamen renuntians, renuntiationem suam, licet scripto privato factam, in foro Ecclesiae et conscientiae omnem vim suam obtinere, neque ullo modo posse mutari aut retractari.

Legant renuntiaturi Exam. gen. c. IV, n. 1, 2, 3 et 5, item Ord. Gen. c. I, n. 10.

LXIV.

R. P. N. PETRI BECKX
EPISTOLA AD PROVINCIALES 19 MARTII 1858.

De censibus seu obligationum vel actionum emptione et venditione.

Ad quaesitum de censibus, qui titulorum, obligationum vel actionum nomine veniunt, in hunc usque diem respondere distulimus, propterea quod res, de qua quaerebatur, multam et seriam exigebat considerationem. Expositum quippe nobis est:

Quoniam hac nostra aetate in multis regionibus familiae religiosae bona immobilia possidere a lege civili non permittantur, at-

que ea de causa etiam pecuniam hypotheca accepta foeneri dare tuto nequeant; ab iisdem familiis religiosis census, quos vulgari nomine titulos, obligationes, vel actiones, sive aerarii publici, sive coetuum privatorum appellant, emi consuevisse. Contingere autem ut hi census, eo quod valor ipsorum constans non sit, saepe numero cum lucro vendantur, interdum vero sine damno teneri non possint. Cum igitur in ejusmodi censibus emendis et vendendis negotiationis periculum intervenire facile possit, opportunam a nobis postulari declarationem, qua cognoscatur, quid ea in re liceat Societatis nostrae hominibus, ut quibus non ipsa modo negotiatio, sed etiam quaecumque negotiationis speciem habent, interdicta sint ¹. Nos igitur postulantium religionem et regularis observantiae studium summopere laudantes, secundum ea quae tum in jure ecclesiastico communi, tum proprio Societatis nostrae, ac praesertim in Congregationis septimae Decr. 84 praescripta necnon a summis theologis, ac nominatim D. Thoma ² tradita sunt, auditis etiam Patribus Assistentibus aliisque harum rerum peritis, super exposito dubio respondendum in Domino arbitramur, ut sequitur:

1. Licet Nostris census supradictos emere ad fructum legitimum ex pecuniis propriis percipiendum; non vero emere eos licet eo fine, ut carius postea vendantur. Quoad eos titulos seu actiones autem, quorum census incertus pro majori vel minori lucro ex usu summae capitalis percepto inter socios dividendus est, Nostri bene attendant responsum a R. P. Mutio Vitelleschio die 16 Martii 1624 in haec verba datum: *Est negotiatio nobis prohibita, si quis Nostrorum praestet mercatori pecuniam ad aleam incertam quaestus et damni.*

2. Census emptos vendere et permutare licet, quoties periclitantur aut sine damno teneri nequeunt; licet eos etiam vendere, cum occasio alios magis utiles nec minus securos acquirendi datur ³. Cum vero nulla talis subest causa, non licet census, pro variabili ipsorum valore, emendo et vendendo permutare, ita ut ipsa hac permutatione lucrum quaeratur; multo vero minus licet ejusmodi permutatione pecuniam, quae patrimonium pauperum est, lucri quaerendi gratia, velut aleam jaciendo, incertae fortunae committere.

Propterea ut Nostri omnem negotiationis labem facilius evitent,

¹ Cf. Congr. II, decr. 61.

² II, 2, q. 77 ad 4.

³ Cf. Congr. VII, decr. 85.

in his censibus emendis ii p^raet ceteris seligantur, qui a saeculi fluctuationibus et periculis magis videntur remoti. Unde tituli aut obligationes status, ut vocant, generatim iis, quae ad privatorum societas spectant, p^raeferantur.

Quod si haec regulae religiose serventur in censum istiusmodi administratione, non nisi raro eorum permutatio necessaria erit. Praepositus autem Provincialis non sinet eam a Procuratore Provinciae vel Superioribus localibus fieri, nisi prius ab ipso facultatem acceperint; quam quidem, cum de notabili summa agitur, non concedet, nisi re cum Consultoribus serio discussa, et si per tempus licet, nobiscum communicata et a nobis approbata. Permutatio vero eorum censum qui, etsi a Procuratore Provinciae aserventur, Collegio tamen vel Domui alicui applicati sunt, Superiori locali inscio fieri non debet, nisi forte periculum inopinatum urgeat.

Atque haec sunt, quae de re proposita describenda necnon omnibus, ad quos pertinet, enixe commendanda nobis visa sunt. Quocirca Reverentia Vestra hoc nostrum responsum cum Consultoribus suis et Superioribus localibus communicet, et vigilanti cura efficiat, ut, quae in eo declarata sunt, costanter et exacte serventur.

Quodsi casus aliquis speciales offerat difficultates, quae ex superiori dictis solvi non possint, ad nos deferri potest, et responsum suo tempore dabitur.

LXV.

R. P. N. PETRI BECKX
ORDINATIO 19 MARTII 1859.

De arca Seminarii Provinciae.

Ex Instituti nostri norma Probationis Domus et Collegia Nostrorum, haud secus atque cetera, sic constituenda sunt, ut suam quodvis dotem propriam possideant, eamque per se ipsa, invigilante Praeposito provinciali, administrent. Quoniam vero hac nostra aetate non una in regione per difficile est domicilia ad hanc normam fundare, necnon fundata, si quae fuerint, tuto possidere; hinc, probante antecessore meo p. m. R. P. Joanne Roothaan, in nonnullis Provinciis institutum est, ut ex donis pro Nostrorum educatione acceptis summa pecuniae confaretur Provincialis cura administran-

da. Haec arca Seminarii Provincias dici consuevit, quippe quam Domus, in quibus Nostri educantur, in commune possideant, et cuius proventu singulae sustententur. Jam vero ne haec praxis occasio fiat violandi ea, quae nobis in Instituto de paupertate ac bonorum possessione et administratione praescripta sunt, auditis Patribus Assistentibus aliisque viris peritis, sequentia mihi sive declaranda sive statuenda visa sunt:

Quandoquidem hujus arcae usus de speciali Praepositi Generalis licentia nec nisi compellente temporum iniquitate introductus est, Provinciales intelligent, non solum sibi permisum non esse, arcam hujusmodi, ubi nondum existit, instituere, sed etiam, ubi existit, eo se diligenti et vigilanti cura collineare debere, ut quanto citius fieri potest, Domus Probationis et Collegia, ubi Nostri student, ad consuetam Societatis normam fundentur. Quapropter ubicumque collecta hactenus pecunia ad id sufficere videatur, Provincialis auditis suis Consultoribus rationem, qua inter Domus et Collegia illa dividatur, nobis proponat.

Hac facta divisione Rectoris est, sortem Domui cuique attributam secundum Societatis Regulas per Procuratorem administrare. Quodsi quae possidentur ejusmodi sunt, ut a singulis Procuratoribus commode curari nequeant, id quod nominatim in iis, quos vel *titulos* vel *obligationes* dicunt, contingere solet, eorum administratio sive Procuratori Provinciae sive alii a Provinciali deputato committi quidem potest, ita tamen, ut hic cujusque Domus rationes distinctas teneat et singulis Rectoribus eorum quae gessit rationem reddat.

Ubi vero divisio praedicta fieri nondum potest, atque propterea arca Seminarii communis retinetur, Provinciales fixum animo tenant, omnium bonorum, quae Seminario Provinciae applicata sunt, etsi a Provinciali per Procuratorem ab ipso constitutum administrentur, proprietatem tamen nequaquam penes Provinciam, quippe quae omnis possessionis incapax sit, sed penes Domos et Collegia esse, quae Seminarium Provinciae constituunt.

Quemadmodum igitur, ubi Domus ad consuetam Societatis normam fundatae sunt, fas non est Provincialibus earum bonis vel redditibus ad alios fines uti; ita nec Seminarii pecunii Domus ulla vel ecclesias, quae ad Seminarium non pertinent, aedificare vel instruere, aut redditibus ejus alias personas, nisi quae Domibus Seminarii justis de causis applicatae sunt, sustentare licet.

Neque in usus Provinciae communes aut alia opera, quantumvis pia, reditus aut bona Seminarii impendi possunt; in exigenda autem contributione ad sumptus communes servetur Regula Provincialis 83.

Etsi per se vetitum non sit, ex arca Seminarii aliis Domibus vel Collegiis pecuniam mutuo dare, ad gravissima tamen incommoda praecavenda prohibetur, ne id unquam fiat sine Praepositi Generalis expresso consensu.

Si quae sunt bona stabilia vel summae capitales censum ad usus communes Provinciae donata, ea, ut saepe a Praedecessoribus meis declaratum est, sub proprietate alicujus Collegii constituenda sunt ea conditione, ut fructus annui ad mentem donatorum fideliter in hos solos usus communes Provinciae expendantur. Licet igitur ejusmodi applicatio etiam ad Seminarium Provinciae fieri possit, non tamen haec bona et reditus cum bonis et redditibus Seminarii in unam velut massam confundi licet.

Quoniam Praepositi Generalis est, de iis, quae neque certae Domini neque ad finem determinatum, sed ita donantur, ut Societas iis pro arbitratu suo uti possit, disponere, Praepositi vero Provinciales eam partem hujus facultatis habent, quam ipsis Generalis communicaverit¹; permisum sit Provincialibus, ejusmodi dona, si summam mille scutatorum romanorum non excedunt, Seminario Provinciae, aut si huic provisum est, alii Collegio applicare, nisi ejusmodi dona pro occurrenti quavis necessitate ad tempus (non tamen ultra duorum annorum spatium) deposita servare maluerint.

Cordi quam maxime habeant Provinciales, ut Seminarii Domibus certa et sufficiens fundatio obtineatur. Ad quam etsi procul dubio apta quoque aedificia pertineant, caveant tamen ne his, magis quam vera necessitas requirit, amplificandis vel adornandis Seminarii pecuniae, ad Nostros sustendandos necessariae, consumantur. Atque hic in memoriam vocari juvat, quae de aedificiorum ratione Congregationum generalium Decretis praecepta sunt, ut scilicet ad habitandum et officia nostra exercenda utilia, sana et fortia, sed nec sumptuosa nec curiosa, sed paupertati et simplicitati religiosae consentanea sint².

Quamvis in eundem finem, ut scilicet Seminarii Domus convenienter fundentur, donatores suaviter induci possint, ut oblata dona

¹ Cf. Const. p. nona, c. III, n. 6 et 7.

² Congr. I, decr. 113.

illis Domibus prae reliquis applicari sinant; non sunt tamen urgendi nimis. Nostri autem, qui bona renuntiant, *si quid Societati elargiri velint, sciant oportet, majoris perfectionis esse, id relinquare dispositionem P. Generalis, quam tenero affectu descendere ad Collegia vel loca particularia*¹.

Pensiones annuae, quae super Nostrorum personis constituuntur, cujuscumque sint generis, judicio Praepositi Generalis certae alicui Domui vel Collegio applicandae sunt². Ubi vero Domus Seminarii modo superius dicto³ fundatae nondum sunt, arcae seminarii attribuantur.

Denique ubicumque haec Seminarii arca instituta est, cum trieniales catalogi Romam mittuntur, adjungatur in posterum etiam catalogus rerum Seminarii Provinciae; singulis vero annis status temporalis ejusdem Seminarii eo fere modo, qui in elenchis visitationis Domorum servatur, Praeposito Generali exhibendus atque eodem tempore de expensis Provinciae communibus ratio reddenda est.

LXVI.

R. P. N. ANTONII MARIAE ANDERLEDY
ORDINATIO 31 JULII 1887.

De stipendiis Missarum.

Literis proximo mense Aprili ad Provincias datis pro meo erga Institutum nostrum studio Patres omnes Fratresque in Christo carissimos impense hortabar, ut nullam, quantum fieri posset, Regularum immunitatem sibi concessam vellent. Jam vero luctuosa temporum improbitate factum est, ut Provinciarum magna pars, vel de re familiari vel de suis etiam sedibus deturbata, sustentari nullo pacto posset, nisi supremus Christi Vicarius praedecessorum meorum precibus benigne annuisset, eisque extremam Nostrorum inopiam Sacrorum stipendiis sublevandi potestatem fecisset. Id autem eo magis dolendum accidit, quo sanctius Societatis Jesu Conditor, B. P. Ignatius, constitutum voluit, ut Operarii nostri, et Christi ver-

¹ Ord. Gen. c. I, n. 10.

² Ibid.; cf. Congr. XII, de cr. 37; Congr. XIV.

³ Supra p. 284 sq.

bis edocti¹ et Apostolorum exempla secuti,² quae gratis accepissent, ea ipsi nonnisi gratis darent³. Hac itaque tam praecipuae Constitutionis immunitate, quantumvis legitima, paupertati nostrae vulnus infligitur gravissimum, quo ne virtus haec, quam ut matrem⁴ colere jubemur, penitus conficiatur, nobis sollicite providendum est.

Summopere videlicet caveamus, ne Missarum ac ministeriorum stipendiis accipiendis intepescat paulatim apud nos sincerus ille paupertatis amor, quo Societatis Operarius laboris sui mercedem nullam consecetur aliam, quam Dei gloriam salutemque animarum. Caveamus, inquam, ne huic durissimae omnium necessitati ita progressu temporis serviamus, ita tandem assuescamus, perinde ac de re ageretur non adeo quidem ab Instituto nostro aliena, cuius consuetudo alteram veluti legem parere videatur. Imo vero Nostri, quicumque, potestate a Praeposito Generali sibi facta, Sacrorum stipendiis utuntur, eatenus tantummodo utantur, quatenus honesta ipsorum sustentatio postulabit; quin etiam conemur omnes, modo vitae subsidia non desint, ut Regula 27 Summarii ad pristinum vigorem atque integritatem ubique revocetur. Qua in re equidem laetor ac plurimas Deo gratias habeo, quod nonnullis in Provinciis nihil adhuc pro Missis sacrisque ministeriis admittitur stipendiorum; in aliis vero, quantum aliunde augentur subsidia, tantum detrahitur stipendiis Missarum ac ministeriorum; quod certe non mediocrem meretur laudem.

At vero administratio ipsa stipendorum, maxime si agatur de Missis celebrandis, res est nec parvi momenti nec levis periculi, quae quidem non solum meam, sed omnium Superiorum ac Procuratorum curam ac vigilantiam excitare debet; in ea enim tum religio, tum paupertas, tum ipsa etiam justitia violari facillime potest. Exstant de hac re gravissimae summorum Pontificum Urbani VIII atque Innocentii XII Constitutiones ac Sacrae Congregationis Concilii Decreta⁵, quae, tametsi publice legi desueverunt, ignorari tamen non

¹ Matth. X, 8.

² Cf. Act. XX, 33, 34; 2. Cor. XI, 9; 1. Thess. II, 5 sqq.

³ Formula Instituti Julio III tradita (Inst. I, 23); Exam. c. I, n. 3; c. IV, n. 27; Const. parte quarta, c. VII, n. 3; parte sexta, c. II, n. 7, G; parte septima, c. IV, n. 4, etc.

⁴ Cf. Reg. Summar. 24.

⁵ Decreta 21 Junii 1625, Bullar. Rom. XIII (Taurin. 1868) 336 sqq.; Constitutio Innoc. XII 23 Dec. 1697, ibid. XX (Neapol. 1883) 806 sqq.

debent a nostris Sacerdotibus, praesertim ab iis, qui parochorum munera gerunt sub Ordinariis. Praeterea vero, ut omnis stipendiiorum administratio fidelius castiusque peragatur in Societate, nonnulla de consilio Patrum Assistentium praescribenda duxi, quae sic se habent:

Nemo e Nostris, sine facultate Superioris, Missas ulla pro stipendio nec sibi nec aliis celebrandas suscipiat, neque Missarum vel ministeriorum stipendia ulla admittat, quae mox Superiori vel Procuratori integra non tradantur.

Nemini amplius fas sit Missarum stipendia extra Provinciam mittere, nisi id fiat per Praepositum vel Procuratorem ejusdem Provinciae, ubi quisque residet, et ad Praepositum vel Procuratorem illius Provinciae, in quam stipendia mittuntur; nisi agatur de Procuratore generali Societatis, ad quem stipendia undique mitti poterunt per Provinciarum Procuratores.

Superiores omnes vel Procuratores accuratissimam Missarum atque stipendiiorum rationem ducant, eaque omnia in privatum codicem referant, unde perspicue constet, quo die, quas Missas, quo onere, quo stipendio celebrandas suscepint, et quomodo singulis satisfactum sit. Quibus Missis, si quando per exfernos sacerdotes satisfiat, ii et probatae integritatis sint, et de peracto officio testimonium literarum, si opus est, praebant.

Singulis mensibus, cum ex Regula 11 Procuratoris ratio dati atque accepti redditur apud Superiorum, recenseatur simul codex Missarum ac stipendiiorum. Provinciales vero hunc codicem singulis annis visitent, ac de eo speciatim ad me referant.

Quibus gravi de causa potestas fit Missarum stipendiis privatae cuiquam necessitati subveniendi, ii nullam sibi suscipiant nec Missarum conquirendarum, nec stipendiiorum administrandorum cumram; sed eam Superiori vel Procuratori omnino committant.

Nostri sacerdotes, quicumque Missam pro stipendio celebrant, certo sciant, quomodo Sacris in catalogo orationum praescriptis satisfacere interim debeant. Et primo quidem singulis hebdomadis Sacrum unum offerant ad Praepositi Generalis intentionem. Deinde vero Sacra omnia peragant, quae pro defunctis nostris *nominatim* indicuntur; itemque Sacrum in Commemoratione omnium defunctorum nostrorum faciendum. Tertio denique Sacra nulla omittant, quae pro re gravi imperare interdum solent Superiores. Quae nimirum omnia, nisi aliter statuerit Praepositus Generalis, *prima* qui-

dem, ut aiunt, *intentione*, ac proinde sine stipendio fieri debent; reliqua vero, quae in catalogo orationum jubentur, *secunda* saltem *intentione* erunt persolvenda. Atque haec de Nostris, quibus stipendiiorum facultas conceditur.

Reliquum est, ut Nostri omnes, etiamsi Sacrorum stipendiis sustententur, pro suo in Societatem amore atque observantia, nihil praetermittant Missarum et orationum, quae nobis tantopere commendantur in Instituto. Quamobrem faciant Superiores diligenter, ut Regula 5 praefecti ecclesiae ubique locorum fideliter custodiatur. Quod si fiat, vix ullus erit ejus rei ignorandae vel obliuiscendae locus.

Has itaque literas Reverentia Vestra omnibus notas quam primum faciat, detque operam, ut in eis, quod suam Provinciam spectat, exsequendis, unusquisque secum firmissime constituat jura omnia partesque sanctae paupertatis pro viribus tueri ac vindicare, idque sibi persuasissimum sit, tanto difficilius subsidiorum copiam ad honeste vivendum nobis defuturam, quando puriori studio *regnū Dei* quaeramus, ejusque justitiam¹.

LXVII.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN
ORDINATIO 21 JUNII 1894.

De rerum temporalium administratione:

1. Cum postulatum esset ab ultima Congregatione generali, ut conficeretur *Ordinatio* aut *Instructio* pro administratione rerum temporalium, Patres congregati responderunt², *opportunum esse et utile id quod petebatur*; mihique *Ordinationis* facienda curam committendam voluerunt. Sentiebant scilicet, *bonorum temporalium, quibus fruimur, naturam in praesenti rerum statu satis mutatam esse*, adeo ut subinde non ita facile omnibus pateat, quomodo rerum temporalium administratio componi possit cum legibus paupertatis nostrae, cuius exactam observantiam Constitutiones nostrae tam graviter urgent.

¹ Cf. Matth. VI, 33.

² Cf. Congr. XXIV, decr. 22.

2. Profecto neminem latet, quantas vices subierit rei familiaris conditio. Collegia, ut plurimum, vel nulla vel insufficienti fundatione dotata, alumnorum pensionibus et externorum scholarium retributionibus eam supplere coguntur. Domus Probationis et studiorum, quae antea propriis fundationibus alebantur, nunc partim proventibus *arcae Seminarii*, partim annuis Collegiorum contributionibus et eleemosynis undequaque perceptis aegre sustentantur. Domus professae nullae sunt, Residentiae quamplures, quae tamen neque Domorum professorum saepe paupertatem observant, neque Collegiis applicatae sunt. In multis regionibus lege civili omnis bonorum immobilium possessio familiis religiosis interdicitur; quae proinde, praeter alia media quae adhibere solent ut res suas in tuto collocent, una cum viris saecularibus societas civiles ineunt vel etiam census emunt, quos vulgari nomine *titulos*, *obligationes* et *actiones* appellant. Quin etiam ubi tranquilla pace Societas jure possidendi fruitur, fundationes saepe non constant, ut pridem fere accidebat, ex fundis et praediis, sed ex iisdem titulis, obligationibus et actionibus, quas modo commemoravi; adeo ut tota ferme bonorum administratio ad redditum perceptionem et collocationem reduci videatur. In Missionibus exteris, praeter Superiorum regularem, habetur quandoque Vicarius apostolicus, cui de bonorum ecclesiasticorum administratione ratio reddenda est. Pluribus aliis in locis, ubi ceteroquin ad normam Instituti vivere licet, difficultatem facessit Seminariorum episcopalium et parochiarum administratio, quam propter locorum aut temporum adjuncta Societas suspicere aut retinere debet. Fere ubique terrarum, ob rei familiaris penuriam, ex actuali rerum publicarum mutabili conditione ortam, Missarum stipendia et retribuciones pro ministeriis nostris, ex indulto apostolico, admittimus. Quae omnia, nisi debitae cautions adhibeantur, religiosam paupertatis nostrae observantiam in periculum adducere possunt.

3. Voluit igitur Congregatio generalis, ut attentis circumstantiis, in quibus plerumque versamur, regulae quaedam tradantur ad bona temporalia administranda, ne Superiores, quid licitum, quid vetitum sit, dubitantes perpetuis anguntur timoribus.

Porro, quae de hoc argumento dicenda veniunt, duabus capitibus commode comprehendi posse videntur: I. Quae bona et quo modo a Societe possideri possint; II. A quonam et quo modo administranda sint.

I. QUAE BONA ET QUO MODO A SOCIETATE POSSIDERI POSSINT.

4. Secundum jus Societatis, bona temporalia ita propria sunt singulis Provinciis aut Missionibus, Collegiis, Domibus etc., ut ne Generali quidem fas sit ea pro arbitratu suo de Provincia in Provinciam, de Missione in Missionem, de Domo in Domum transferre, quaeque unius cuiusdam sunt, alii donare¹. Diversae Societatis partes, utpote membra moralia ejusdem familiae religiosae, amoris quidem vinculo inter se colligantur, rei vero familiaris communione utuntur nulla; unde sequitur justitiam commutativam inter eas laedi posse, non secus ac inter fratres germanos, quorum quisque proprium patrimonium habet. Oportet ergo semper p[ro]ae oculis habere, quaenam bona a singulis partibus possideri possint et de facto possideantur.

5. *Provincia aut Missio.* a) Provincia aut Missio (sive dependens sive independens), *qua talis* et prout a Collegiis et Domibus suis contradistinguitur, non potest retinere dominium bonorum immobilium nisi ad breve tempus, neque habere potest jus civile ad ullos reditus stabiles ex quocumque capite hi proveniant². Hinc non licet illi habere, proprio nomine, ad sui ipsius sustentationem, census qui *tituli, obligationes* aut *actiones* vocari solent, quippe qui certos et stabiles fructus faciant.

Quare, si quae bona stabilia Provinciae aut Missioni obveniant, ea nisi quamprimum vendenda sint, a Generali fundationibus instituendis et perficiendis applicanda erunt, vel etiam, eo probante, sub proprietate seu dominio alicujus Collegii constituenda, quo faciliter communibus Provinciae aut Missionis sumptibus provideatur, ita tamen, ut ipsa Provincia aut Missio nullum exinde jus proprium dictum in eorundem bonorum reditus sibi vindicare possit³.

6. b) Quodsi Provincia aut Missio alicubi sumatur minus proprium pro collectione plurium Collegiorum seu Domorum Probationis (abstrahendo a Domibus professis, Residentiis etc.), tunc censem theologi nostri, posse illam, etiam salva paupertate nostra, habere census

¹ Const. parte tertia c. I, n. 9; parte nona c. III, n. 5; Congr. II. decr. 23; Congr. III, decr. 17.

² Cf. Exam. gen. c. I, n. 3 et 4. - Const. parte quarta c. II, n. 2, 5 et E. Const. parte decima n. 5.

³ Const. parte sexta c. II, n. 2 et 5.

activos seu bona stabilia, quae ad omnia Collegia pertineant. Huic principio innixi Generales, ad supplendam, meliori modo quo poterant, fundationem Domorum Probationis et studiorum, non tantum permiserunt, sed etiam, perspectis nonnullarum regionum circumstantiis, constituendam ad tempus curarunt *arcam Seminarii*; quo nomine vocamus varii generis census et reditus qui *in communi possidentur ab iis Seminariis Nostrorum, quae hujus arcae proventu sustentantur*¹.

7. Pari ratione, permittuntur summae pecuniae ad censem datae et quaecumque alia bona, etiam stabilia, ad fundationes in Provincia aut Missione instituendas vel perficiendas, sive hae jam determinatae sint, sive a Superioribus determinandae, prout necessitas aut opportunitas suadebit.

8. Potiori jure, permittuntur pecuniae ad censem datae et quaecumque alia bona, etiam stabilia, ad pios fines extra Societatem, cuiusmodi esset e. g. institutio orphanotrophii aut xenodochii in Missionibus exteris. Quae bona, etsi fortasse a Nostris administrentur, nequaquam sunt propria Societatis.

Quae omnia bona, sive ad arcam Seminarii aut ad fundationes pertineant, sive ad pios fines extra Societatem, certo reditus habere possunt, sicut bona Collegiorum jam fundatorum².

9. Exinde patet, quid sentiendum sit de arca *Provinciae* aut *Missionis*. Provincia aut Missio, stricto sensu accepta, non potest habere nomine proprio, et ad propriam sustentationem, arcam, quae *reditibus stabilibus* constet; ast habere potest arcam, quae constet summa eleemosynarum, quae vel oblatae vel corrogatae sunt in Provinciae vel Missionis bonum, sed minime servandae ut ex eis foenori datis annui fructus percipientur. Interim tamen, dum opportunitas eas insumendi tempus advenit, nihil vetat, quominus tuto aliquo modo collocentur³.

Patet etiam praeter arcam Provinciae aut Missionis stricto sensu acceptam, haberi posse diversi generis arcas, quae constant reditibus certis, ad varios fines intra Provinciae aut Missionis limites destinatis, ut sunt arca *Seminarii*, arca *fundationum*, arca *causarum piarum*; quae quidem arcae, nec re nec nomine, cum arca Provinciae proprie dicta confundendae sunt.

¹ Cf. Ord. de arc. Semin. supra p. 284 sqq.

² Const. parte nona, c. III, n. 6.

³ Exam. gen. c. I, n. 4; Const. parte sexta, c. II, n. 2 et 5 et E.

10. *Domus professae.* — Vi Constitutionum nostrarum, Domus professae possidere possunt: *a)* quod necessarium est ad habitacionem et usum, id est, aedes cum horto adjuncto; *b)* quod valde conveniens est, cuiusmodi censeretur villa (seu locus a communi habitatione separatus) in usum convalescentium et eorum, qui rebus spiritualibus vacent; *c)* bona mobilia non frugifera¹.

Quamdiu autem nondum possident ea quae sibi licita sunt, fas est adhibere media, quibus illa sibi comparent; possunt ergo ad *hunc finem* eleemosynas colligere, retinere, administrare, easque foenori dare aut in *titulos, obligationes* et *actiones* mutare. Item, nihil obstat videtur quominus pecuniam servent, ut ex ejus foenore pendant gravia tributa, quae bonis sibi propriis a gubernio impoundantur; aut quominus, propriis aedibus carentes, pecuniam sepositam ad censem dent, ut ex ejus proventu locationis pretium solvant².

11. Sed nefas omnius est Domibus professis habere, sive nomine proprio sive nomine alicujus Collegii, ulla alia bona stabilia; aut ullos redditus certos, nedum ad Nostrorum sustentationem, sed ne ad fabricam quidem, bibliothecam, sacristiam vel ad ecclesiae cultum et ad sacras caeremonias peragendas destinatos. Nihilominus aliquos redditus, a fundatoribus aut a benefactoribus ad hos et similes fines relictos, admittere licet, dummodo Societas eorum dispositio nem non habeat, nec jus ullum civile ad eos in judicio repetendum³.

12. *Residentiae.* — *a)* Residentiae, quae non sunt Collegia inchoata nec membra Collegii vel Domus Probationis, quoad paupertatem aequiparantur Domibus professis, ideoque ea tantum habere possunt, quae licita sunt Domibus Professis⁴.

Quod de hujusmodi Residentiis dicitur, de iisdem dicendum etiam est, quando paroeciam aut quasi-paroeciam adnexam habent, in qua Nostrum curam animarum exercant. Quamvis enim ipsa paroecia bona stabilia et redditus certos habere possit et debeat, Nostris tamen — nisi vi *dispensationis apostolicae* — praeter honestam sustentationem eorum, qui paroeciae inserviunt, non licet quidquam percipere ex redditibus ecclesiae, neque pro Missis et ministeriis stipendiis.

¹ Const. parte sexta, c. II, n. 5 et E.

² Cf. Congr. VII, decr. 51.

³ Cf. Const. parte sexta, c. II, n. 2 et B.

⁴ Congr. XXIV, decr. 15, n. 2.

dia aut retributiones admittere. Quod idem valet de Residentiis pure parochialibus, quarum scilicet tam domus quam ecclesia ad paroeciam pertinet.

13. b) Residentiae, quae sunt Collegia inchoata, prout haec describuntur Congregationis IX. decreto 18, vivere possunt ex redditibus bonorum suorum, secundum declarationem Congregationis III. decretum 43. Si autem membra sunt alicujus Collegii aut Domus Probationis, horum redditibus sustentari possunt, atque etiam uti possunt fructibus bonorum, quibus donatae sunt, dummodo talium bonorum dominium sit penes Collegium vel Domum Probationis¹.

14. Et quoniam ultima Congregatio generalis decrevit, Praeposatum Generalem concedere posse, ut *scriptores, qui conjunctim alicui operi scribendo et edendo allaborant*, vel in Collegio aliquo habitent, vel in Domo ipsi Collegio applicata, hinc, Generali approbante, a Provinciali aut Missionis Superiore statuendum erit, utrum hujusmodi scriptores in ipso Collegio habitare debeant an potius in Domo separata, quae sit membrum Collegii². Quodcumque autem lucrum seu pretium librorum aut scriptorum, quae in vulgus edantur, Superiori totius Domus (i. e. Rectori Collegii) consignetur, cui integrum erit illud impendere, sive ad promovenda studia aliosque usus literarios, sive ad alium quemcumque utilem finem, prout a Provinciali, cum approbatione Generalis, fuerit constitutum³.

15. *Collegia et Domus Probationis*. — Secundum Constitutiones nostras et Bullas apostolicas Collegia et Domus Probationis non solum possunt, sed debent habere bona stabilia, redditus certos et alia jura temporalia⁴. Imo ex formula P. Claudi, a Congregatione quinta recognita et approbata, nullum Collegium acceptandum esset, quod non fuerit necessaria fundatione dotatum. Nihilominus, si dotatio vel omnino vel ex parte deficit, suppleri ea poterit, tum aliis mediis, tum maxime convictorum pensionibus et externorum scholarium minervalibus⁵. Conandum tamen et omni ope nitendum erit ut, cum per rerum et temporum adjuncta licebit, Colle-

¹ Congr. XXIV, decr. 15, n. 1.

² Congr. XXIV, decr. 19.

³ Cf. Ordin. R. P. Beckx 11 maji 1862 de evulg. libr. n. 18.

⁴ Exam. gen. c. I, n. 4; Const. parte quarta c. II, n. 2, 5, 6 et E ac G; parte sexta c. II, n. 4.

⁵ Const. parte quarta c. II, n. 6. - Congr. II, decr. 27; III, decr. 25; XX, decr. 14; XXII, decr. 42 et 43; XXIV, decr. 18.

gia nostra in pristinam et Instituto nostro magis consentaneam formam, quoad fieri possit, restituantur¹.

Provinciales igitur ceterique Superiores minus solliciti de Collegiis undequaque multiplicandis et de aedificiis eorum amplificandis, ad id animum intendant, ut media procurent, conservent et augeant, quibus Collegia jam acceptata secundum probatam Societas normam rite et solide constituantur.

16. *Seminaria pontificia aut episcopalia, Scholae apostolicae et Convictus bona quidem immobilia stabilesque redditus possidere possunt; at nisi adsint conditiones omnes, intrinsecae et extrinsecae, quae ad vera Societatis Collegia, saltem inchoata, constituenda requiruntur, nec Societas in illorum bona jus ullum habet, neque vi Constitutionum nostrarum, Nostri, qui eis regendis et administrandis vacant, ullum fructum ex bonis eorum percipere possunt praeter honestam sustentationem, et si quid aliud ex conventione cum fundatoribus vel eorum patronis pactum sit, quod ab Instituto non prohibeatur. Utrum autem re vera adsint conditiones, quae ad Collegia saltem inchoata constituenda requiruntur necne, a multis pendet circumstantiis, quae singulae expendenda sunt et in casibus dubiis ad Praepositorum Generalem referendae.*

17. Si quae Collegia aut Domus coram lege civili possidentur ab aliquo ex Nostris, vel etiam ab aliquo, qui non est de Societate, aut a societatibus civilibus, quarum Nostri partem constituant, ea, qua parte ad Societatem nostram pertinent, iisdem legibus subjacent ac alia Collegia et Domus ejusdem generis.

II. A QUONAM ET QUO MODO BONA TEMPORALIA ADMINISTRANDA SINT.

18. *Summa omnium bonorum temporalium superintendentia et administratio est penes Societatem professam, quae eam ordinario exercet per Generalem². Provinciales vero et Rectores aliquique Superiores locales, id facultatis habent, quod Generalis eisdem communicandum in Domino judicaverit³. Nihilominus in ipso Instituto sanctum est, quid tum Provincialibus tum Rectoribus, ratione sui officii, concedi soleat.*

¹ Congr. XXIV, decr. 18.

² Const. parte quarta c. II, n. 3, 5 et C; ibid. c. XI, n. 2; parte decima n. 4.

³ Const. parte octava c. I, n. 6; parte nona c. III, n. 3, 14, 16.

Sic Provincialis aut Superior Missionis independentis, dependenter a Generali, totius Provinciae aut Missionis cui praepositus est administrationem habet; *omnes facultates eorum Superiorum, qui ei subjecti sunt, ad ipsum quoque pertinent, et ab ipso etiam suspendi poterunt, quando ei expedire videbitur*¹.

Similiter Praepositus, Rector vel Superior localis, dependenter a Generali et Provinciali, immediatam totius Collegii vel Domus administrationem habet².

Superiores vicissim utuntur ope Procuratoris sive generalis, sive provincialis, sive localis, prout negotiorum tractandorum natura postulat et in Regulis eorum indicatur. Quare:

19. Provincialis et Superioris Missionis est, per Procuratorem suum ea bona administrare, quae Provincia et Missio tamquam propria possidere possunt; ut sunt eleemosynae et contributiones, quae ad communes sumptus solvendos Collegiis et Domibus, servata proportione, imponuntur. Nihil etiam obstat, quominus Procurator Provinciae vel Missionis curam gerat bonorum quae arcum Seminarii, arcum fundationum, arcum piarum causarum etc. constituunt.

20. Rectoris et Superioris localis est, per Procuratorem suum administrare bona Collegii aut Domus; sive haec bona ad Societatem pertineant, sive ab ea tantum procurementur. Quodsi bona Collegiorum aut Domorum ejusmodi sunt, ut a singulis Procuratoribus commode curari nequeant (id quod nominatim in iis, quos vel titulos, actiones vel obligationes dicunt, contingere solet), eorum administratio sive Procuratori Provinciae sive alteri a Provinciali deputato committi quidem potest, ita tamen ut hic singulis Rectoribus et Superioribus localibus eorum, quae gesserit, rationem redditus et redditus integros titulorum, actionum et obligationum ad Procuratorem Collegii aut Domus remittat, ab eodem sub Rectore vel Superiore dispensandos.

21. Ex modo dictis clare apparet, quomodo bona temporalia administranda sint: nempe tamquam patrimonium pauperum, vel tamquam bona Domini nostri Jesu Christi propria, uti pulchre loquitur S. Pater noster³. Scilicet Superiores Societatis non sunt proprietarii, quibus de bonis suis pro lubito disponere licet, sed villici, qui bona

¹ Reg. Prov. 9; Congr. VIII, decr. 34.

² Const. parte quarta c. II, n. 5; parte nona c. III, n. 14 et 16.

³ Const. parte tertia c. II, n. 7.

ecclesiastica administrare tenentur secundum leges in jure canonico sancitas, additis etiam poenis in transgressores.

22. Imprimis ergo meminerint Superiores tum locales tum provinciales, non licere sibi vendere, permutare vel per hypothecam oppignerare bona immobilia vel mobilia pretiosa (etiam in utilitatem Collegiorum aut Domorum) aut ullum actum alienationis exercere, ad quem Sedis apostolicae beneplacitum requiritur, nisi prius per Praepositum Generalem a S. Congregatione facultas debita obtineatur. Quare quum tales alienationes facienda erunt, ad Praepositum Generalem referatur, qui, perpensa rei necessitate vel utilitate, decernet, an ad Sedem apostolicam recurrere oporteat, et rem transiget cum Congregatione, cui talem facultatem concedere competit.

Bona mobilia non pretiosa et immobilia exigui valoris alienari possunt a Generali et ab aliis Superioribus, quibus ipse concesserit. Cauta tamen procedendum est etiam in minimis alienationibus. Quare Superiores, ut sciant, quid in his rebus tuta conscientia facere possint, consulant Compendium privilegiorum *Alienatio* n. 19 sqq. et *Census* n. 88, necnon Decr. S. Congregationis Concilii sub Urbano VIII, 7 Sept. 1624 et 21 Mart. 1626¹; et si quod dubium superfuerit, ad Praepositum Generalem recurrent².

23. Si quando, ob urgentem necessitatem, pecunia mutua accipienda videatur sine hypotheca, sive ad tempus definitum sive ad tempus indefinitum, summa cautio adhibeatur, status Domus aut Provinciae antea Consultoribus exponatur, et facultas debita petatur³.

24. Tum singulis religiosis, tum ipsis etiam communitatibus et ordinibus, sub gravissimis poenis a S. Sede interdictum est, quominus munera donationesve cuiquam elargiantur, nisi ea moderatione iisque conditionibus, quae in Constitutionibus apostolicis praescrivuntur⁴.

¹ Ferraris, biblioth. canon. « *Alienatio* » art. IV, n. 30.

² Cf. epist. P. Beckx de *Censibus* n. 2; supra p. 283 sqq.

³ Cf. epist. P. Olivae m. Jul. 1865; supra p. 279. — Nunc etiam attendendum est ad Decretum S. Congr. de Religiosis 7 Sept. 1909; cf. epistolam R. P. N. Wernz 19 Martii 1910, supra p. 272 sqq.

⁴ Cf. Const. Clementis VIII « *Religiousae Congregationes* » 19 Jun. 1594 ejusdemque Declarationem 16 Oct. 1640 ab Urbano VIII editam; Bull. Rom. X (Taurin. 1865) 146 sqq. XV (1868) 81 sqq.

25. Pariter postulat paupertatis nostrae ratio, non solum ut Nostri nihil mutuo dent¹, sed etiam ne se fidejussores quoquomodo praebeant, vel Superiorum aut etiam externorum animos sollicitent commendationibus vel intercessionibus ad pecuniam cuiquam mutuodandam. Quare caveant, ne parentibus et propinquis ex tenera pietate, amicis et notis ex inordinato erga eosdem amore, aut aliis qui buscumque ex imprudenti commiseratione pecuniam Societatis foenerent aut foenerari procurent. Quin etiam ad pericula, quoad fieri potest, praecavenda, quae ex labili rerum publicarum et argentaliorum conditione provenire solent, ipsi Procuratores, et quicumque ex officio vel ex dispensatione Superioris pecuniam Societatis administrant, nihil hac in re temere audeant, neque pecuniam mutuodent sine Superioris expressa facultate. Superiores vero locales, quoties Provincialis consuli potest, neque ipsi deit, neque potestatem dandi faciant, nisi eodem consulto et approbante.

26. Sedulo invigilent Superiores, ne sumptus ordinarii excedant proventus ordinarios, neve Domus nostrae ex incuria sua aere alieno obruantur; meminerintque, quam gravibus verbis Congregationes generales monuerint Praepositum Generalem *ut, pro suo in Societatem affectu, Superiores incuriosos et negligentes vel etiam prodigos rei familiaris Collegiorum et Domorum, quae Christi pauperum est patrimonium et a qua res spirituales et bonus Societatis status et progressus tantopere pendet, impunitos esse minime patiatur, sed Provincialium (vel in gravibus causis suo ipsius) judicio, poenam irroget, non imparem culpae*².

27. Quamquam Superiorum est summa cum caritate vitae necessaria suppeditare, nullo tamen pacto subditis suis superflua et inutilia concedere possunt, aut ea quae religiosam paupertatem et simplicitatem minus deceant³. Quo magis homines saeculares divitiarum speciem affectant et vitae commoda quaerunt, eo magis invigilent Superiores, ne Nostri de paupertate quam voverunt erubescant, sed effectus ejus tum domi tum foris experiri gaudeant.

28. Quare, quidquid in victus et vestitus ratione, in recreationibus, in itineribus faciendis, in hospitibus recipiendis ac similibus,

¹ Const. parte tertia c. I, n. 8.

² Congr. VIII, decr. 15; cf. Congr. VII, decr. 82, n. 8.

³ Exam. gen. c. IV, n. 26; Const. parte tertia c. II, n. 3; parte sexta c. II, n. 15. Congr. VII, decr. 82, n. 7; Instr. pro adm. rerum temporalium num. 7.

mundum sapere videtur, id omne fortis manu resecandum sibi esse existiment; consuetudines Provinciae vel particulares Missionis a Generali approbatas servari current, quantum locorum temporumque varietas patitur; caveantque ne, dum liberalitatis auram captant, frugi famam amittant.

29. Quae de pensionibus et depositis quibuscumque a Congregationibus generalibus constituta sunt, fidelissime servent et ab aliis servari satagant; meminerintque nemini Nostrorum licere, ut *pecunias hujusmodi, sub ullo praetextu, apud se retineat...*, nemini liberum earum usum esse concedendum..., neque ipsos Superiores, etiam Provinciales aut quoscumque alios facultatum dare posse, ut quis-eas impendat ad ea sibi comparanda, quae ad victimum, vestitum, cubiculi supellectilem aliaque vitae communi necessaria pertinent, vel in ulla usus mere personales et proprios adhibeat¹.

30. Quum familiae religiosae, modo quodam peculiari, devinciantur praecepto caritatis erga indigentes, Superiores possunt, vel potius debent, eleemosynas in pauperes erogare, secundum quod Provincialis aut Superior Missionis, pro cuiusque Collegii vel Domus facultate, praescripserit². Oportet autem, ut caritas ordinata sit, ac proinde pae ceteris Nostrorum inopiae subveniendum est.

31. Et primo quidem extra omnem controversiam est, licere Provincialibus et Missionum Superioribus, cum approbatione Generalis, annuam contributionem Collegiis et Domibus imponere ad solvendas expensas, quae in totius Societatis et Provinciae vel Missionis bonum fiunt³.

32. Visum est ultimae Congregationi generali, non tantum pecunias, quae ad communes Provinciae sumptus exsolvendos serventur, sed etiam bona fundationibus instituendis et perficiendis applicata, ad Nostrorum sustentationem licite adhiberi posse *ingruente gravi necessitate, propter calamitosas rerum publicarum perturbationes..., si donatorum voluntas haec fuisse praesumat*⁴.

33. Possunt, imo debent, Collegia et Domus conferre contributio-nes donationesque ad arcam Seminarii, quam Provincialibus et Missionum Superioribus summopere commendatam esse velim, ubi haec,

¹ Congr. XXII, decr. 26; cf. Congr. XII, decr. 37; Congr. XIV, decr. 14; Congr. XVI, decr. 27; Congr. XX, decr. 7, n. 1 et 2.

² Reg. Provinc. 96, 89.

³ Const. parte quarta c. II, E; Reg. Provinc. 83.

⁴ Congr. XXIV, decr. 17, n. 1.

Praeposito Generali probante, introducta fuerit vel introducetur, donec per dotationem Instituto conformem sustentationi Domus Probationis et Collegii, ubi Nostri student, provideri non possit. Quare media quaedam subjecere expedite quibus, cum licentia Generalis, haec arca vel constitui vel augeri possit.

34. a) Primo ergo, licet ad instituendos Scholasticos nostros, seu ad arcam Seminarii constituendam vel augendam, a Collegiis tributa exigere, ad normam Instituti¹. In Collegiis autem fundatis, qualia supponit Institutum, tot Scholastici sustentari deberent, quot sunt Operarii nostri, qui iisdem Collegiis inserviunt. Cumque pensiones et minervalia, quae nunc in plerisque Collegiis a discipulis solvuntur, fundationem Collegiorum quadantenus supplere censentur, similis norma his Collegiis applicari poterit.

35. b) Oportet ad Scholasticorum sustentationem adhibere omnes donationes, quae ad hunc determinatum finem factae sunt aut fiunt.

36. c) Generalis eidem fini destinare potest patrimonia a Nostris ante ultima vota in Societatis bonum renuntiata, tum etiam legata et alia quaecumque, quae ita Societati relinquuntur, ut de iis pro luto disponere possit. Et quoniam Praepositi provinciales eam partem hujus facultatis habent, quam ipsis Generalis communicaverit². permisum sit Provincialibus, ejusmodi dona, si summam mille scutatorum romanorum (5000 fr.) non excedunt, Seminario Provinciae aut, si huic provisum est, alii Collegio applicare, nisi ejusmodi dona pro occurrenti quavis necessitate ad tempus deposita servare maluerint, non tamen ultra duorum annorum spatium sine peculiari dispensatione Generalis³.

37. d) Applicari quoque possunt arcae Seminarii Missarum et ministeriorum stipendia, quae ex dispensatione S. Sedis ad Nostrorum sustentationem admittuntur, sive a Patribus qui in Collegiis, sive ab iis qui in Residentiis Societati propriis degunt, quoties Domus iisdem stipendiis non indigebunt ad propriam sustentationem.

Id ipsum potiore quodam jure dicendum est de Residentiis mere parochialibus (si nulla sit spes erigendi Residentiam veri nominis, Societati propriam), sicut etiam de Seminariis episcopalibus et Convictibus, quorum Societas solam administrationem habet; siquidem

¹ Exam. gen. c. I, n. 4; Const. parte quarta, c. II, n. 5; parte sexta c. II. A; Formul. accept. Colleg.; Congr. V, decr. 69; Congr. VI, decr. 18.

² Const. parte nona c. III, n. 6 et 7.

³ Cf. Ordin. de arca Semin.; supra p. 286.

in his casibus non tantum Missarum stipendia, sed etiam cetera omnia quae, sive ex jure communi et nostro, sive ex indulto apostolico, Societati acquiruntur, in eum usum adhibenda sunt, quem Praepositus Generalis definiverit.

Etenim cum ea omnia sint bona Societatis, nefas est de iis disponere, nedum in favorem paroeciae, Seminarii et Convictus, sed ne quidem in fines Societati proprios, absque licentia Superioris qui ea applicare potest¹.

38. Ceterum caveant Provinciales et Missionum Superiores, ne Collegia et Domus contributionibus imponondis nimium graventur, currentque, quantum fieri potest, ut Scholasticorum sustentationi aliis potius mediis provideatur². Omni etiam industria elaborent ut Seminaria Nostrorum, sua quaeque fundatione dotata, ad pristinam et legibus nostris magis consentaneam formam, quamprimum fieri poterit, reducantur.

39. Reditus et alia bona conservare et augere studeant, aedesque et cetera omnia tempestive reficere et instaurare current³. Quodsi ad haec et similia, praeter expensas ordinarias, opus sit *expensis extraordinariis*, Superiores locales Consultorum suorum sententiam prius audiant, licentiam Provincialis petant ejusque approbationem exspectent, nisi de re agatur, quae moram non patiatur; quo in casu quamprimum ad Provinciale referant, quid factum sit. Neque ipse Provincialis facultatem concedat, inconsulto Generali, si summa expendenda 5000 francos excedat. In his vero sumptibus permittendis difficilem se potius quam benignum exhibeat, ubi vera necessitas non adsit; et quoad fieri possit, sententiam suorum Consultorum prius exquirere non omittat.

40. Superiores locorum, inconsulto Provinciali, nihil alicujus momenti aedificare debent; nec permettere Provincialis, ut quidquam, nisi quod necessarium sit, aedificant⁴. Quodsi quae aedificanda majoris momenti fuerint, ut esset templum, dormitorium vel aliquid hujusmodi, nisi approbante Generali non fiant, ad quem pertinet formam et modum nostrorum aedificiorum praescribere⁵.

¹ Cf. Constit. Leonis XIII « Romanos Pontifices », 8 Maji 1881; Acta S. Sedis XIII, 481 sqq.; Acta Apost. Sedis II, 254 sqq.

² Congr. VII, decr. 82, n. 7.

³ Reg. Prov. 75; Reg. Procur. Coll. 11.

⁴ Reg. Rect. 63; Ord. Gen. c. II, n. 9.

⁵ Reg. Prov. 75.

Si ergo aedificium majoris momenti construendum sit (quod hisce temporibus saepe contingere solet), Rector aut Superior localis Consultorum sententias exquirat; deinde Provincialis vel Superior Missionis, informationibus a Rectore aut Superiore locali acceptis, similiter Consultorum suorum sententias petat, et tum suam tum aliorum sententias ad Praepositum Generalem referat, respondendo hisce quaestionibus: Quid aedificandum et quare? Quanti constabit aedificium? Suppetuntne opes ad illud perficiendum, an mutuanda pecunia? quanta et quibus conditionibus? Quantum erit totum aes alienum, quo Domus gravabitur?

Mittat etiam totius aedificii delineationem, eamque simplicem et non sumptuosam, quae, cum semel a Praeposito Generali approbata fuerit, absque ejusdem licentia non est mutanda, nisi forte de sententia architecti et Superioris auditioque Provinciali, ex natura loci vel alia quadam necessitate, mutatio minoris momenti facienda videatur. Aedificia sint ad ministeria nostra commoda et ad habitandum utilia, sana et fortia, sed nec sumptuosa nec curiosa. Ita disponantur, ut lex clausurae rite servari possit et in tota constructione appareat delineationis unitas¹.

41. Maximi interest, nostris praesertim temporibus, ut qui Procuratorum munere fungantur, in rebus oeconomicis et pecuniariis periti sint, prudentes, fidi et diligentes. Siquidem ipsis incumbit non tantum cura fundorum, praediorum aliorumque bonorum stabilium, quae in Instituto et maxime in *Instructione Pro administracione rerum temporalium etc.* tantopere commendatur, sed insuper cura collocandi (seu *investiendi*) pecuniam in *titulis, obligationibus et actionibus* sive aerarii publici sive societatum privatarum, quae ob frequentes rerum publicarum perturbationes ac fortunae inconstiam, et magis adhuc ob notam hujus aetatis temeritatem, maximis saepe cladibus obnoxiae sunt. Summa igitur vigilantia et consilio opus est, ne Domus nostraræ, imo et Provincia ac Societas ipsa, communis opprimantur ruina.

42. Advertendum tamen est, non tantum veram negotiationem, quae omnibus clericis et religiosis interdicitur, sed quaecumque negotiationis aut lucri quaerendi speciem habent, Nostris esse prohibita². Quod tum in aliis, tum maxime in libris vulgandis, in censi-

¹ Congr. II, deer. 84; Congr. I, deer. 113; Congr. XXIV, deer. 20.

² Congr. II, deer. 61 et can. 25; Congr. VII, deer. 84; Reg. Procur. Coll. 12.

bus administrandis et in libris aliisque rebus discipulis vendendis, prae oculis habendum est¹. Quod libros in Collegiis nostris vendendos spectat, jam declaravit A. R. P. Beckx, licere quidem Nostris, ut discipulis vendant libros, quibus in scholis indigent, non vero alios; et eo quidem consilio, non ut nobis lucrum inde accrescat, sed ne discipuli exponantur periculo pravos emendi libros; quamvis aliquantulum quaestus ex venditione permittatur, tam pro lucro cessante ex pecunia non alibi collocata, quam pro opere in libris emendis ac vendendis praestito. Alias vero parvi momenti res, quibus studiosi literarum fere uti solent, pariter vendere licet; curandum tamen erit, ut per aliquem alium (v. g. ex convictoribus), minime vero per Nostrum id fiat, et ut lucrum exinde haustum, si quod fuerit, totum in praemia et res similes alumnis proficias, nec tamen pro pensione quam solvunt debitas, impendatur.

43. Libros rationum seu computorum tam accurate conficiat Procurator, ut Superioribus quovis tempore de vera rei familiaris condizione constare possit. Quocirca in libro, cuius meminit Regula 21, in quo singillatim descripta sint bona Collegii, Domus et arcarum una cum redditibus suis, clare explicet, quosnam census emerit et a quo, quanto pretio, quibus vadibus et cautionibus, qui eorum finis, quid reddant et quantum, quando exigantur fructus etc.; et si quid aliud notatu dignum decursu temporis occurrat, statim adnotet. Quodsi curam habeat reddituum plurium Collegiorum, Domorum vel arcarum, eorum rationem distinctim teneat; ita ut quid et quantum cuique attribuendum sit, facile perspiciat.

Ex codicibus primo intuitu appareat oportet, quaenam bona et redditus a Nostris possideantur, quaenam vero a Nostris tantum procurentur. Nulla etiam nimia cura adhiberi potest, praesertim in Missionibus et aliis in locis, in quibus paroeciae vel quasi-paroeciae a Nostris administrantur, ut inventaria supellectilis, de quibus in Regulis diversorum officialium sermo fit, quam diligentissime componantur et asserventur; unde clare videatur quaenam res ad Societatem quaeque ad Episcopum vel dioecesim pertineant².

44. Accuratissima Missarum, quae pro stipendiis celebrantur, ratio ducatur, sive a Procuratore, sive ab eo quem Superior ad id munus designaverit, qui in privatos codices referat, quo die, quas Missas, quo onere, quo stipendio celebrandas suscepit. Imo vero ut

¹ Cf. Ord. P. Beckx de libr. evulg.; Epist. de Censibus supra p. 282 sqq.

² Cf. Constit. « Romanos Pontifices » l. c.; Instruct. infra p. 306 sqq.

Decretis apostolicis hac super re satis faciamus, Procuratoris partes erunt, de Missis acceptis ac celebratis Superiori coram Ministro singulis mensibus rationem reddere. Quod ipsum et a Superiori coram Provinciali in visitatione annua faciendum erit, et ab ipso Provinciali, cum magistratu decedens administratam Provinciam successori committet¹.

45. Expedit in libris eam referendarum rerum formam tenere, ut exinde facile exscribi possit expensorum et acceptorum ratio, similis relationi quotannis ad Praepositum Generalem mittendae; in qua non solum accepti et expensi ratio, sed totus status temporalis, tam actualis quam habitualis, sub uno veluti conspectu exhibeat.

46. Ea vero, quae a Procuratore in tabulas relata et a Superiori Domus coram Ministro initio mensis examinata fuerint, idem Superior probata subscribat; Provincialis vero vel Superior Missionis, tempore visitationis annuae, eadem per se vel per Socium diligenter examinet et, accurata omnium negotiorum notitia accepta, chirographo suo muniat. Poterit etiam ad eundem finem uti opera Procuratoris Provinciae vel Missionis, cuius est, secundum regulas suas, emendare ac supplere defectus Procuratorum in Collegiis Domibusque nostris, et curare omnia negotia sibi a Provinciali commissa ad administrationes, rationes, lites et quosvis contractus ineundos spectantia, quae ad universae Provinciae aut Missionis Collegia et Domos pertinebunt².

47. Saepe perlegant et fideliter servent Superiores, Ministri et Procuratores ea omnia, quae tam in Regulis quam in Ordinationibus R. P. Beckx *de libris evulgandis*³ et *de arca Seminarii*⁴, necnon in epistola ejusdem *de Censibus etc.*⁵, et in epistola R. P. Anderledy *de stipendiis Missarum*⁶, praescribuntur.

48. Tandem curet Reverentia Vestra, ut haec mea *Ordinatio* non solum in consultatione Provinciae, sed etiam a Rectoribus et Superioribus singulorum Collegiorum ac Domorum coram Consultori-

¹ Cf. Epist. de stipendiis Missarum supra p. 287 sqq.; Constit. Innoc. XII de celebratione Missarum «Nuper a Congregatione» 23 Decembris 1697. Bullar. Roman. XX (Neapol. 1883) 806 sqq.

² Cf. Reg. Procur. Prov. 2 et 7.

³ Inst. III, 914 sqq.

⁴ Supra p. 284 sqq.

⁵ Supra p. 282 sqq.

⁶ Supra p. 287 sqq.

bus suis meditate legatur. Juverit etiam quandoque in consultationibus, cum aliquid ex Instituto legitur, ejusdem memoriam redintegrare; et tam Superiores quam Consultores in literis, quas statutis temporibus ad Generalem ex officio dare tenentur, certiore eum faciant, quam fideliter servetur.

LXVIII.

R. P. N. LUDOVICI MARTIN
INSTRUCTIO 25 DECEMBRIS 1895.

De bonorum temporalium administratione in Missionibus nostris.

Quoniam in Missionibus curae nostrae commissis aliisque in locis, in quibus similes vigent conditiones, dubia et controversiae de titulis bonorum nostrorum temporalium oriri solent, Superiores et Procuratores monui, in *Ordinatione de rerum temporalium administratione*¹, summopere curandum esse, praesertim in Missionum locis, non modo ut ex codicibus primo aspectu appareat, quaenam bona et redditus a Nostris possideantur, quaenam vero a Nostris tantum procurementur, sed etiam ut inventaria supellectilis quam diligentissime componantur et asserventur.

Id ipsum jampridem statuerat sanctissimus Dominus noster Leo XIII, mandans in Constitutione *Romanos Pontifices*², ut bona Missionum diligenter describerentur, ea secernendo, quae propria Missionum essent, ab iis, quae ad Sodalitia sodalesve singulos pertinenter. Ubi animadvertisendum est, vocabulum istud *Missio* à Summo Pontifice intelligi de Missione, prout ab Episcopo, Vicario aut Praefecto apostolico pro sacra Congregatione de Propaganda Fide administratur; non vero de Missione, prout est pars Societatis aut ad Provinciam pertinet Societatis; hoc altero sensu *Missio* in laudata Constitutione exprimitur per verbum *Sodalitia*.

De diversis ergo bonis ecclesiasticis, quae in Missione inveniuntur vel inveniri possunt, haec decernit summus Pontifex: 1. *Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos qua regulares spectantium, rationem Episcopo reddere non tenentur.* 2. *Eorum tamen bonorum, quae Missioni vel Regularibus intuitu Missionis tri-*

¹ Supra p. 304, n. 43.

² Acta S. Sedis XIII, 481 sqq.; Acta Apost. Sedis II, 254 sqq.

buta fuerunt, Episcopi jus habent ab iisdem missionariis regularibus, aequo ac a parochis cleri saecularis, rationem exigendi. Deinde in definiendo, quae bona intuitu Missionis oblata censenda sint, edicit Sanctitas Sua, religiosos ad leges Concilii westmonasteriensis II sese affatim accommodare oportere.

Cum autem Constitutio Romanos Pontifices ad omnes Missiones exteriores vel jam extensa, vel certo certius paulatim extendenda sit, Superiores nostri, tam ut summo Pontifici debitam exhibeant obedientiam, quam ut bona nostra in tuto collocent ac Societati conservent, dictas leges probe cognoscere easque sine cunctatione in proxim deducere tenentur, tum etiam decreta specialia anno 1866 a S. Congregatione de Propaganda Fide super Missionibus exteris Societatis Jesu edita.

Porro Concilium westmonasteriense¹ primo quidem principium generale statuit his verbis: *Allaborandum, ut omni modo determinetur, si dubium existat, intentio et animus donatoris vel testatoris... Si vero hujusmodi intentio non constet ex aliquo certo documento, servandae sunt regulae sive canones, quibus de tali voluntate recte judicari possit.*

Deinde huic principio generali sequentes regulas peculiares sub-jungit:

I. DE BONIS STABILIBUS, FUNDIS, ECCLESIS, SCHOLIS, ETC.

1. Regula: *Quotiescumque erigatur aut provideatur ecclesia seu schola sive aliud quodvis aedificium usibus religionis destinatum, sive ex integro sive ex parte pecuniis collatis a fidelibus, vel etiam a quavis societate piorum catholicorum eleemosynarum administratrice, ejusmodi aedificium habendum est veluti in perpetuum illi loco addictum. Et quamvis Missio de qua agitur sit ab aliqua corporatione religiosa occupata et administrata, eleemosynae illae PRAESUMUNTUR non corporacioni ipsi, sed Dei cultui promovendo et pauperum leramini fuisse collatae².*

2. Regula. *Similiter judicandum, si ab aliquo benefactore talia aedificia alicubi provideantur, NISI CERTISSIME CONSTET DECLARA-*

¹ VIII. De bonis ecclesiasticis, c. 2, 3; Collectio lacensis, Acta et decreta Concil. recent. III (Friburgi Brisg. 1875), 980 sqq.

² Ibid. c. 4.

RASSE SE in tali erectione non loci ejusque fidelium commodum respexisse, sed ORDINI ILLI DONUM VOLUISSE CONFERRE.

N. B. Regulae sub numero praecedenti et sub hoc traditae (1. et 2.) quoad jus in fundatione sunt applicandae ad novas tantum fundationes¹.

3. Regula. E converso, SI CERTISSIME CONSTET BENEFACTOREM declarasse se Ordini donum voluisse conferre, VEL SI FUNDUS EMPTUS SIT AUT AEDIFICIUM CONSTRUCTUM sumptibus alicujus familiae religiosae, horum dominium ad ipsum Ordinem pertinet².

II. DE BONIS MOBILIBUS, SUPELLECTILI ETC.

1. Regula. Si generatim proventibus ecclesiae, vel donis sive collectis Congregationis... fuerint haec conquisita, omnino Missioni addicta dicenda sunt, neque ullo pacto licet sacerdoti (aut familiae religiosae) ea sibi vindicare³.

2. Regula. Communiter etiam censendum, nisi CONTRARIUM PATET, juxta regulam in jure traditam, ea, quae ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse Missioni donata⁴.

3. Regula. Ea vero, quae personalem habent usum, ipsi data reputantur, sicuti etiam res sacrae, si expresse veluti grati animi et affectus pignus a Congregatione sacerdoti cuivis donantur⁵.

4. Regula. Ea quae sive ex proprio peculio, sive familiarium sibi bene affectorum donis, sive tandem ex ea parte proventuum ecclesiae, quae sibi competit pro sua honesta sustentatione, sacerdos sibi comparaverit, habenda erunt ut propria, ratione semper habita obligationis conservandi in bono statu ea quae accepit⁶.

III. DE PROVENTIBUS, REDITIBUS, HONORARIIS, JURIBUS STOLAE.

1. Regula. Pecuniae, quae a fidelibus contribuuntur modis infra recensendis, habenda sunt pro bonis ecclesiae, non pro muneribus datis sacerdoti (aut familiae religiosae)⁷.

¹ Ibid. c. 5.

² Cf. ibid. c. 5; 7.

³ Ibid. c. 12, n. 2.

⁴ Ibid. c. 13.

⁵ Ibid. c. 13.

⁶ Ibid. c. 12, n. 1.

⁷ Ibid. c. 9.

Modi a Concilio recensiti sunt sequentes:

a) *Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis, a quibus compensatio determinata datur ecclesiae.* b) *Solutio nummi determinati (ubi haec consuetudo viget) ab iis, qui locum assignatum non habent, nolunt vero locum liberum, ut aiunt, occupare.* c) *Collectae ad offertorium factae.* d) *Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei praecone, post quas generatim pro ecclesia, vel pro aliqua ejus parte seu attributione, colliguntur assistentium eleemosynae, qui saepe ex aliis Congregationibus accurrunt stipemque conferunt.* e) *Collectae quae vel de domo in domum fiunt, per viros ad hoc deputatos aut per Societas et Confraternitates legitime institutas, vel exiguntur per decurias aut centurias, prout fieri solet a laudabili Societate propagationis fidei nuncupata, vel quae a ditioribus statutis temporibus aut singulis annis solvuntur¹.*

N. B. Ex ea pecunia (quae his modis colligitur) honestae sacerdotis missionarii sustentationi... providendum est².

2. Regula. a) *Ad sacerdotis (seu familiae religiosae) peculium pertinent HONORARIA MISSARUM.* b) *Ubi riget usus temporibus Paschae et Nativitatis Domini singulis sacerdotibus munuscula dandi, haec ad ipsos (familiam religiosam) de jure pertinent.* c) *Proventus ex JURIBUS STOLAE derivantes ordinario sacerdotibus (familiae religiosae) adjudicentur, quamvis diversis modis, pro diversitate locorum, distribuantur³.*

Denique his omnibus decretum S. Congregationis de Propaganda Fide addendum est, die 18 Januarii 1886 editum, quod ita sonat: *Ex pensionibus Cappellaniarum militarium (si quae in Missione habeantur) quod honestae eorum (Cappellanorum) sustentationi superest, a Superioribus regularibus totum tradatur Vicario apostolico.*

Atque hae sunt regulae particulares, quae prae oculis habendae sunt, ut Constitutionis pontificiae sensum penitus assequi possimus.

In praxi ergo haec a Provincialibus et Missionum Superioribus praestanda sunt:

1. Diligenter inquirendum, quaenam bona in Missione, sive immobilia sive mobilia, ad hoc usque tempus Societas habuerit tamquam propria. Quem in finem a) Examinanda sunt instrumenta

¹ Ibid. c. 9, 10.

² Ibid. c. 9.

³ Ibid. c. 14, 15.

publica, testamenta, legata; documentorum verba ponderanda, et attendendae circumstantiae, in quibus confecta sunt. b) Quodsi ex documentis scriptis quaestio dirimi nequeat, applicandi sunt canones in jure sanciti; exploranda donatorum mens, adhibitis testibus, quibus de ea constare potest; investigandum, quaenam bona pecunia Societatis empta fuerint, ad quid impensa sint honoraria Missarum, proventus ex juribus stolae etc.

2. *Ad casus dubios quod attinet, sacra Congregatio statuit, Episcopos et Superiores regulares communi consensu eos solvere debere; quum vero diversae opiniones conciliari nequeunt, controversiam ad sanctam Sedem referendam esse — pro Societate per Prae-*

¹ *positum Generalem*

3. Imposterum vero singula instrumenta contractuum, emptio-
nis, donationis, testamentorum et legatorum, aliaque documenta
quae de titulis bonorum publicam faciant fidem, tam accurate cau-
teque concipientur, ut jura a Societate nostra quovis modo acqui-
sita nullatenus in dubium vocari possint. Quorum documentorum
(si ullo modo bona respiciunt Societatis) exempla authentica Romam
mittantur, in archivio Societatis servanda ².

Sicubi Societas, quominus quidquam possideat, lege civili exci-
pitur, ac proinde bona sua sub nomine alieno possidere ac vindicaro
cogitur, instrumento publico addantur et una cum eo Romam mit-
tantur, literae seu scripta privata authentica, quibus in foro con-
scientiae atque in tribunalibus ecclesiasticis jura nostra et benefa-
ctorum voluntas dilucide probari valeant. Quod tunc maxime atten-
dendum est, quando non Missioni vel Episcopo, sed nominatim So-
ciетati vel uni ex Patribus nostris bona quaecumque ea conditione
donantur vel legantur, ut fidem in Missione promoveant, ut pau-
peres sublevandos current, et similia. Quo in casu Societas, quamdiu
in Missione permanserit, ea bona ad designatum finem fideliter im-
pendere tenebitur, nec ea alio asportare vel aliis usibus applicare
poterit.

Si vero aliqua Missio fundatur exclusive sive longe majore ex
parte sumptibus nostris, et deinde Missio relinquenda sit et ad alia
loca justis de causis migrandum fuerit, curetur, *ut pactio clara fiat*
inter Episcopum et Superiorem, quid hoc in casu sit agendum, ne

¹ *Respons. S. Congr. de Propag. 16 Jul. 1869.*

² *Congr. I, decr. 103; Reg. Secr. Soc. 6; Reg. Prov. 78; Reg. Proc. Dom.
prof. 14; Reg. Proc. Coll. 21; Instr. IX n. 11.*

jura ex una parte laedantur, neve scandalum ex altera oriatur et grave animarum damnum emergat¹.

4. In omnibus domiciliis, et maxime in iis, quae non sunt propria Societatis, inventaria rerum mobilium, supellectilis etc. fidelissime componantur et asserventur; *unde clare videatur, quaenam res ad Societatem... pertineant².*

5. Debito tempore reclamentur et Societati vindicentur quaeunque ex proventibus ecclesiae, ex honorariis Missarum, ex iuriis stolae etc. missionariis nostris legitime obvenire poterunt. *Etenim quum haec omnia sint bona Societatis, nefas est de iis disponere... absque licentia Superioris qui ea applicare potest³.* Proventus vero, qui ex ipsa Missione Societati obveniunt, non extra Missionem sed in bonum ejusdem impendendi sunt, singulisque trienniis Superior regularis S. Congregationi rationem de iisdem reddere tenetur.

6. Nulla pecunia, Societati quovis titulo acquisita, ita ut libera-ram dispositionem sibi vindicare possit, mutuo detur sive Ecclesiae aut scholae sive alii cuicunque operi, quamvis pio, cuius dominium perfectum ad Societatem non pertineat, nisi prius debita secundum Ordinationem de administratione rerum temporalium⁴ obtineatur licentia. Quodsi, praehabita facultate debita, aliquid mutuo detur, ita fiat, ut ex documentis authenticis clare constet, quantum Societas ex suo foeneraverit.

7. Singulis annis a Procuratore Missionis relatio bonorum omnium Societatis cum rationibus expensorum et acceptorum (per Provinciale, si Missio sit dependens a Provincia) ad Praepositorum Generalem mittantur⁵.

Haec sunt, quae pro officii mei munere praescribenda esse duxi. Id unum rogo atque obtestor omnes Provinciarum ac Missionum Praepositos, ut fideles sese administratores et adjutores exhibeant in re tanti momenti, super qua et mea et eorum conscientia gravissime oneratur.

Instructioni praecedenti tamquam appendix adduntur:

¹ Conc. westmonast. II; l. c. c. 7.

² Cf. Ord. de rer. temp. adm. « Libros rationum »; supra p. 304, n. 43.
Conc. westm. l. c., c. 12.

³ Cf. Ord. c. « Applicari quoque »; supra p. 301, n. 37.

⁴ « Pariter postulat »; supra p. 298, n. 25.

⁵ Cf. Ord. c. « Expedit in libris »; supra p. 305, n. 45.

DECRETA ET DECLARATIONES

SUPER MISSIONIBUS SOCIETATIS JESU¹

I.

Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide 12 Augusti 1851.

Cum difficultates haud raro exoriantur circa Literas apostolicas, quibus presbyter aliquis Societatis Jesu ad Vicariatum apostolicum regendum constituitur, S. Congregatio de Propaganda Fide censuit supplicandum SS. Domino, ut quae jam pro Vicariatu madurensi a sanctae memoriae Gregorio XVI apostolicis Literis in forma Brevis die 19 Maji anni 1846 datis atque alias deinde constituta sunt, generali Decreto comprehenderentur.

Statuta vero hujusmodi eo spectant ut, quoties apostolicae Literae tradantur, quibus Sacerdos memoratae Societatis Vicarius apostolicus, seu Vicarii apostolici Coadjutor, Administrator, aut Delegatus apostolicus ad Vicariatum regendum assumatur, quae sequuntur, sancita intelligentur:

1. Dispensatio ac solutio locum habeat a Regula Constitutionum Societatis, sive obligatione de non admittenda excipiendaque ulla extra Societatem praelatione seu dignitate.

2. Quatenus electus in Societate Professus existat, solutum eo ipso intelligatur votum per sacerdotes Professos emitte solitum, de non recusando consilio Praepositi Generalis Societatis vel ejus Delegati, in commissi sibi muneric exercitio, si quando ad alicujus Ecclesiae regimen eligantur.

3. Si in Vicariatu apostolico, cuius cura committitur, existant alii presbyteri ipsius Societatis, electus habeatur etiam veluti primarius Superior regularis presbyterorum Societatis, adeoque juxta Instituti Regulas, in iis quae ad disciplinam regularem pertinent, eosdem moderetur ac regat.

4. In gubernio Missionis, et in administratione fundorum et pecuniarum quovis titulo obvenientium, omnia ex sententia sacrae Congregationis de Propaganda Fide peragere debeat, ad eamque,

¹ Cf. Collectanea S. Congr. de Prop. Fide (Romae 1907) I, n. 1065; II, 1531, 1651.

singulis saltem trienniis, de vero statu Missionis referre teneatur, tum circa spirituales, tum circa temporales res, ipsam respicientes.

Porro SS. Dominus noster Pius PP. IX in audientia infrascripto S. Congregationis Secretario concessa die 10 Augusti anni hujus haec omnia probavit, ac Decretum servari praecepit, onerata super his omnibus eligendorum conscientia, ac de apostolica auctoritate eosdem a quacumque prorsus obligatione dissolvit ac liberavit, per Professionem regularem suscepta, quae cum supradictis praescriptionibus non cohaereat; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 12 Augusti 1851.

J. PH. Card. FRANSONI Praef.
AL. BARNABÒ a Secretis.

II.

Dubbi proposti e risoluzioni prese dalla S. Congregazione nella generale adunanza del 28 Febbraio 1880 e confermate da S. Santità Leone XIII nell'udienza del 4 Aprile 1880.

In generali conventu S. Congregationis de Propaganda Fide, habito in aedibus vaticanis die 28 Februarii anno 1880, cui interfuerunt Emi et Rmi DD. Cardinales Di Pietro, De Luca, Pitra, Simeoni, Oreglia, Bartolini, d'Avanzo, Franzelin, Howard, Alimonda, Sbarretti, sopra il Decreto, 12 Agosto 1851, relativo alle Missioni raccomandate alla Compagnia di Gesù — ad proposita dubia:

1. Se convenga abrogare e modificare il Decreto 12 Agosto 1851, relativo alle Missioni affidate alla Compagnia di Gesù;

Et quatenus affirmative,

2. Se sia il caso di applicare ad esse le norme stabilite da Benedetto XIV nella Costituzione *Apostolicum ministerium*, relativa ai Vicariati apostolici d'Inghilterra; respondendum censuerunt:

Ad 1: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam et ad mentem. Mens est, ut firmo remanente quarto Decreti articulo, expungantur 1. 2 et 3, et loco tertii articuli statuatur, prout sequitur: Missionarii Societatis Jesu immediate gubernentur ab aliquo Superiore regulari, secundum Instituti leges a Praeposito Generali constituto et ab eodem revocabili, ita ut in iis quae mere ad vitam religiosam pertinent, unice pendeant ab hoc Superiore; in iis vero quae totaliter sunt ministerii apostolici, totaliter regantur a

Vicario apostolico. Hanc autem ordinationem sacra Congregatio ita intelligendam esse declaravit: — Praepositus Generalis qui, propter loci distantiam, auctoritatem suam immediate exercere nequit, audita prius sententia Vicarii apostolici et Provincialis, ad cuius Provinciam pertinet Missio, sibi substituat Superiorum regularem, qui, uti reliqui Societatis Superiores, post triennium est mutandus. Hujus Superioris auctoritas prorsus nulla est quoad ea quae respiciunt Vicariatus apostolici regimen et administrationem. Hinc quae ad Seminarii et cleri saecularis disciplinam, quae ad monialium curam, quae ad ecclesiarum et scallorum erectionem et conservationem, quae ad piorum quorumcumque Institutorum regimen, item quae ad quasi-parochialis religiosorum officia referuntur, uno verbo, tota gubernatio et administratio Vicariatus ad solum Vicarium apostolicum pertineat. Superior autem regularis habeat omnes facultates in Missione, quas Provincialis in Provincia sua, quoad religiosam vitam, exercere solet; et quamvis a Praeposito Generali sit constitutus, habeat tamen in exercenda sua auctoritate Provinciale ut Superiorum immediatum.

Praeterea, licet in iis quae disciplinam religiosam spectant, tum pro communitatibus tum pro singulis membris, ipse directionem accipiat a suo Provinciali, tamen relate ad destinationem missionariorum subest Vicario apostolico.

Attamen, quia Superior regularis juxta morem Societatis rationes conscientiae excipere solet, eum Vicarius apostolicus, quando destinationes sunt facienda, in consilium adsciscit ejusque judicio defert, in quantum fieri potest, quamvis penes ipsum Vicarium apostolicum remaneat ipsa nominatio et collatio jurisdictionis.

Ad 2: Negative.

ITA EST:

CAIETANUS Card. ALIMONDA Relator.

Ex audiencia diei 4 Aprilis anni 1880.

SS. D. N. Leo divina providentia PP. XIII, referente infra scripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, praeditas Emorum ac R̄morum Patrum resolutiones approbavit et confirmavit.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis die 4 Aprilis anno 1880.

I. MASOTTI, *Secretarius.*

III.

Risoluzioni date dagli Emi Cardinali della sacra Congregazione di Propaganda nell'adunanza generale del 18 Gennaio 1886 ed approvate dal santo Padre il 19 dello stesso mese intorno alle decisioni del 4 Aprile 1880 risguardanti le Missioni raccomandate alla Compagnia di Gesù.

CIRCA MISSIONARIORUM SOCIETATIS JESU DEPENDENTIAM A SUPERIORE REGULARI ET A VICARIO APOSTOLICO:

Quatenus sunt religiosi, subduntur Superioribus regularibus vi voti, juxta Constitutiones Societatis; in casibus vero a jure nominatim expressis, et generatim in iis quae spectant curam animarum, et sacramentorum administrationem, subsunt Vicario apostolico obedientia canonica, uti jam Clemens VIII sancivit, in Indiam missos religiosos in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse: in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis Superioribus subiectos remanere¹.

CIRCA JUS EOSDEM MISSIONARIOS AD VARIA OFFICIA DESTINANDI:

Tum ad ministeria missionariorum curam animarum concorrentia, tum ad curanda pia instituta quae sunt in Vicarii apostolici potestate, ut seminaria, catechumenatus, hospitalia, scholae populares, et his similia, destinatio personarum quas Superior regularis repraesentat, et collatio jurisdictionis pertinet ad Vicarium apostolicum, ideoque etiam harum personarum remotio et translatio pertinent ad Vicarium apostolicum et ad Superiorem regularem juxta normas statutas a Benedicto XIV in Bulla *Firmandis*, n. 11²; id est: « Eveniente autem casu quo vel Episcopus, vel Superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse judicaverit; quoniam hujusmodi parochis, sine praevia Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superioribus deputatis, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere sine Superioris regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere easque verificare deberet; tum etiam, an regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo jure deveniens, consensum Episcopi exquirere suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere

¹ Bulla Clem. VIII « Religiosorum quorumcumque », 8 Nov. 1601.

² 6 Nov. 1744; Iuris pontif. de Prop. Fide, pars prima, III, 188 sq.

teneretur. Qua de re supradicta Congregatio Concilii decrevit, hujusmodi parochos tam ab Episcopo, quam a Superiore regulari, aequo jure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas judicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere ». — Id quod a nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

CIRCA COLLEGIA IN MISSIONIBUS SOCIETATIS JESU:

Quoad Collegia et Collegiorum scholas atque Convictus, in quibus Religiosi viri secundum Ordinis sui praescripta juventuti insti-tuendae operam dare solent, et recta ratio postulat, et S. S. vult firma atque integra privilegia Regularibus concessa manere, adeo-que tum regimen eorum institutorum, tum personarum in iis desti-natio ad Superiores regulares spectat, juxta Societatis Constitu-tiones.

CIRCA ADMINISTRATIONEM BONORUM TEMPORALIUM IN IISDEM MIS-SIONIBUS:

Quoad administrationem reddituum ex operibus religiosorum provenientium statuitur: 1. Administratio reddituum Collegiorum et Convictuum, item retributionum quae singulis cum dispensatione apostolica ex stipendiis Missarum et juribus stolae vel ex indu-stria personali proveniunt, ad Superiores regulares pertinet; 2. Vi-cario apostolico permittitur statuere Cathedraticum, quod sibi sol-vatur, antea a S. Congregatione approbandum. Ex pensionibus vero Cappellanorum militarium, quod honestae eorum sustentationi superest, a Superiore regulari totum tradatur Vicario apostolico. 3. Proventus de quibus dictum est non extra Missionem, sed in operibus Missionis impendendi sunt; ad hunc finem Superior regu-laris singulis trienniis S. Congregationi rationem de iis reddere tenetur.

De « Instructione S. Congregationis de Religiosis circa debita susci-pienda » agitur in epistola R. P. N. Wernz 19 Martii 1910, supra, tertiae partis p. 272 sqq.

PRAEPOSITI GENERALES SOCIETATIS JESU

Congregationes generales

d. electionis mortis

I.	19. Jun. 1558.-10. Sept. 1558.	1. S. P. Ignatius	19. Apr. 1541.-31. Jul. 1556.
II.	21. Jun. 1565.- 3. Sept. 1565.	2. Jacobus Laynez	2. Jul. 1558.-19. Jan. 1565.
III.	12. Apr. 1573.-16. Jun. 1573.	3. S. Franciscus Borgla	2. Jul. 1565.- 1. Oct. 1572.
IV.	7. Febr. 1581.-22. Apr. 1581.	4. Everardus Mercurianus	23. Apr. 1573.- 1. Aug. 1580.
V.	3. Nov. 1593.-18. Jan. 1594.	5. Claudio Aquaviva	19. Febr. 1581.-31. Jan. 1615.
VI.	21. Febr. 1608.-29. Mart. 1608.	Jussu Clementis VIII. Ex decreto Procuratorum.	
VII.	5. Nov. 1615.-26. Jan. 1616.	6. Mutius Vitelleschi	15. Nov. 1615.- 9. Febr. 1645.
VIII.	21. Nov. 1645.-14. Apr. 1646.	7. Vincentius Carrala	7. Jan. 1646.- 8. Jun. 1649.
IX.	13. Dec. 1649.-23. Febr. 1650.	8. Franciscus Piccolomini	21. Dec. 1649.-17. Jun. 1651.
X.	7. Jan. 1652.-20. Mart. 1652.	9. Alexander Gottifredi	21. Jan. 1652.-12. Mart. 1652.
		10. Goswilus Nickel	17. Mart. 1652.-31. Jul. 1664.
XI.	9. Maji 1661.-27. Jul. 1661.	Ex deer. Innocentii X. Vicar. G.	7. Jun. 1661.
		11. Joan. Paul. Oliva	Praep. G. 31. Jul. 1664.-26. Nov. 1681.
XII.	22. Jun. 1682.- 6. Sept. 1682.	12. Carolus de Noyelle	5. Jul. 1682.-12. Dec. 1686.
XIII.	22. Jun. 1687.- 7. Sept. 1687.	13. Thyrsus Gonzalez	6. Jul. 1687.-27. Oct. 1705.
XIV.	19. Nov. 1696.-16. Jan. 1697.	Ex decreto Innocentii X.	
XV.	20. Jan. 1706.- 3. Apr. 1706.	14. Michael Ang. Tamburini	31. Jan. 1706.-28. Febr. 1730.
XVI.	19. Nov. 1730.-13. Febr. 1731.	15. Franciscus Retz	30. Nov. 1730.-19. Nov. 1750.
XVII.	22. Jun. 1751.- 5. Sept. 1751.	16. Ignatius Visconti	4. Jul. 1751.- 4. Maij 1755.
XVIII.	18. Nov. 1755.-28. Jan. 1756.	17. Aloysius Centurione	30. Nov. 1755.- 2. Oct. 1757.
XIX.	9. Maji 1758.-18. Jun. 1758.	18. Laurentius Ricci	21. Maji 1758.-24. Nov. 1775.
Societas in Russia	1. 10. Oct. 1782.-18. Oct. 1782.	Stanislaus Czerniewicz Vicar. G.	17. Oct. 1782.-18. Jul. 1785.
	2. 1. Oct. 1785.-13. Oct. 1785.	Gabriel Lenkiewicz Vicar. G.	8. Oct. 1785.-10. Nov. 1798.
	3. 27. Jan. 1799.- 4. Febr. 1799.	Franciscus X. Karel { Vicar. G.	1. Febr. 1799.
	4. 15. Oct. 1802.-25. Oct. 1802.	Praep. G. 7. Mart. 1801.-10. Aug. 1802.	
	5. 8. Sept. 1805.-19. Sept. 1805.	Gabriel Gruber	21. Oct. 1802.- 7. Apr. 1805.
	19. Thadd. Brzozowski	{ 14. Sept. 1805.	7. Aug. 1814.- 5. Febr. 1820.
XX.	9. Oct. 1820.-10. Dec. 1820.	20. Aloysius Fortis	18. Oct. 1820.-27. Jan. 1829.
XXI.	30. Jun. 1829.-17. Aug. 1829.	21. Joannes Roothaan	9. Jul. 1829.- 8. Maij 1853.
XXII.	22. Jun. 1853.-31. Aug. 1853.	22. Petrus Beckx	2. Jul. 1853.- 4. Mart. 1887.
XXIII.	16. Sept. 1883.-23. Oct. 1883.	23. Anton. M. Anderledy { Vicar. G.	24. Sept. 1883.
		Praep. G.	4. Mart. 1887.-18. Jan. 1893.
XXIV.	24. Sept. 1892.- 5. Dec. 1892.	24. Ludovicus Martin	2. Oct. 1892.-18. Apr. 1906.
XXV.	1. Sept. 1906.-18. Oct. 1906.	25. Franciscus X. Wernz	8. Sept. 1906.

INDEX ALPHABETICUS

A

Absolvendi potestas a reservatis 118 sq., 160 sq.; *v. Reservatio.*
Accusati per injuriam apud Generalem defendendi a Provinciali 113.
Actiones vel obligationes, tituli, 282, sqq., 291, 297; *v. Census.*
Administratio bonorum temporarium 127 sq., 272 sqq., 290 sqq., 296 sqq., 316.
Administrator apostolicus; *v. Vicarius apostolicus.*
Admissio, admitti nequeunt quidam postulantes 267 sq.; admittendi non plures quam sustentari possunt 61; cum delectu diligentii 41, 148 sqq.; caute examinandi 60 sq., 137; speciatim quoad virtutem castitatis 142; a quatuor perspectae prudentiae Patribus 149; in admittendis quae studia perfecta requirantur 271; qui et quales ut Fratres coadjutores admittendi sint 90; admittendi ad vota 63; de institutione admissorum 141, 148 sqq.
Admonitor libenter audiendus 36.
Adolescentes quomodo instituendi in nostris gymnasiis 222 sq.; adolescentium confessarii quales esse debeant 216; *v. Juvenes.*
Aedificia nostra qualia construenda 136; exstructiones et fabricae no-

vae, aedificandi facultas 280, 302; aedificiorum construendorum informationes et delineationes 302 sq.
Aegrotorum cura commendatur speciali Superiorum caritati 85, 104.
Aequalis sit Superioris amor erga omnes 19 sq.
Aes alienum, quo Collegia etc. obruuntur 279.
Aesthetica 245.
Affabilitas commendatur Superioribus 58.
Affectus nimius erga consanguineos reprimendus 86.
Alexander VII 122.
Alienatio bonorum 298; quae bona a Superioribus alienari possint 298.
Alienus a nostro Instituto spiritus ne in Societatem introducatur 160.
Alimenta ceteraque necessaria liberaliter Nostris praestanda 116, 135 sq.; *v. Victus.*
Alimonda, Cardinalis Cajetanus 313 sq.
Alloquendi subditi a Superiore 58.
Aloysius, Gonzaga S. 179.
Ambiguitas vitanda 20.
Amicitiae particulares vitandae 44.
Amor divinus impellit ad Societas perfectionem quaerendam 38.
Amplexus fraternalis 177.
Anderledy, Antonius Maria 160-166, 197, 254-258, 287-290, 293.

- A**
- Angelica virtus *v.* Castitas.
Aimas juvandi ratio 195; subditorum animas a Superioribus exposcit Deus 87; *v.* Zelus animarum.
Apóstolicae scholae 296.
Applicandi ad studia qui et quomodo 63 sq.; ad ministeria 65.
Approbatio et censura librorum Nostrorum 134, 175, 265.
Aquaviva, Claudio 28-77; monita pro Superioribus 53-77; de Regula tactus 178; 193-195; 207-215; de administratione rerum temporalium 284 sq.
Arca fundationum 275; Provinciae 293; causarum piarum 293; Seminarii arcae finis, usus, administratio 284 sqq., 293; quae bona arcae Seminarii applicari possint 301.
Archivum in unaquaque Provincia debito modo instruendum 112; quae in eo sint conservanda 113 sq.; Provinciali ante suum decessum diligenter recognoscendum 113; epistola de archivo legenda et tradenda resignatione Provincialis facta 114.
Aristoteles 228.
Aspirantes ad Societatem; *v.* Admisiō; Candidati.
Athanasi S. exemplum 81.
Auctis admodum 267, 268-272.
Augustinus S. 33, 49, 87, 99.
Aurea Bulla 199 sqq.
Auxillis praesertim supernaturalibus utatur Superior 27; *v.* Superiores.
Avaritiae illiberalis et sordida indoles 116.
Aversiones animorum evitandae 103.
- B**
- Balnea *v.* Thermae.
Barnabò, Alexander 313.
Bartolini, Cardinalis Dominicus 313.
Basilli S. exempli vis 76.
- C**
- Beckx, Petrus 131-160, 167 sq., 195, 197, 233-254, 282-287.
Benedicti S. Regula 35.
Benedictus XIV, 200, 313. 315.
Bernardus S. 44.
Biblica Commissio 265.
Bibliopolae et honoraria pro libris edendis 135.
Bibliotheca Patrum communis continet praesentem libellum 6.
Bona **temporalia**, eorum jactura 127, bona quae habeant adnexas Missas dicendas 272; bona renuntianda triplicis generis 281; bona actu possessa 281; bona immobilia 281 sqq.; bona eventualia, hereditaria 281; bona quae et quomodo a Nostris possideri possint 292 sqq.; bona causarum piarum 293; bona Societatis a quo et quomodo administranda sint 296 sqq.; bona temporalia bona D. N. Iesu Christi 274 sq., 297; bona temporalia patrimonium pauperum 297, 299; bona Missionum nostrorum 306 sqq.; bona Missionum qua talium et bona sodalitiorum (Missiones administrantium) distinguenda 306; bona stabilia, ecclesiae, scholae etc.: regulae 307 sq.; bona mobilia, supellex: regulae 308; quoad bona Missionum quae inquirenda et praestanda sint 309 sq.; bona Societatis debito tempore reclamanda 311.
Bonaventura S. 34, 36, 48, 78.
Boni subditi quomodo tractandi 25.
Brevis theologiae cursus 232, 269 sq.
Budget, praeventivum pro anno futuro 275.
Bulla aurea 199 sqq.
Busenbaum, Hermannus 228.

- Candidati** quoad castitatem quales esse debeant 141 sq.; examinandi de studiis extra Societatem factis 151; *v. Admissio.*
- Capuccinorum** studia, 270.
- Carrafa**, Vincentius 104 sq., 198 sq., 280.
- Caritas** Superiorum erga subditos gubernandos quanti sit momenti 19 sqq.; valde commendatur 84, aequalis sit in omnes 84.
- Caritas** fraterna sancte servanda 48 sq.; ne laedatur delatione alienorum defectuum 103 sq.; erga aegrotos 85, 104; moribundos 104 sq.
- Cartas de san Ignacio** 17 sq.
- Cassianus abbas** 45, 81.
- Castitas**, in Religione ficte procedentes, quomodo tractandi 28 sqq.; quanti maiores nostri castitatem fecerunt 142; quam fidelissime servanda 142 sqq.; quoad castitatem in admittendis maxima circumspectione opus est 142; Scholastici defendendi contra pericula castitatis 143 sq.; castitatis non sufficiens cura pertimescenda 97; causae castitatem periclitantes 97; castitatis pericula 156; praesidium castitatis fidelis observatio Regulæ tactus 176 sqq.; *v. Admissio;* Libri prohibitii; Scholastici,
- Casuum** reservatio 118 sq.; facultas absolvendi a casibus reservatis 160 sq.
- Catalogus** opinionum amplectendarum aut rejiciendarum non conscribatur 211; Catalogos propositionum ex philosophia non docendarum 245 sqq.; Catalogus praepositorum Generalium et Congregationum generalium 317.
- Cathedra**, qui a cathedra removendi sint 86, 212 sq., 218; promovendi ad cathedralm quales esse debeant 212.
- Causarum** piarum arca 293; bona 293.
- Censores** librorum quomodo judicare debeant 208; *v. Libri.*
- Censores** constituendi in Provinciis de studiorum statu et de remedio adhibendo 209.
- Census** 282 sqq.; quid liceat Nostris quoad census 283.
- Centurioni**, Aloysius 225-230.
- Cheraemon** abbas 81.
- Christi** locum se tenere Superiores meminerint 19, 22; Christi severitas in SS. Petrum et Paulum Superiorum exemplum 25; Christi imago in nobis perficienda 136.
- Cibus** *v. Victus.*
- Citationes tacitae seu implicitae** in S. Scriptura 265.
- Clausura** quomodo in Convictibus observanda 148; de clausura canonica observanda Congr. XXIV, 167; clausura exacte observanda 167 sqq.
- Clemens Alexandrinus** 216.
- Clemens VIII** 298, 315.
- Coadjutores** formati, quando Superiori Domus rationem conscientiae reddere teneantur 164.
- Coadjutores** Fratres admittendi cum delectu magna cautione 90; quae requirantur in candidatis 90; ad perfectionem dirigendi 89 sqq.; Novitii quandam e tirocinio educendi 150; *v. Fratres coadjutores.*
- Codices** rei familiaris 304.
- Cognitio** culturae interioris animi subditorum 20; cognitio Instituti nostri Superioribus maxime necessaria 82 sq.; *v. Tertia Probatio.*
- Collegia** erunt sicut praeceptriores eorundem 86; quomodo aedificanda 136; quoad clausuram 148; 166 sqq.; Provincialis visitans quam accuratissime de statu scholarum se informet 223; item de

- temporalibus 280; quid possidere possint 295 sq.; collegia nostra in Missionibus gaudent Societatis iuribus integris 316.
- Commentarii** Orlandini Nicolai in Regulas commendantur 159.
- Commentatores** Instituti commendantur 186.
- Commissarii v.** Visitatores.
- Commissio de re biblica** 265.
- Communismus** 243.
- Compendiarius** theologiae cursus 232; ipsi quartus annus addendus 269 sq.
- Computerum** libri accurate conficiendi 304; recognitio facienda 305; relatio quotannis ad Generalem transmittenda 305.
- Concilia S. C. Decreta** 289.
- Concilia Westmonasteriensis regulae** 307 sqq.
- Concionatores** nostri bene formandi sunt 194; ipsis formandis monita accommoda 194 sq.; adjumenta 194 sq.; industriae 195; impedimenta 195.
- Confessarii**, severius cum detractoribus agant 90; cautela ipsis necessaria 100 sqq.; ipsorum socii 102; mulierum confessarii 145; eorum facultas absolvendi a reservatis 154 sq.; confessarii bene sciant, quid Societas quoad castitatem desideret in aspirantibus 142 sq.; adolescentium in scholis et seminariis nostris quam optimi sint 216.
- Confessio v.** Sigillum.
- Confraternitates** aliaque sodalitia a Societate aliena 139; ab aliis religiosis familiis directa 140.
- Congregatio mariana** Prima-primaria 197; congregations marianae quanti momenti pro Societate 199 sqq., 217, 257; quinam qualesque sint ipsis praeficiendi 200 sq.; omnium optimi ipsis praeficiantur 223.
- Congregationes** bonae mortis 257.
- Congregationes** piae novae ne instituantur absque Patris Generalis facultate 155.
- Congregationes** provinciales quibusnam de rebus agere debeant 37 sqq., 67; earum finis 67; præparatio et directio 67; epistola ad Patres Congregationum provincialium missa 92 sqq.
- Congregatio** polocencis anni 1785 de cultu SS. Cordis Jesu 196; Congregatio XXIII de cultu SS. Cordis Jesu 197.
- Congregationum** generalium catalogus 317.
- Congressus** 254 sqq.; alieni ab Instituto nostro ne visitenlur 255.
- Conjunctio** cum Deo maxime necessaria 131 sq.
- Consanguineos** ne nimio affectu persequantur 86.
- Consalvius de Camara**, Ludovicus 18.
- Conscientiae** ratio reddenda 28 sqq., 43, 72, 118, 164; quando reddenda Superiori Domus a Professis et Coadjutoribus formatis 164; laudabilis mos eam reddere quotannis non solum Provinciali sed etiam Superiori 164; ex conscientiae ratione extra confessionem accepta notitia utrum et quomodo uti liceat 165; ratio conscientiae reddenda inter substantialia instiuti numeranda 118, 166; *v. Secretum*.
- Considerationis** hora vehementer commendatur 34, 50 sq., 158 sq.
- Constitutionum** studium; *v. Cognitione*; Tertia Probatio.
- Consuetudo** contra Regulas in Societate non admittitur 176.
- Consuetudines** Provinciae vel Missionis servandae 300.
- Consultationes** quomodo, quando, de quibus rebus habendae 59; infrequens earum usus incusatur 83;

- consultationes Praepositi Generalis cum Assistentibus exemplum ceterorum 117 sq.; methodus 117; praeparatio 118; in libro de peractis ratio reddenda 117; ne obiter sed diligenter instituantur; consultationes de promovendis ad S. Ordines 174 sq.
- Consultores** 117 sq.; in literis Consultorum caput addendum de paupertate 129; Consultores moneant Generalem de execucione monitorum propositorum 160; quoad administrationem rerum temporalium 272; scribant ad Generalem de observatione Ordinationis circa bona temporalia 305 sq.
- Contributiones** imponendae singulis Collegiis etc. ad bonum commune 300; ad arcam Seminarii 300 sq.; hisce ne Collegia etc. nimium graventur 302.
- Conversatio** superflua cum externis vitanda in tertia Probatione 181; *v. Externi*.
- Convictus** quoad clausuram 148, 168; quoad res temporales 296.
- Convivia**, quae magistris aliquoties per annum conceduntur 144; *v. Vicetus*.
- Correctio** subditorum quomodo facienda 53 sqq.; *v. Defectus*.
- Cordis Jesu** cultus in Societate 195 sqq.; oratio de SS. Corde addenda Litaniiis 196; festum inter solemniora habendum 197; ipsi vota tota Societas 197.
- Cordis Mariae** cultus in Societate 195 sqq.; ipsi devota tota Societas 197.
- Cubicula** Scholasticorum 124; *v. Scholastici*.
- Culpa** gravior licentia linguae 87.
- Cultus** qui in aliis Ordinibus reli giosis Praesidibus defertur 110.
- Custodia** diligens disciplinae 132;
- vitae communis 79, 185; caslatis *v. Castitas; Puritas*.
- D**
- Damna** Societati timenda 94 sqq.; causae eorum 92 sqq.
- D' Avanzo**, Cardinalis Bartholomeus 313.
- Debita** a religiosis familiis suscipienda, instructio 266 sqq.; circa debita suscipienda a Nostris 272 sqq.
- Decretum** de non admittendis quibusdam postulantibus 30, 266 sqq.; de promovendis ad S. Ordines 169 sqq., 172, 266 sqq.; de tribus Decretis S. C. de Religiosis 266 sqq.; Decreta S. Officii et Indicis 259; S. C. de Propaganda Fide 307; Decreta et declarationes super Missionibus Societatis 312 sqq.
- Decretum** Congr. XVII, typis non impressum una cum aliis, promulgandum 127; de S. Thomae doctrina sequenda 207 sqq.; de gratia efficace 214 sq.
- Defectus** quandonam communes vandi sint 34; defectus, quibus disciplina enervatur 35; defectus alieni quando manifestandi 43; defectus commissi in admittendis et dimittendis Nostris 61; defectus contra observantiam duplicitis generis quomodo corrigendi 54; inveterati quomodo emendandi 54 sq.; quomodo deferendi 103 sq.; mediatis Superioribus non aperiendi nisi triplici cautione exhibita 103 sq.; defectus quidam eradicandi 153 sqq.
- Defunctis** pro nostris Missae dicendae 141, 289; *v. Suffragia*.
- Delatores** et discordiarum seminatores coercendi 49.
- Delatus** si quis ex Provinciis fuerit, quomodo se gerat Provincia-

- lis de hac re a Generali monitus 88.
- D**electus admittendorum 148 sqq., 156; *v. Admissio*.
- D**elegatus apostolicus *v. Vicarius apostolicus*.
- D**elineatio novi aedificii construendi 303.
- D**e Luca, Cardinalis Antoninus 313.
- D**enuntiationibus haud facile credendum 27.
- D**eposita 300.
- D**eputati Patres in Congregatione provinciali quaenam scripto novent Romam per Procuratorem mittenda 40.
- D**etractionis gravitas 49 sq.
- D**etrimenta *v. Damna*.
- D**evota Societas universa Cordi Jesu et Cordi Mariae 197.
- D**evotionis adminicula Instituto nostro propria prae ceteris adhibenda 140.
- D**evotionis vota, eorum natura et effectus, obligatio quaedam moralis Societatis quoad emittentes 120 sq.
- D**evotulæ *v. Feminae*.
- D**extræ conserunt salutando invicem Angli, Germani 177.
- D**ifficiles *v. Dyscoli*.
- D**ifficultates suas Superiores Provinciali sincere manifestent 36; vincant tandem omnes 52; difficultates quoad obedientiam 153; ex temporum recentiorum nequitia 179.
- D**iffidere se subditis Superior ne unquam ostendat 24.
- D**ilata Professio 107.
- D**imissio, quinam dimittendi et quomodo 26, 29, sqq., 61 sq.; dimittendus ne ex negligentia aut commiseratione retineatur 61; dimitti qui non vult experimentis subjiciatur 62; quinam dimittendi tempore Tirocinii 151; quinam ex Scholasticis dimittendi 151 sq.;
- dimitti possunt Nostri post Decretum « Auctis admodum » eodem modo quo antea 169; dimissio tamen quoad promotos ad S. Ordines difficilior redditâ est 173; dimissi ex Societate obligantur dispositionibus Decreti « Auctis admodum » 170; dimissi qui censemantur 268.
- D**i Pietro, Cardinalis Camillus 313.
- D**isciplina de religiosa agit pars prima, 17-189; disciplina interior perpetuo promovenda 21 sq.; disciplinae diligens custodia parit orationis fructum 132; *v. Exercitia spiritualia*.
- D**iscordiarum seminatores 49 sq.
- D**iscretio Superiorum 36.
- D**ispensare pro lubitu a Regulis non licet Superioribus 51; quomodo dispensandum 51; absque gravi necessitate non dispensandum a tertia Probatione 64; dispensatio pro Vicariis apostolicis 312 sq.
- D**isputationum menstruarum theses Romam mittendae 263.
- D**istractiores quomodo tractandi 25 sq.; particulatim instruendi et mōnendi 26.
- D**istributio lectionum philosophiae 234 nota.
- D**istributio officiorum ac munerum quomodo instituenda 57 sq.
- D**iuturnior gubernatio 121 sq.
- D**ivisio hujus libelli in quatuor partes 5.
- D**octrina christiana in prima Probatione 74; Societatis ministerium 257.
- D**octrina requisita ad Professionem quatuor votorum 107; doctrina praeter virtutem Nostris necessaria 137; de soliditate et uniformitate doctrinae 207 sqq.; doctrina S. Thomae sequenda 209 sqq.
- D**octores nostri quales esse debeat 208.

Documentorum jactura unde veniat 118.

Domus et Collegia nostra quomodo aedificanda 136; quoad clausuram 148, 167 sqq.; Domus professa utrum pharmacopoeam habere queat 128; quid possidere possit 294; Domus Scriptorum 295.

Donationes, quas facere liceat 298.

Donum gubernationis 19.

Duratio praecepti obedientiae 103; gubernationis 121 sq.; tertii anni 187 sq.

Dyscoli quomodo tractandi 25 sq.

E

Editio bonorum librorum 175; editiones variae hujus libelli 5; hujus editionis commendatur frequens usus 6.

Educatio Scholasticorum 127 sqq.; alicubi a pristina severitate excedit 129; causae educationis malae 130; remedia adhibenda 130; selectis Patribus concedenda 137; v. Institutio; Scholastici; Noviti; Fratres Coadjutores etc.; educatio Nostrorum paterna sit ast non mollis 137, 143 sq.

Effusio in exteriora 155 sq.

Eleemosyna ne a Nostris importune corrogentur 86, 154; a Nostris dandae 300.

Emendatio requisita in iis, qui ad gradum promovendi sunt 108; v. Correctio; Defectus.

Empirici 241.

Emptio et venditio obligationum vel actionum 282 sq., v. Bona temporalia; Census etc.

Ennodius 220.

Ephemerides, utrum liceat Scholasticis folia publica legere 133 sq.; non sine delectu legantur 133 sq.; a Nostris directae et editae Romanam mittendae 176.

Episcopalia Seminaria 296.

Episcopi desiderant Nostros excellentes in theologia morali 227; v. Vicarius apostolicus.

Episcoporum jura quoad bona Missionum 306 sq.

Epistolae ne nimiae scribantur 87; praesertim in tertia Probatione epistolarum frequens commercium vitandum 181; epistolae ad Generalem scribendae 110 sqq.; epistolarum secretum servandum 111 sq.; epistolae Superioribus monstrandae 112; ab ipsis legendae 118; v. Literae.

Epistolae selectae hujus editionis pateant in bibliotheca communis 6; plures huic novae editioni additae sunt 5; epistola de obedientia 148; de promovendis ad S. Ordines in respectivis consultationibus semper praelegenda 174 sq.; v. Legenda.

Errores modernismi cavendi 261 sqq.

Eucherius, Episcopus lugdunensis 78.

Eustochium S. 219.

Evagatio mentis et sensuum 156.

Examen confessariorum apud Episcopos 119; tertianorum Patrum de Instituto 187; examen theologiae moralis praescribitur 225 sqq.; examinis ad gradum materia 232; annui in theologia materia 232; examinorum theses Romammittendae 263.

Examinatores quid prae oculis habere debeant quoad castitatem in aspirantibus 141 sq.; examinatorum munus admittendorum magni momenti 149; examinatores Professorum quatuor votorum monentur 229; theologiae moralis quid prae oculis habeant 229.

Excerptorum e literis Consultorum usus qualis esse debeat 90.

Excursus extra domus 147; v. Itera.

Exegeseos studia nemo persequatur nisi optime probatus in virtute et scientia 260; ad haec studia persequenda, quae requirantur 260 sq.; scientiae auxiliariae exegeseos magni facienda 259 sq.

Exempli boni vis atque necessitas 79; exemplo Superioris praeluant 79 sqq.; exempla bona nostrorum, eorum efficacia 219.

Exercitia omnia spiritualia prae ceteris bene fiant 43; eorum languor pertimescendus 99; exercitia sp. in tertia Probatione summo cum fervore peragenda 184 sq.; v. *Disciplina interior* etc.

Exercitia spiritualia S. P. N. Instituto nostro propria 140, 257; in tertia Probatione 181; exercitium quintum nocturnum 181; studium diligens libri Exercitiorum 192; eorum usus 194; liber S. Ignatii 201 sqq.; quomodo Exercitia tradenda 194, 202, sqq.; ex ipso suo fonte haurienda 202; Nostri Exercitia in succum et sanguinem sibi convertant 202; ab Instituto commendata 202; juxta mentem et judicium S. P. N. 203; a Leone XIII commendata solemniter 203 sq.; facultas absolvendi a reservatis quoad Nostros Exercitia peragentes 161.

Exhortandi subditi quando et quomodo 59.

Exhortationes domesticae quomodo habendae 159; Praepositi provincialis ante Congregationem provincialem 39.

Existimatio Societatis propter scholas inferiores 223; v. *Fama*.

Expensae pro facultatibus ab Urbe requirendis 140; expensae ordinariae et extraordinariae 302.

Experimenta sex Probationis cur praescripta sint 142; ministerio-

rum in tertia Probatione quomodo fieri possint 183.

Exsecutio ordinationum commendantur 43, 82, sq., 158; urgenda 46–53; causae impedientes 52.

Exterior modus agendi cum subditis 24, 219.

Exterioris disciplinae observatio quomodo obtinenda 56 sqq.

Externi ad cubicula Scholasticorum non admittendi 130; externorum visitationes 133, 146, 154; in tertia Probatione 181.

Exstructiones novae et fabricae 280; v. *Aedificia*.

F

Fabricae novae et reparaciones 280; v. *Aedificia*.

Facultas absolvendi Nostros a casibus reservatis 118 sq., 160 sq.; accipiendi stipendia Missarum 287 sq.

Facultates ab Urbe non nisi per Provinciam petendae 139 sq.; communes Societatis Nostris sufficiant 139 sq., 257; nimiae a S. Sede ne conquirantur 257.

Famae bonae Societatis patronus S. Joannes Nepomucenus 125 sq.; fama bona inferiorum per nefas accusatorum defendenda a Provinciali 113; fama bona Societatis propter scholas inferiores 223.

Familiae spiritum ne perverse interpretetur 178.

Feminae poenitentes 100; feminarum sodalitia 144; ne juniores sacerdotes nimium in feminarum cura spirituali occupentur 145; feminarum confessiones 146; feminae et clausura 148; feminarum visitationes 156; feminis excipiendis aptus habeatur locus 168 sq.

Festum Cordis Jesu inter solemnia habendum 197.

Ficta qui procedunt in Religione quomodo juvandi 28 sqq., 140.
Fiducia reducendi distractiores haud facile amittatur 26; fiducia subditorum in Superiores 84 sq.
Folia periodica a Nostris edita Romanam mittenda 176; v. Ephemerides.
Forma regiminis nostri 109 sqq.
Formandi atque exercendi sunt Superiores 47; formatio accurata jumentum nostrorum desideratur 157; v. *Educatio*.
Formula Instituti 23.
Fortis, Aloysii elenches (Florentiae demum editus 1884) 159; propositiones 246 sqq.
Forum internum et externum in Societate 109 sq.; in foro paterno Superioribus manifestata ne reverentur 110; v. *Conscientiae ratio*.
Franciscanorum studia 270.
Franciscus, Borgia S. 137; de Regula tactus 177 sq.
Fransonii, Cardinalis Jacobus Philippus 313.
Franzelin, Cardinalis Joannes Baptista 313.
Fraterna caritas 48; ne laedatur delatione defectuum alienorum 101 sq.; amplexus fraternus 177; v. *Caritas*.
Fratrum coadjutorum gradus magni faciens 89; eorum cura peculiaris habenda 89 sqq.; Fratres coadjutores solidum virtutum fundamentum in prima ponant Probatione, at postea magno studio perficiantur 90 sq.; paterno affectu a Superioribus tractentur 91; quandonam e Tirocinio educendi 150.
Fundatio Collegiorum etc. 284 sqq.; fundationum bona et arca 293.
Fundus reservatus 275.

G

Gagliardi, Achilles 186.
Generalem Praepositum informent Superiores etiam de se ipsis 36; Generalis monita de defectibus alicujus Provinciali transmissa quid sibi velint 88 sq.; Generali non licet causis ad Inquisitionis tribunal delatis se immiscere 101; Generalium epistolaie aliaque humi generis in archivo Provinciae conservanda 113; catalogus Praepositorum Generalium 317.
Gonzalez, Thyrsus 121-123.
Gradus, quinam promovendi sint ad gradus 66; de informationibus ad gradum 106 sq.; theologi qui prae parant examen ad gradum 269; v. *Professio*.
Gratia vocationis 72; v. *Vocatio*.
Gratiae de efficacitate decretum 214 sq.
Gregorius M. S. 79 sq., 156.
Gregorius Naxianzenus S. 79 sq.
Gregorius XVI 312.
Gubernatio, gubernandi ratio in S. Ignatio 17; ex mente et monito ipsius 11 sq.; gubernatio bona 17 sq., 19 sqq. «Gubernationis» do num 19; gubernator in divino confidat adjutorio 22; gubernationis ratio Deo reddenda 51 sq.; gubernationis rectae media tria 58 sq.; qui sint applicandi ad gubernationem 65; quomodo praeparandi 65; gubernatio secundum Institutum nostrum 82 sq.; gubernationis clavis, in quo consistat 87; gubernationis genus duplex in Societate 109; gubernandi ratio in Societate 109 sq.; gubernatio paterna in Societate 118; non semper ex Provinciis iudicem ad gubernationem proponendi 120; interruptio munera gubernandi 120; gubernatio Superiorum loca-

lum qualis esse debeat 138; *v. Superiores.*

Gymnasia v. Collegia.

Gymnasialia studia 271; *v. Studia.*

H

Hieronymus S. 79, 85, 219 sq., 232.

Historia ecclesiastica 232.

Honoraria a bibliopolis data ne pauperatatem laedant 135.

Hora considerationis 34, 50, 158 sq.

Horarium lectionum philosophiae 234 nota; *v. Philosophia.*

Horologia quid de eorum usu praescriptum sit 135.

Hospitalitas commendatur 85.

Hospites et peregrini summa caritate suscipiendi 85.

Howard, Cardinalis Eduardus 313.

Humaniores literas ante studium philosophiae bene calleant nostri juvenes 218; **humaniorum literarum studia promovenda** 221 sqq., cf. 137; *v. Libri prohibiti.*

Hypotheca 298.

I

Idealistae 238, 241.

Ignatius S., Patris nostri epistola de recta Superiorum majorum gubernatione 17 sq.; ejus exemplum quoad gubernationem 17; de Scholasticorum institutione 41; omnes distractionum causas studentibus subtrahi jubet 42; cur anceps de Constitutionibus scribendis 109; de castitate 142; Patris nostri leges de admissione ne negligantur 149; ejus epistola de obedientia 154; ejus mens quoad finem rationis conscientiae 165 sq.; de bonorum librorum editione 175; de studiis 207; de animarum fructu in scholis inferioribus obtinendo 222; desiderat in suis una cum sanctimonia omnium scientiarum cognitionem 225; de studio S. Scriptu-

rae 258; bona temporalia bona domini Nostri Jesu Christi dicit 297.

Imagunculas etc. dandi et accipiendi abusus 44.

Immobilia bona 282 sq.

Impedimenta spiritualis profectus removenda a Scholasticis 42; *v. Difficultates.*

Inchoata Collegia 295; *v. Collegia.*

Incolumentis Societatis 131; *v. Societas.*

Indicis S. C. Decreta 259.

Indifferentia quoad gradus 66.

Indulgentia plenaria Nostris concessa die festo S. Joannis Nepomuceni 126.

Industriae P. N. Aquavivae ad curandos animae morbos 34 sq.

Industriae adhibendae ad subditorum perfectiopem promovendam 55 sq.

Inepti ad Societatis officia ne ad S. Ordines promoveantur 152.

Inerrantia S. Scripturae strenue defendenda 264 sq.

Inferiores innocentes iniuria accusati defendendi a Provinciali 113; *v. Scholastici, Fratres coadiutores, Novitii etc.*

Inferiorum scholarum magistri magni faciendi 223; quinam magistri ad tales scholas destinandi 224; *v. Scholae.*

Informandi Nostrii ad officia etc.; v. Praeparatio.

Informatio Nostrorum 149; *v. Institutio.*

Informationes de candidatis debitae 60; ad gradum 106 sqq.; de promovendis ad S. Ordines 123; circa statum Missionum mittere 171 sq.; de aedificiis novis construendis 302 sq.

Innocentius X 122.

Innocentius XII 288, 305.

Inquisitio Romana sibi reservat cau-

- sas « Sollicitantium » 101; Inquisitionis S. C. Decreta 259, 261.
- Institutio** Nostrorum 137; Novitiorum neque sit aspera neque blanda 137, 143; institutio admissorum 148 sqq.; institutio proba juventutis 215 sqq.; v. *Educatio*.
- Instituti** nostri formula 23; Instituti peritos se reddant Superiores 82 sq.; Institutum magni faciendum 85; conscientiae ratio inter substantialia Instituti 112, 160; Instituti studium in tertia Probatione 186 sqq.; Institutum uostrum quovis tempore optima via ad optimos fructus ferendos 186.
- Instructio** pro Superioribus 32, 39; instructio circa debita Religiosorum 266 sqq.; instructio pro administratione rerum temporalium 272 sqq., 280 sq.
- Instructor** tertii anni moneat Superiores de Patribus, qui ipsis mituntur ex tertia Probatione 75; Instructores tertiae Probationis 179 sq. Instituti studium et amorem promoveant 187.
- Instrumenta** contractuum etc. quoad Missiones caute concipienda 310.
- Intentio Generalis**, Missa dicenda ad intentionem Generalis 289; Missae « in prima intentione » dicendae 289.
- Interioris** culturae animi cognitio Superioribus necessaria 20; interioris disciplinae cura perpetuo promovenda 21 sq.; internorum et spiritualium prima sit Superiorum cura 39.
- Interruptio** muneric gubernandi stabilita et abrogata 122.
- Inventaria** supellectilis etc. 304; inventaria rerum mobilium etc. pro Missionibus 311.
- Invigilantes** v. *Praefecti morum*.
- Itinera** non facienda absque socio 115; cum alumnis Collegiorum absque necessitate non permittenda 147, 154; non necessaria vitanda 182; v. *Vestis saecularis*.
- J**
- Jacob**, Patriarcha 84.
- Jactura** documentorum etc. unde veniat 112; rei familiaris 127.
- Janua**, non vocandi Scholastici ad januam absque Superioris facultate 131.
- Jesu Christi** pauperis et humilis imago in nobis perficienda 136; v. *Christus*; *Cor Jesu*.
- Joannes S. Apostolus** 82.
- Joannes**, Berchmans S. 179, 185 sq.
- Joannes Climacus** 42.
- Joannes S. Chrysostomus** 94.
- Joannes S. Nepomucenus** 125 sq.
- Joseph**, Patriarcha 84.
- Joseph S. sponsus B. Mariae V.** 127.
- Jovius**, S. Paulini cognatus 81.
- Julius III** 23, 66.
- Juniores** spiritum primae Probationis conservent augeantque 137; ne ante tempus a studiis avocentur 137; ne ante tempus in Collegia ad docendum, multo minus ad pueris invigilandum mittantur 143; v. *Juvenes*; *Scholastici*.
- Jura** stolae 308.
- Juris** sanctiones quoad promotio nem ad S. Ordines 172 sqq.; v. *Ordines S.*
- Jus canonicum** 231 sq.
- Jus destinandi missionarios** ad varia officia cui competit 315 sq.
- Juvencius (Jouvancy)**, Joseph de ratione discendi et docendi 225.
- Juvenes** admissi ad spiritum et religiosam disciplinam informandi 41, 83, 137; v. *Juniores*, *Scholastici*.
- Juventutis** de proba institutione 215 sqq.

K

Kant, Immanuel 241.
Kantiani 234.

L

Laboribus occupati omnes sint semper 87.
Laetitia interna et externa Superiori necessaria 23.
Lainez, Jacobus de gradu Fratrum Coadjutorum 89.
Latina lingua; v. lingua.
Lamentabili sane exitu Decretum S. Inquisitionis 261.
Laxiores sententias Nostri ne sequantur 86.
Laxitatem disciplinae Superiores sibi imputent 33 sq.; *v. Disciplina.*
Lectio ad mensam qualis 159; spiritualis quaenam facienda 159; Patrum tertianorum lectio spiritualis undenam desumenda 185.
Lectio ludicra, profana 144; lectio ephemeridum etc. ne tempus perdatur 134; lectio diariorum et ephemeridum vitanda in tertia Probatione 181; *v. Libri prohibiti.*
Lectiones disputationes a Provinciali visitandae 70.
Lectores doctrinam S. Thomae magni faciant 86; *v. Doctrina; Magistri.*
Legata et legitima Nostrorum 280, 301.
Legenda statutis temporibus, de Archivo 114; de quibusdam capitibus 120; de defectibus quibusdam 147; de promovendis ad SS. Ordines 174; de tertia Probatione 190; Instructio de admin. rerum temporal. 280.
Leges et statuta nostra de admissione et de institutione Nostrorum in memoriam vocantur 149 sqq.
Leges militares quemnam effectum

habeant quoad Nostros ad S. Ordines promovendos 149.
Leo M. S. 38, 40 sq.
Leo XIII, literae ejus de Exercitiorum spiritualium praestantia 201, 203 sq., 314.
Libelli periodici a Nostris editi Romam mittendi 176; *v. Libri.*
Liber Ordinationum 46.
Liber cum ratione scripta de consultationibus habitis 117.
Liber de ratione studiorum et delectu opinionum 207.
Libri quinam legendi in Novitiatu 74; generatim 134; a Scholasticis 264; prohibendi vel prohibiti 44 sq., 264 sq.; a Nostris edendi 134, 175 sq.; Romam mittendi 175 sq.; in coemendis libris Superiores nunquam male collocatam putabant pecuniam 224; libri vulgandi et vendendi 304.
Libri rationum accurate conficiendi 304; *v. Ratio reddenda.*
Liberiores sententias Nostri ne sequantur 86.
Libertas subditorum in literis ad Generalem scribendis 110 sq.
Libertatis spiritus nostris temporibus invalescens 154.
Licentia in loquendo et scribendo vel poenis impedienda 48, 87, 123.
Lingua latina optime discatur 224; in docenda philosophia adhibenda 236 sq.; usitata Domus tertiae Probationis lingua sufficienter cognoscatur a tertianis Patribus 181 sq.
Litanis omnium Sanctorum addenda Oratio de Corde Jesu 196.
Literae *v. Epistolae.*
Literae Consultorum; *v. Consultores.*
Literae humaniores; *v. Humaniores literae.*
Loculos Nostri apud se ne retineant 155.

Logicae pars prima 237 sq.; pars altera 238 sq.

Loquendi licentia; *v.* licentia.

Ludi scenici 183 sq.; ludi minus modesti et Nostris prohibiti 144, 176 sq.

Lugdunensis Provinciae postulatum in Congr. XIV 123.

M

Macarius S. 52.

Maffei, Joannes Petrus 17.

Magister Novitiorum 72 sq.; finis officii eius 72 sq.; quomodo beat Novitios instituere 73 sq.; ne sit nimis benignus, si agatur de non aptis 74; moneat Superiores ad quos Novitii mittuntur, de ipsis 75; magistri Novitiorum iudicium magni faciendum quoad dimittendos 151.

Magistri vere spirituales doceant in Collegiis 86; convivia magistris aliquoties per annum concessa 145; magistri et praefecti morum quoad Regulam tactus 178; ne alter alterum in schola perstrinat 213; toti sint in promovendis suis discipulis 217; magistri optimo informandi 218; magistri nostri optimi 222; magistri, qui ex Nostris scholarum inferiorum per plures continenter annos fuerunt, optime de Societate meriti 223; magistri rhetoricae sint aptissimi 224; aliis laboribus ne occupentur 224 sq.; ipsorum munus et officium labor improbus 225; omnia necessaria ipsis large providenda 224. -

Majores nostri Romae (1563) 98; de castitate 142; quoad paupertatem 155.

Mandatum « in virtute obediendiae » « in nomine Domini » non nisi raro adhibendum 23 sq.

Manualia opera 185.

Maria v. Cor Mariae; Mariana Congregations *v.* Congregatio mariana.

Martin, Ludovicus 167, 175, 181, 201 sq., 258, 261, 272 sq., 290, 311.

Masotti, Ignatius 314.

Mathesis 234.

Media bonae gubernationis: caritas atque affabilitas, exhortatio apta suo tempore, consultationes 58 sq.; *v.* Gubernatio.

Memoriale P. Consalvii 18.

Mercurianus, Everardus 19-27; Mercuriani Ordinatio circa usum librorum prohibitorum 44.

Metaphysica generalis 239 sq.; specialis de corporibus 240; de animalibus 241 sq.; de Deo 242.

Migne collectio Patrum latinorum (M. P. l.) et graecorum (M. P. g.) 35, 40 sqq., 45, 52 sq., 78 sq., 93, 156, 216, 219 sq.

Militares leges; *v.* Leges militares.

Minimarum rerum cura 185.

Ministeria, Scholastici mature praeparandi ad ea 63 sq.; applicatio ad ministeria varia 65; idonei tantum applicandi 187 sq.; ministeria sacra quomodo peragenda tempore tertiae Probationis 182; ministeriis de sacris pars secunda 191, 204.

Minor theologiae cursus 232, 269 sq.

Miron, Jacobus 17 sq.

Missarum stipendia, quomodo requirienda et adhibenda sint, utrum Nostris ea accipere liceat 287 sq.; stipendia avidius ne quaerantur 288; quomodo administranda 288 sq.; stipendiiorum ratio accuratisime ducenda 289; Missae Nostris prae scriptae 141, 289; de stipendiis Missarum ratio reddenda cui, quomodo, quando 304 sq.; *v.* Suffragia.

Missiones habendae a tertianis Pa-

- tribus 182 sq.; Missionum fervor et zelus 193; Missiones quomodo sint instituendae 194; Missionum exercitium in pristinum gradum reponendum 198; praefectus in singulis Provinciis constituendus 198 sq.; eius munus 198 sq.; quis et qualis ad hoc munus aptus sit 199; missionariorum cura et directio per praefectum 199.
- Missionum (exterarum) Superioribus** quid imponatur relate ad clausuram canonicam 168 sq.; circa statutum Missionum informationes mittendae 171 sq.; annua subsidia speranda 171; quid Missiones possidere possint 292; Missionis arca 293 sq.; Missiones nostrae quoad bona temporalia 306 sqq.; v. Bona temporalia.
- Modernismi** de erroribus 261 sqq.
- Monitum** de puritate custodienda 45; monita pro Superioribus 22 sqq., 53 sqq.; Provincialibus data 60 sqq.; monita quaedam Mutii Vittelleschi 78 sqq.; monitum de extrema Unctione mature danda 105; monita concionatoribus formandis accommoda 194 sq.
- Moralis philosophiae** materia 243 sq.; **Moralis theologiae** studium 119 sq., 225 sqq.; **Nostris** maxime necessarium 226; causae negligendi studium theologiae moralis 227 sq.; sacerdotium differendum iis qui de se rationem theologiae moralis non reddiderunt 229; tertius professor pro morali theologia 231; **Morales** partes theologiae solide doceantur in Collegiis Nostrorum 231.
- Moribundi** Nostri quomodo adjuvandi 104 sq.
- Morientes** Nostri extra Provinciam quoad Suffragia 141.
- Mulieres** v. Feminae.
- Munera** atque officia quomodo di- stribuenda 57 sq.; munera et dona quae facere liceat 298.
- Munuscula** sibi invicem dandi abusus multa incommoda secum fert 44.
- Mutatio** personarum et munerum frequentior evitanda 138; tales mutationes unde causetur 157; non necessaria evitetur 280.
- Mutuam** dare pecuniam Domorum nostrarum non licet 127.
- N**
- Nationalis** spiritus auferendus a Societate 94.
- Negligentia** Superiorum 35; damna gravia Societati affert 51 sq.
- Negotiationis** etiam species vitanda 303 sq.
- Nepomucenus** v. Joannes S. Nepomucenus.
- Nickel**, Goswinus 106.
- Nocturnum** exercitium quintum 181.
- Norma** scholarum regendarum sit Ratio studiorum 225.
- Novarum** opinionum cupidi ne ad exegeseos studia persequenda admittantur 260.
- Novitiatus** continuus sit vita Religiosi 22,
- Novitii** quomodo examinandi et probandi 72 sq., quomodo instituendi 73; ne scandalizentur informandi 73; neque aspere neque blande educentur 73; firmandi ne post Probationem spiritum bonum amittant 73 sq.; ne spiritum ab Instituto alienum suscipiant 74; quinam ad vota devotionis admittendi 121; ne ante tempus a probationibus avocentur 137, 150 sq.; ne ipsorum educatio mollis evadat 143; Novitii Scholastici absolvant biennium in Tirocinio 150; Novitii fratres coadjutores prium saltem annum remaneant in Novitiatu 84; Novitius etiam

sponte discedens dimissus censem-
tetur 288; Novitii Fratres coadju-
tores; v. Coadjutores Fratres.

Noyelle, Carolus de 120 sq.

Numerosa in communitate difficultius
perfectio ab unoquoque exigitur
41.

O

Obedientia subditorum in Societate
qualis 19; obedientiae defectus
timendus 96; obedientia deficiens
Societatis ruina 96; epistola de
obedientia 96; obedientiae praec-
ceptum durat, donec a competenti
auctoritate revocetur 103; obe-
dientia Superioribus debita 153
sq.; obedientiae remissio unde
procedat 154.

Obligationes vel actiones 282 sq.,
285, 291.

Observatio Regularum nostrarum
custodia confessariorum 102.

Occupati Nostri sint semper labori-
bus 87; occupatio Nostrorum ne-
sit nimia neve multiplex nimis
145.

Oeconomiae ratio Nostris temporis
bus mutata 290 sq.

Officia, aptitudo ad varia mature
inquirenda 63; v. Ministeria.

Officij S. Decreta 259; v. Inquisitio
romana.

Officij variis quomodo applicandi
sint subiti 57 sq.; ad unumquod-
que officium praeparent se Nostris
137.

Oliva, Joannes Paulus de delatio-
nibus 89; 106-120; ne quis sine
expressa Praepositi Generalis fa-
cilitate novas congregations in-
stituat 154; de conscientiae ra-
tione 164; 279-281.

Operarii nostri ne nimis laboribus
onerentur 145; quibus potius sub-
sidiis utantur 257; v. Missiones.

Optimismus 242.

Oraculum vivae vocis quoad theolo-
gos, qui praeparant examen ad
gradum 269.

Orationis studium commendatur
124; orationis viri sint Patres
tertiae Probationis 184.

Oratio de SSmo Corde Jesu ad-
denda Litaniis 196.

Ordinationes Provincialis post visi-
tationem statim exsequendae 70;
veteres Ordinationes potius exse-
quendae, quam quod novae ex-
petantur 182 seq.; cur non obser-
ventur 158.

Ordinationum Liber 46.

Ordines S., non nisi vere probati
promovendi ad S. Ordines 122 sq.;
quinam sint promovendi 152; pro-
movendi spem certam de con-
stantia in vocatione facere de-
bet 170 sq.; de promotione No-
strorum ad S. Ordines servatis
servandis 172 sqq.; Ordines S.
nunquam adhibendi tamquam re-
medium ad obtinendam emenda-
tionem 174; Ordines S. differendi
223; de Nostris ad S. Ordines
promotis ratio Supremo Judici
reddenda 263; quando promo-
vendi sint Nostris 268.

Ordo lectionum philosophiae 234
nota.

Oreglia, Cardinalis Aloysius 313.

Orlandini, Nicolai Commentarii in
Summarium Constitutionum et in
Regulas communes commendan-
tur 165.

Ornatus profanus exuletur a Nostris
aedificiis 136.

Otium fugiendum 87.

P

Pactiones inter Episcopum et Socie-
tatem clarae sint semper 310.

Panteistae 238, 242.

Paroecia adnexa Residentiae quoad
paupertatem 294.

- Particulares amicitiae semper periculose** 44.
- Pascendi** Encyclica 261 sq.
- Paterna gubernatio in Societate** 118; *v. Gubernatio.*
- Patres sancti de boni exempli vi** 79 sqq.
- Patres tertiae Probationis quomodo dirigendi** 74 sq.; eorum distributio ad certa ministeria 183; *v. Tertia Probatio.*
- Patrimonium pauperum** 297 sq.; *patrimonia Nostrorum* 301.
- Patroni singulares Societatis** 127.
- Paulinus S.** 52, 81.
- Paupertas relaxatio paupertatis timenda** 98; *causae relaxationis* 154; *paupertati inimica Superiorum illiberalis tenacitas* 116; *Decretum circa paupertatem* 127 sq.; *paupertas illaesa servanda* 128 sq., 135 sq.; *peculiare caput de paupertate addendum in literis Reatorum, Consultorum* 129; *paupertatis amor ne tepescat* 288; *paupertatis partes sancte vindicande* 290; *Societatis bona Jesu Christi bona* 297; *paupertatis effectus experiantur Nostris* 299 sq.
- Pecuniam mutuo dare externis numerice** 127; quando mutuo danda pecunia 298 sq.; *in Missionibus* 311.
- Pensiones annuae Nostrorum** 287, 300.
- Peregrini vera hospitalitate recipiendi** 85.
- Perfectio et disciplina religiosa generaliter tractatur in prima parte** 17-189; *Novitiatus continuus sit vita Religiosi* 22; *perfectio minor subditorum* saepe culpa Superiorum est 35; *dificilius in numerosa communitate exigitur* 41; *quae-nam a juvenibus requirenda* 41; *subditorum quomodo promoven-*
- da* 55 sq.; *v. Sanctimonia; Solidae virtutes.*
- Pericula quo graviora eo magis ad Deum et orationem configiendum** 132; *contra pericula castitatis Scholastici defendendi* 144 sq.
- Periodici libelli** 116; *v. Libellus.*
- Petitiones subditorum negandae vel concedendae** 56 sq.
- Pharmacopoeam utrum Domui professae liceat habere** 128.
- Philosophiae de triennali studio** 233 sqq.; *philosophia solide tradatur in nostris Collegiis* 233; *quomodo tractatio totius philosophiae singularis annis et diei horis disponi possit* 234 (*nota*); *philosophiae triennio tradendae singula capita* 237 sqq.; *prolegomena* 237; *philosophiae moralis materia* 243 sq.; *philosophiae propositiones* 81 non docendae 245 sqq.
- Phrenologi** 241.
- Physica** 235.
- Piarum causarum bona** 293; arca 293.
- Piccolomini, Franciscus de tertia Probatione non differenda** 105 sq.; *propositiones* 246 sq., 253 sq.
- Pitra, Cardinalis Joannes B.** 313.
- Pius IX** 150, 241, 313.
- Pius X de modernismi effectibus conquestus** 262.
- Poenae in Societate** 109.
- Poenitentiae Sacramentum quomodo administrandum** 100 sqq.; *abusus huius Sacramenti horrendum crimen* 100 sq.
- Politici congressus a Nostris non frequentandi** 255.
- Pontificia Seminaria** 296.
- Positivis fontibus ad theses confirmandas pro merito utantur magistri nostri** 260.
- Possidere qui dici possint bona Societatis** 292 sqq.
- Postulantes non admittendi** 267 sq.

- Postulatum** de facultatibus ab Urbe requirendis (1832) 139.
- Potestas** absolvendi a reservatis 118 sq.; 160 sq.
- Praeceptores** vere spirituales doceant in Collegiis 86; praeceptrors rhetoricae Nostrorum sint aptissimi 224; v. Magistri.
- Praeceptum** obedientiae durat usque ad revocationem 103; praecptum «in virtute obedientiae»; v. Mandatum.
- Praedicatores** v. Concionatores.
- Praedicatorum** studia 270.
- Praefecti** morum vel invigilantes 143; praefecti et magistri quoad Regulam tactus 178.
- Praefecti** spiritus instruendi et formandi 47; a Provinciali moti moveant ceteros omnes ad usum et studium rerum spiritualium 48; in educatione Scholasticorum primas habent partes 130; sint ad hoc quam aptissimi 130.
- Praefectus** Missionum in singulis Provinciis constituendus 198 sq.; ejus munus in quo consistat 198 sq.
- Praefectus** studiorum 225, 228, 251, 254, 262
- Praefecture** spiritualis a Superioribus Deo reddenda est ratio 32; ad praefecturas illustiores quinam promovendi 223 sq.
- Praelatus** v. Vicarius apostolicus.
- Praeparatio** ad ministeria et officia 63; ad munus Superioris 65; ad magisterium 218.
- Praepositi Generales** v. Generalis; Praepitorum Generalium catalogus 317.
- Praerogativa** Ordinis cui ex Professis debeatur 162 sq.; cui defenda ex illis qui eodem die ultimum ad Professionem requisitum attigerunt 163.
- Praestantia Scripturae** Motu proprio Pii X 262.
- Praesules** v. Vicarius apostolicus.
- Praeventivum** (Budget) pro anno futuro 275.
- Prandia** extraordinaria 144; v. Convivia.
- Prima** primaria Congregatio mariana 197.
- Principale** Superiorum munus 36, 157; v. Superiores; Gubernatio.
- Probatio** prima 72 sqq.; Probationis anno primo remaneant Fratres coadjutores in Tirocinio 90; Probationis Domus quid possidere possit 295; v. Magister Novitiorum; Novitii.
- Probatio** tertia v. Tertia Probatio.
- Procuratores** quovis biennio statum temporalem Domorum visitent 274; non nisi apti instituendi 280; eorum munus 297; quales esse debeant 303; v. Administratio.
- Procuratores** Congregationis provincialis quaenam Romam affrant 40.
- Profanus** ornatus absit a Nostris domiciliis 136.
- Profectus** in virtutibus promovendorum ad gradum 107.
- Professae** Domus quid possidere possint 128, 294.
- Professi** quatuor votorum Literis apostolicis ad Vicariatum apostolicum regendum assumpti v. Vicarius apostolicus.
- Professio** dilata 107; quae ad Professionem quatuor votorum requirantur 107 sq., 162 sq.; quomodo quidam ante Professionem et post eam se gerant 108; Professionis praerogativa cui defenda 162 sq.; requisita ad Professionem 162 sq.; quandonam Professi Superiori Domus conscientiae rationem reddere teneantur 164; v. Examinatores.
- Professores** 212 sq.; v. Cathedra; Magistri.

- P**rogressus Societatis 46; spirituales progressus in dies majores faciendo 55; de rebus nonnullis ad progressus necessariis 131 sq.
- P**rohibiti libri ne legantur a Scholasticis 44 sq.; periculum puritatis 45; v. Libri prohibiti.
- P**rolegomena philosophiae 237.
- P**romotio, promovendi ad cathedram v. Cathedra; ad gradum v. Gratus; Professio; ad S. Ordines v. Ordines S.
- P**ropaganda, S. C. de Propaganda Fide 312 sqq.
- P**ropagation de la foi 171 sq.
- P**ropositiones 81 non docendae philosophicae 245 sqq.; quid sibi velint 252.
- P**roventus, redditus, honoraria, jura stolae: regulae 308 sq.
- P**rovinciae visitatio quomodo instituenda 68 sqq.; v. Visitatio; Visitatores; Provincia utrum quid possidere possit 292 sq.; Provinciae arca 293.
- P**rovinciali in visitatione Superiores humiliter de se ipsis reddant conscientiae rationem 36; Provincialis exhortatio prima ante Congregationem provincialem 39; Provinciales obseruent Instructio nem XXI 47; Provincialibus dantur monita peculiaria 60-72; mature inquirant aptitudinem Scholasticorum ad officia et ministeria 63; quoad admittendos ad tertiam Probationem 64; quoad praeparandam et dirigendam Congregationem provincialem 67; Provincialis defectibus quomodo Visitatores medeantur 77; Provincialis a Generali monitus de alicujus defectibus Romam delatis quomodo se gerat 88; visitet Provincialis suum antecessorem 106; Provinciales et Consultores quoad promovendos ad gradum 108; Provin ciales et Superiores desides in exigenda ratione conscientiae 118; Provincialis cura de juvenum educatione 137 sq.; Provincialibus quid impositum sit quoad clausuram 168 sq.; quoad Missiones instituendas 198; quoad Collegiorum etc. bona temporalia 280; Provincialis jura et munera quoad bonorum administrationem 296 sq.; ejus conscientia oneratur quoad administrationis bonorum temporalium exactam recognitio nem 281.
- P**rovincialis Congregatio agat de damnis, quae Provincia passa sit, de radicibus eorum, de remediiis 40; v. Congregatio provincialis.
- P**rovincialis spiritus a Societate expellendus 94.
- P**rudentia Superiorum 20; v. Superiores.
- P**uritatis vis quanta sit 45; puritatis periculum libri prohibiti 45; puritatis custodia necessaria confes sariis 100 sqq.; v. Castitas.
- Q**
- Q**atuor vota v. Professio; Vota.
- Q**uartus theologis requisitus annus studiorum 268 sq.
- Q**uintum exercitium nocturnum in tertia Probatione 181.
- R**
- R**atio conscientiae Scholasticorum quomodo excipienda 43; v. Scholastici; accurate eam exigat Magister a Novitiis 72; v. Novitii; v. Conscientia ratio reddenda; Secretum.
- R**atio gubernandi in Societate 109; v. Gubernatio.
- R**atio praesentis libelli et editionis 5 sq.
- R**atio reddenda a Procuratore 273; quomodo de arca Seminarii 287;

- stipendiiorum pro Missis 289; bonorum omnium Societatis in Missionibus singulis annis Patri Generali reddenda 311.
- Ratio** praefecture spiritualis Deo reddenda 32; visitationis reddenda v. Provincialis: Visitatio.
- Ratio** studiorum 207, 209 sqq., 225.
- Rationes** movendi subditos ex Instituto Nostro, ex Patrum et Fratrum Societatis exemplis desumendae 24 sq.
- Rationalistae** quoad S. Scripturam 259.
- Recreaciones** concessae Scholasticis, ne sint nimiae 43; quomodo instituendae ab omnibus 48; excessus tollendi 97.
- Rectores** etc. quomodo a Provinciali tractandi in visitatione 63; Rectoris jura quoad bona temporalia 291 sq.; v. Superiores.
- Recognitio** librorum rationis circa administrationem bonorum 305.
- Reditus** etc. conservandi et augendi 302.
- Refectiones** corporis 144; v. Victus.
- Regimen** Instituti Nostri 115 sqq.; v. Gubernatio.
- Regulae** « Summae Sapientiae » i. e. Summarii Constitutionum 21; regulae de discernendis spiritibus sint Superioribus familiares 22.
- Regularum** observantia fidelis remedium contra familiaritates 44; custodia confessariorum v. Confessarii; Regula socii v. Socius; Regula tactus v. Tactus.
- Relaxationes** animi 143 sq.
- Relaxationis** paupertatis causae 154.
- Religiosi** modernismo infecti 260.
- Religiosi**, S. C. de Religiosis 30 nota, 266 sqq.
- Remedia** in confessariis adhibenda mature, si vel prima signa tantae pestis apparent 100; remedia adhibenda ad defectus eradicandos 158; quaenam adhibenda ad soliditatem doctrinae obtinendam 212 sq.
- Remotio** a negotiis etc. tempore tertiae Probationis 181.
- Removendi** a cathedra 86, 212 sq., 218.
- Renovationis** votorum tempore confessarii Nostrorum facultas concessa absolvendi a reservatis 161.
- Renuntiatio** honorum a Nostris quomodo facienda 281 sq.; renuntiantes bona temporalia 287.
- Reprehensiones** quomodo facienda 27.
- Requisita** ad Professionem quatuor votorum 169 sq.; v. Professio; Gradus: ad S. Ordines 173 sq.; v. Ordines S.
- Rerum** temporalium administratio, pars quarta 277-316; v. Bona; Ordinationes de administratione rerum temporalium legenda 305; v. Legenda.
- Reservatio** casuum 118 sq.; reservatio seminationis discordiarum 50; facultas absolvendi a reservatis 161.
- Residentiae** quoad paupertatem 294 sq.; Residentiae parochiales 301.
- Retractandae** sententiae 212.
- Retz**, Franciscus 123-127; de facultibus etc. ab Urbe non requierendis 140, 196-201.
- Revisores** librorum, eorum officium 134; revisio quomodo facienda 135, 175; ad censuram libri non licet quidquam addere 207, 213 sq.; revisores 251 sq.; ipsorum indulgentia 265.
- Rhetoricae** praeceptores Nostrorum sint aptissimi 224; studium rhetoricae quanti faciendum 224.
- Ribadeneira**, Petrus 160, 186.
- Ricci**, Laurentius 127.
- Rodriguez** de religiosa perfectione 159

Romanos Pontifices Constitutio 302, 304; 306 sq.

Roethaan Joannes 139, 196, 230–233, 247 sq., 274 sq., 281 sq., 284 sq.

Rousseau, Joannes Jacobus 243.

Rusticatio apud externos 147, 154.

S

Sacerdotes admittendi, quoad castitatem 142; sacerdotes juvenes quomodo occupandi 144; sacerdotes Novitios quando liceat e Tirocinio educere 150 sq.; quaenam studia talibus concedenda 151; post birenium quomodo occupandi 151.

Sacerdotium differendum *v. Ordines S.*

Sacramentum Altaris mane ante meditationem visitandum 125; sacramentum poenitentiae non nisi bene probatus administret 119 sq.; *v. Moralis theologia.*

Sacri Ordines *v. Ordines sacri.*

Saecularis juventutis oculis, qui ex Nostris sunt expositi, quales esse debeat 219.

Salutandi modus apud Anglos, Germanos etc. 177.

Sanctimoniae scientia conjungenda 225.

Sbarretti, Cardinalis Aeneas 313.

Sceptici 238; scepticismus 239.

Schola affectus 180.

Scholae de scholis et studiis: pars tertia 205–275; scholae inferiores maxima diligentia administrandae 222; scholarum regendarum norma sit: Ratio studiorum 225; Scholae apostolicae 296: *v. Humaniores literae; Rhetorica; Philosophia; Theologia; Moralis Theologia; Ratio studiorum; Magistri.*

Scholastici, eorum institutio et educatione 41 sqq., 127 sqq.; numquid ipsis sufficiat minor quaedam perfectio 41; mature moneantur defectibus 42; magna sinceritate

erga Superiores utantur 43; alienos defectus debito modo manifestent 43; mature studiis applicandi 63; eorum cubicula alii Scholastici ne ingrediantur, multo minus externi 130; ne exeat, neve externos visitent nisi imperata venia 130; scientiis et studiis quomodo dent operam 131; Scholasticorum institutio selectis concredatur Patribus 137; contra castitatis pericula defendendi 143 sq.; quinam dimittendi 151 sq.: ne ante tempus e scholis et institutione educantur 157; in philosophicis solide instituendi 233; praecavendi contra modernismi errores 262; unde sustentandi 301.

Scientia sanctimoniae conjungenda 225.

Scribendi et loquendi licentia reprimenda 87, 124; scripta Nostrorum etiamsi non edenda vocationi sanctae ne sint adversa 134; bonorum librorum scriptio 175; Scriptorum Collegium 295.

Scripturae Sacrae de studiis 258 sqq.; tristis Nostrorum temporum experientia 259, 264 sq.; libri historici 265.

Secessus tertiae Probationis magni momenti 180 sq.

Secretarius Provinciae Socius Provincialis 117; secretarius Consultationum domesticarum 117.

Secreti tenaces sint Superiores 87; secretum in ratione conscientiae 28 sq., 109 sqq., 165 sqq.; secretum epistoliarum servandum 111 sq.: secretum quoad res in archivo provinciali conservatas 114; secreti lex pro Consulteribus 118.

Selectis Patribus juventutis Nostrae educatio concredatur 137.

Seminariis Nostris ad docendum spirituales viri eligendi 86; ipsis optimi dentur confessarii adole-

- scentium 216; Seminarii arca 284
sqq.; Seminaria pontifícia 296; Se-
minaria episcopalia 296
- Seminatores** discordiarum 49 sq.
- Sensistae** 241, 250.
- Sententias** laxiores et libiores ne
Nostri sequantur 86 sq.; senten-
tiae et poenae per telam judicia-
riam latae num existant in Socie-
tate 109; sententiae retractandae
212.
- Severitas** quando adhibenda 25; se-
veritas Christi in SS. Petrum et
Paulum Superiorum exemplar 25.
- Sigillum** confessionis 28 sqq., 110;
v. Confessio; Secretum.
- Simeoni**, Cardinalis Joannes 313.
- Simplicia** vota quomodo solvantur
30 nota.
- Sinceritas** Superiorum in gubernan-
dis subditis necessaria 20; since-
ritate magna Scholastici erga Su-
periores utantur 43.
- Socialismus** 243.
- Societatis** status exponit 92 sqq.;
Societati unde detimenta timen-
da 92 sqq.; Societatis status vegetu-
(1563) 98, (1619) 93, (1877) 153;
Societati a Christo commissum
munus quoad cultum Cordis Jesu
197; Societatis insigne proprium
juventutis institutio proba 215;
Societatis filii dogmatum atque
Ecclesiae defensores 266; Societas
professa per Generalem admini-
strat bona temporalia 296.
- Socius Provincialis** secretarius 117;
socii Regula, socius confessario-
rum 102; socius itinerantium 115;
- Regula** socii maximi facienda 133;
calamitates quas experti sumus,
necessitatem Regulæ docent 133,
146 sq., 156.
- Sodalitates** *v. Congregationes*.
- Sodalitia** a Societatis Instituto alie-
na 139 sq.; feminarum 149; *v. Fe-
mina*.
- Solemnia** vota, quomodo solvantur
30 nota
- Sollicitudo** et vigilantia Superiorum
erga subditos 32 sqq.; sollicitudo
peculiaris in temptationibus affli-
ctos 84.
- Solidae** virtutes acquirendae a No-
stris 55; jam a juvenibus 41; a
Fratribus coadjutoribus 89 sqq.;
v. Sanctimoniam.
- Soliditas** doctrinac 207 sqq.
- Spiritualiter** agendum semper cum
omnibus 24; spiritualia et anima-
rum directionem Superior sibi
ipsi retineat tamquam munus
suum principale 36; spiritualium
rerum Praefecti formandi 53; spi-
ritualis subditorum progressus a
Superioribus quaerendus 84; spi-
rituales viri ad docendum in Se-
minariis eligendi 86; spiritualium
rerum studium maxime necessa-
rium 124, 131 sq.
- Spiritu** familiae ne perverse inter-
pretemur 178; spiritus nationalis
et provincialis periculum caritatis
et unitatis 94.
- Spiritus** Sanctus Superioribus in
gubernando necessarius 22.
- Stanislaus S. Kostka** 178.
- Statu** de Missionum informationes
171; *v. Missiones (exterae)*; Sta-
tus Societatis *v. Societas*.
- Stipendia** pro nostris ministeriis ac-
ciperre num liceat 129; stipendia
Missarum 160, 288, 301, 304 sq.;
v. Ministeria; Missae.
- Stolae** jura, 309.
- Strauss**, David Friedrich 258.
- Studia**, applicatio juvenum ad stu-
dia 63; studiis quomodo incum-
bendum 137; studiorum extra So-
cietatem peractorum periculum
subendum 151; de studiis et
scholis 205-275; Decretum circa
studia Religiosorum 268 sq.; *v. Ra-
tio studiorum*.

Studium interioris animi culturae in subditis perpetuo promovendum 21 sq., 55 sq., 124 sq.
Suaresius, Franciscus 166, 186, 228.
Suavitas requisita in Superioribus 23.
Subditi tamquam Christi vicarios habeant Superiores 19; subditorum infirmitas sustinenda 22; spiritualis eorum progressus quaerendus 84; ipsorum animas de manu Superiorum Deus requiret 87; *v. Superiores*.
Subsidia Instituto Nostro propria 257.
Substantialia Instituti, ad ea pertinet ratio conscientiae 118, 166.
Successio continua eorundem in gubernatione 121 sq.
Suffragia pro nostris, qui extra Provinciam moriuntur 141; *v. Missae*.
Summae Sapientiae Regulæ i. e. Sumunarium Constitutionum 21.
Sumptus quantos facere liceat 299.
Superflua paupertati nociva 98; non permittantur 299.
Superiores majores ne ipsi ad omnia et singula negotia incumbant 17 sq.; motoris instar universalis impellant alios Superiores 18; *v. Provincialis*; donum gubernandi in Superioribus requiritur praepri- mis 19; diffidentiae suspicionibus ansam ne det Superior 20; Spiritus Sancti unctione Superioribus necessaria 22; regulis de discernendis spiritibus utantur 22; subditorum dispositionibus se accommodet Superior 24; supernaturalibus praesertim utatur auxiliis 27; Superiorum sollicitudo et vigilantia 32 sq.; eorum onus et discrimen grave 32; eorum est subditos ad perfectionem incitare atque dirigere 33; subditorum gubernatio atque directio sit ipsorum prima occupatio 34; quo-

modo Superiores amari studeant 35 sq.; eorum incuria et negligentia 35; eorum zelus 38; impigri sint in corrigendis Scholasticis 42; *v. Scholastici*; Subditi; Superiores formandi et exercendi 47; aliis officiis prius exerceantur 65; ante omnes sibimetipsis invigilent 78; exemplo praeluceant in religiosa disciplina et communis vitae custodia 79; accurati sint in Institutii nostri exsecutione 82 sq.; lectent Institutii nostri Constitutiones, Ordinationes etc. 82 sq.; speciali cura utantur in temptatione afflictos 84; in aegrotos 85; in Fratres coadjutores 91; in moribundos 104 sq.; sint secreti tenaces 87; libertatem Romam scribendi ne laedant 111; ex Provinciis non semper iidem ad gubernandum proponantur 121 sq.; locales Superiores quomodo Domum regant 138; et Scholasticos edacent 138; caritate paterna liberaliter provideant subditis, ne paupertatis laedendae occasio praebeatur 155; institutio nostrorum Superiorum munus praecipuum 157; optime cognoscant subditos suos 159; quibus mediis utantur ad gubernandum 159; quomodo uti possint notitia extra confessionem ratione conscientiae accepta 165; Superiores non sunt proprietarii bonorum Societatis 297; Superioris localis officium circa bonorum administrationem 297; Superioris Missionis jura circa bona administranda 297; Superior regularis in Missionibus ejusque jura 312 sqq.; *v. Gubernatio*; Administratio.

T

Tabularium *v. Archivum* 112 sqq.
Tactus Regula sancte observanda

- 176 sqq.; sanctius quoad exte-
nus 177 sq.; necessitas tantum a
Regula excipit 178; *v.* Castitas;
Ludi.
- Tamburini**, Michaelis Angeli epi-
stola de studio rerum spiritua-
lium promovendo legenda 125;
propositiones 145 sqq.
- Temporalibus** de rebus 277-316; ad-
ministratio rerum temporalium
272 sqq.; *v.* Administratio; Bona;
Res temporales.
- Tempus** ne perdatur lectione libel-
lorum, ephemeredum etc. 134.
- Tertia Probatio**, Patribus tertiae
Probationis copia huius libelli
facienda est 6; quinam sit finis
tertiae Probationis 64; Probatio
tertia majorem perfectionem exi-
git 75; quomodo Patres tertiani
instruendi 74 sq.; ne differatur
tertia Probatio, nisi monito et
consentiente Generali 105 sq.;
quanti momenti sit 179-189; quo
spiritu tertia Probatio sit susci-
pienda 180; linguam usitatam Do-
mus, ubi Probatio peragitur, suf-
ficienter calleant 181 sq.; tertia
Patres ne tamquam Socii
P. Magistri Novitiorum occupen-
tur 188; tertiae Probationis uti-
litas et necessitas 256; *v.* Exer-
citia spiritualia; Institutum; Mi-
nisteria; Missiones.
- Tertullianus** 79.
- Theologiae studium promovendum
230 sqq.; theologiae studia quo-
modo ordinanda 231 sq.; compendi-
arius theologiae cursus 232, 268
sqq.; theologiae requisitus annus
quartus 268 sq.; *v.* Compendiarius
cursus; Theologia moralis *v.* Mo-
ralis theologia.
- Thermarum** usus et visitatio 146,
154.
- Thesum philosophiae et theologiae
disputationum et menstruarum
- atque examinum exemplaria ter-
na Romam mittenda 263.
- Thomae S.** doctrina sequenda 86, 207
sqq., 252; ab ipso in una alterave
conclusione recedere a S. Thoma
quandonam liceat 208, 241; S. Tho-
mas quomodo interpretandus 211,
241; materiae a S. Thoma non tra-
ctatae quomodo tractandae 213.
- Tirocinium**, Tirones; *v.* Novitii, Pro-
batio.
- Tituli et Obligationes** 285, 291; eo-
rum administratio 297.
- Toni** quid sibi velint 74.
- Traditionales** 242.
- Translatio bonorum** num liceat 292.
- U**
- Uncio extrema quando sit danda
105.
- Uniformitas** doctrinae 207 sqq.
- Unio fraterna** 48 sq.; *v.* Caritas.
- Universitates** gubernii, qui visitent,
quales esse debeant 263.
- Urbanus VIII** 279, 288, 298.
- Urgenda exsecutio** Ordinationum
etc. 46-53; *v.* Exsecutio.
- V**
- Vacationis** tempore quid conceden-
dum junioribus 143.
- Valgius** catechumenus 52.
- Venditio** et emptio obligationum vel
actionum 282 sq.; venditio rerum
minimarum in Convictibus 304.
- Vestis** saecularis usus ad liberius
iter faciendum non permittatur
127; vestitus, alimenta liberaliter
Nostris suppeditanda 116.
- Vicarii** Christi sunt Superiores ap-
pellandi et habendi 191; Vicario
Christi obtemperandum quam fi-
delissime 266.
- Vicarius** apostolicus e Societate Pro-
fessus quatuor votorum solvitur
ab obligatione de non admittenda
praelatione 312 sq.; item a voto de

- non recusando consilio Generalis 312 sq.; ejus jura et officia in Missione 312 sq.
- Vices Christi** se gerere Superiores sint memores 22.
- Vicecomes**, Ignatius 127, 221-225.
- Victor** antea Valgus catechumenus 52.
- Victus** et vestitus ratio 116, 135 sq.
- Vigilantia** Superiorum 20 sq., 32 sqq.; *v. Superiores.*
- Virtus** requisita ad professionem quatuor votorum 107 sq.; virtutum studium *v. Perfectio; Professio; Solidae virtutes.*
- Visitatio SS. Sacramenti** mane ante meditationem commendatur 125.
- Visitatio Nostrorum tempore meditationis et utriusque examinis** 125.
- Visitationes** externorum non nisi cum socio 115; a Scholasticis non nisi impetrata venia 130; crebrieres minime permittendae 133, 146; visitationes mulierum 145; *v. Externi; Feminae.*
- Visitatio Provinciae** non cursim nec perfunctorie instituenda 47; in ipsa visitatione Praepositus urgeat executionem 47; quomodo facienda 68 sqq.; ratio visitationis Generali reddenda 70; Provincialis intersit lectionibus disputacionibus etc. in Collegio 70; visitatione peracta quid faciendum sit Provinciali 71; visitandi ab ipsis eorum antecessores 106; visitans Collegia accurate cognoscat statum scholarum inferiorum 223.
- Visitatores** seu Commissarii Generalis personam repraesentant 69; quemnam ad finem mittantur 75 sq.; eorum munus 76 sq.; quomodo agendum cum Provincialibus 76.
- Vitae communis** custodia 79, 185.
- Vitae majorum** Nostrorum legenda 159 sq.
- Vitelleschi**, Mutius 78-104, 215-221.
- Vocationis** gratia 72; vocationi sanctae nostrae ne sint adversa quaecumque Nostri scribunt etiamsi non edenda 134; spes certa constantiae in vocatione quandonam adsit 174.
- Vota** simplicia et solemnia quomodo solvantur 30; Provincialis ipse mature judicet, utrum quis ad vota sit admittendus 63; ad quatuor vota virtus requisita 107 sq.; 163; vota devotionis eorum natura et effectus 120 sq.; doctrina requisita quatuor votorum Professis 163, 226; solutio a voto de non admittenda praelatione et de non recusando consilio Generalis 312 sq.; *v. Vicarius apostolicus.*

W

- Wernz**, Franciscus Xaverius 5 sq., 175-189, 261-275.
- Westmonasteriensis** Concilii regulae de bonis ecclesiasticis 307 sqq.

Z

- Zelus animarum** 99, 195.

